VITT. EMANUELE

8.

Ex Dono

Philippi Evangeliſti.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATENA GRÆCORVM PATRVM IN PROVERBIA SALOMONIS

R. P. THEODORO PELTANO
Soc. IESV Theologo interprete.

IN ECCLESIASTEN
B. GREGORII THAVMATVRGI
Metaphraſis Græcolatina.

IN CANTICVM CANTICORVM
PARAPHRASIS
MICHAELIS PSELLI.



BIBL. SS. IO. & PA. DE URB.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIAE
Apud Gaſparem Bellerum,
ſub Aquila aurea. CIƆ. IƆC. XIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. FELICI GVZMANO
I. V. D.
ARCHIDIAC.
ET CANON. HISPAL.
Sacelli Regij Primicerio
Bonar. Artium cultori, fautori, patrono
IOAN. DE PINEDA
Societatis IESV
SAL. IN DOM.

CVM decurſis ſtudiorum ætatiſque ſpatiis, ad S. Scripturam de ſuperiore loco Hiſpali interpretandam, Superiorum, quorum me poteſtati commiſiſſem, auctoritate; poſt etiã ad eandem illam verè fontem aquarum viuentium ſcriptis illuſtrandam animum appuliſſem; iam Iob, ſin-

gulare Patientiæ, vt B. Iacobus prædicat, exemplum, vno & item altero volumine explicaſſem; nuper ad SALOMONIS Regis mortalium omnium vt ſapientiſſimi, ſic & templo Hieroſolymis exædificato auguſtiſſimi, ſcripta illuſtranda me conuerti: cum & προλεγομένων vicem, SALOMONEM PRÆVIVM, futuri velut Operis ſpecimen ſpectandum exhibui; venit tandem in mentem, dum vndiq; ſubſidia SS. Patrum Græcorũ Latinorumq́ue anquiro, me non ita pridem in Theodori Peltani, Societatis noſtræ Theologi Paraphraſi Prouerbiorum Salomonis legiſſe, conuerſam ab eo pridẽ CATENAM Græcorum Patrum è Græco ſermone in Latinum: ſed quæ interpretatio immatura ipſius Auguſtæ Vindelicorum morte, in Belgio,

gio, quò velut in patriam miſſa fuerat, adhuc inedita deliteſceret. Etſi vero Græcè talem eſſem ipſe Catenam Romæ nactus, duxi tamen per litteras ad edendum excitandum P. And. Schottum, vrgendoque per Epiſtolam impuli, vt, quo eſt in ſacras litteras animo, tandē aliquando extrudi, foraſque commodo publico dari ſineret. Morem ille continuò geſſit: additis & Scholiis, & in Eccleſiaſten *B. Gregorij* cognomēto Thaumaturgi Metaphraſi, etiam Græcè; qua lingua ipſi Gregorio vſitata, deerat ipſa à G. Voſſio collectis Opuſculis. Michaelis Pſelli quoque in Canticum Canticorū Paraphraſis, verſibus Politicis apud Schottum latens, acceſſit: vt Salomonis omnia vno velut faſce colligata lucem hinc aliquam acciperent. Editionis

 mihi

mihi κ̀ προσφωνήσεως commiſſa alea eſt, quærenduſque patronus erat poſtumo illi Peltani partui, ne liberis tutor auctorúe deeſſet, qui fœtum amiſſo iam parente tolleret: hoc eſt, patrocinium aduerſus maledicentium calumnias ſuſciperet. Deliberandũ fuit non diu, nec foris quærendus, cum domi ſuppeteret. Oblatus enim continuo FELIX GVZMANVS, doctrina iuxta ac nobilitate verè felix: à quo cum diſceſſiſſem, inanem de reliquis ſpem fore opinabar. Liceat itaque pace Tua conſilij huius mei, dedicationiſque rationem paucis apud te exponere. In primis, quia minimã hanc noſtram Societatem ſic adamas, vt beneficiis etiam obſtrictam teneas, meq; adeo ſingulari Tua complexus es beneuolentia ex quo Hiſpali Præpoſitus domum

Pro-

Profeſſam tuebar. Tum quia auita & inſigni nobilitate plurimos antecellis. Da hanc igitur mihi veniam Tua modeſtè recenſenti. ſiue enim parentis Tui, ſiue matris natales, maioreſque ordine intueor, rapior in admirationem. Pater enim Tuus, ex antiquiſſima familia *De Tejada*, ab annis amplius ſexcentis originem repetit vltimam, iam inde ab illo familiæ totius capite belli imperatore clariſſimo Tejada, Regij totius exercitus ſub Radimiro Rege, in prœlio illo omnium Hiſpaniæ Annalium monumentis decantato *de Clauijo*. A qua gentis origine, ceu fonte, innumerabiles pace belloque clariſſimi Heroës exſtitere. In primis verò parens Tuus feliciſſimus Nobilis *Ioãnes Tejada*, nonagenario maior, trium Hiſpaniæ Regum verè Catholi-

corum Caroli V. Philippi II. & huius denique III. quem Deus Opt. Max. diu ſoſpitet, ſeruetq́ue incolumem, Conſiliarius: quod vni illi, præterea nemini, contigiſſe eſt obſeruatum: idemq́ue Regij ſupremi Caſtellæ Senatus Decanus: & ſexaginta iam annos per diuerſas Regni prouincias æquiſſimus iuxta, atque integerrimus Iuris adminiſter. Mater vero *Leonora*, è familia Ducũ Medinæ Sidoniæ, & Guzmanorum, ac Su-ñigæ. Filia enim feliciſſima Guzmanorum & Stunicarum; proneptis vero Henrici Comitis de Niebla: qui abauus fuit iam Ducis æui huius Medinæ Sidoniæ: idemq́; Henricus in expeditione, atque expugnatione Gaditani Freti occumbere pro patria maluit, & ſpiritum vitamq́ue potius, quàm milites ſuos deſerere.

Fran-

Digitized by Google

Franciſcus verò Ioannis filius, ac Tuus, Felix, Frater germanus, ſupremi Indiarum Conſilij nunc Senator, reiq; bellicæ, licet togatus, nouo in Orbe Conſiliarius prudentiſſimus pariter ac feliciſſimus, cum Nauarræ primũ, pòſt Regni Granatenſis Regius Auditor fuit. Tu verò re ſimul & nomine atque omine FELIX, familiæ tuæ longè clariſſimæ ſidus, & decus immortale, ſacris licet initiatus, Militiæq; ſpiritalis Myſta, à familiæ tamen decore minime degenerans tuis etiam præluces facem, viãque munis ad famam, beatamque vitam ſempiternam. Eruditione enim inter æquales ſic excellis, vt familiam ducere, merito videare. Hiſtoriã patriam omnemque adeo ætatũ omnium memoriam ſic legendo calles, vt ab ore narrãtis pendere eruditos

 videas.

Digitized by Google

videas. Gentis adhęc Tuæ ſtémata, quæ ob educationé, inſtitutionemq́ue præ vulgari longè præſtant, in pretioq́; habétur, eo ducis loco, vt virtute ſtipatã eſſe oportere nobilitatem in animũ ſemel induxeris, perpetuoq́; teneas Poëtæ illud iam inde à puero in aurẽ à magiſtris optimis inſtillatum,

——— *Nobilitas ſola eſt atque vnica* VIRTVS.

Macte igitur, Heros, animi, & virtute noua ad ſumma quæque Eccleſię munia, quò Tui augurãtur optantq́ue, ſummo animo cõtendere perge. *Sic itur ad aſtra*. Hãc itaque in Salomonem Regem, alienam licet lucubrationẽ, dum mea apparãtur atque edolantur, bonam in partẽ vt accipias, tuearis, æqui boni facias, qua ſoles humanitate, maiorem in modum rogo, quæſoque. Vale, Hiſpali, CIƆ.IƆC.XIV.

REV.

Digitized by Google

REV. P.

IOAN. DE PINEDA

And. Schottus Sal.

PER *mihi gratum accidit, Pater optime, dum in Salomone illuſtrando ita verſaris, vt & Præuiũ veluti* πρόδρομον *emiſeris, qui expectationem ſuſcitaret; mea opera vti voluiſſe in eruenda, & in lucem reuocanda Græcorum Patrum Catena in Parabolas Salomonis, quam olim de Græcis Latina ciuitate donârat noſter Theodorus Antonius, Peltanus: quem diu in hac palæſtra verſatum animaduerto, quando & Andream Cæſareæ Epiſc. in Apocalypſin, Titum Boſtrorum Epiſc. in Lucam, Victorem Antiochenũ in Marci Euangelium, ſeptemdecim adhæc Græcorum Patrum conciones: denique Epheſinæ Synodi primæ Acta quatuor libris conuerterit. Parui*

itaque

itaque libens vobis, & hic typographis à me recenſita tradidi : Scholia inſuper adieci præter ea quæ ad Paraphraſin Peltani eiuſdem typis Verduſſij nuper addidiſſem. At ne Prouerbia Regis mortalium ſapientiſſimi incomitata exirent, Eccleſiaſten illius, & Canticum Canticorum adiunxi. In illum quidem B. Gregorij Thaumaturgi μετάφρασιν *etiam Græco ſermone, quo ſanctiſſimus ille eſt vſus; quòd in eius operibus à Voſſio Moguntiæ euulgatis deſideretur : in Canticum vero Paraphraſin addo Michaelis Pſelli, nunquam ſeorſum, ſed* σποράδην *in Theodoreto Cyri Epiſc. edita: quod Græcum etiam exemplar penes me eſſet, politicis quidem verſibus, hoc eſt rythmo conſcriptum, ſed quod doctorum hominum exemplo ſoluta reddere oratione initio placuit, poſt etiam à Petro Franc. Zino ſic conuerſam deprehendi: quomodo & Conſtantinum Manaſſem de rebus Byzantinis, & Ioãnis Tzetzæ*

Chilia-

Chiliadas proſa alij reddiderunt. Quem quidem laborem ſi tibi placuiſſe intelligam, & cum Græco tuo exemplari Roma, vt ſcribis, allato placeat componere, ac veluti committere gladiatorum par cum hac Catena, erit cur gaudeam incredibiliter, beneq́; poſitas horas in operarum periculis, vt ἐργοδιώκτῃ *decebat recenſendis exiſtimem. Sacris itaq́; me meoſque conatus, vt ad Dei maiorem gloriam cedant, commẽdare, noſq́; amare ne deſine. Antuerpiæ.* CIↃ. IↃC. XIV.

APPRO-

SVMMA PRIVILEGII.

ARCHIDVCALI *Priuilegio cautum eſt, ne quis citra voluntatem* GASPARIS BELLERI, *ſexennio proximo imprimat, vel alibi impreſſum in has ditiones importet, venalemúe habeat librum inſcriptum: Catena Græcorum Patrum in Prouerbia Salomonis, interprete* THEODORO PELTANO, *Soc.* IESV *Theologo, ſub pœnis ipſo diplomate latiùs comprehenſis.*

Signat *Buſchere.*

APPROBATIO.

HÆC *Catena* SS. Patrum Græcorum in *Prouerbia Salomonis* interprete R. P. *Theodoro Peltano*, Societatis IESV Theologo, multum adiumenti adferet doctioribus ſtudioſis, ad varios ſæpe eliciendos ſenſus in bonorum morum doctrina augenda. Vtiliter igitur imprimetur. Quod teſtor 26. Iulij, an. 1613.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canon. & Plebanus Antuerp. Librorumq́ Cenſor.

Digitized by Google

FACVLTAS

PROVINCIALIS.

CAROLVS SCRIBANIVS *Præpoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Flandrica Prouincia, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R.P.N. Præpoſito Generali* CLAVDIO AQVAVIVA, *facultatem concedo, vt* CATENA *Græcorum Patrum antiquorum in* PROVERBIA SALOMONIS, *interprete de Græcis in Latinum ſermonem P. Theodoro Peltano, Societatis noſtræ Theologo, & eiuſdem Societatis eruditorum hominum iudicio examinata, & approbata, typis excudatur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas ſigilloq́ noſtro munitas dedimus, Antuerp. prid. Kal. Febr.* CIↃ.IↃC.XIV.

Carolus Scribani.

Digitized by Google

GRAECORVM

PATRVM,

è quibus concinnata

CATENA eſt,

SYLLABVS.

Auctor Catenæ.
Apollinaris.
Baſilius.
Chryſoſtomus.
Cyrillus Alex.
Didymus.
Diodorus.
Epiphanius.
Euagrius.
Euſebius.
Euſtathius.
Hippolytus.
Iulianus.
Olympiodorus.
Origenes.
Polychronius.

Digitized by Google

IN PROVERBIA SALOMONIS, ET RELIQVA EIVSDEM OPERA ARGVMENTVM

è Græco conuerſum.

SAPIENS *erat Salomon, vtpote ex eo ortus, cui dicere licebat*: Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi: *& à puero rurſum in ſapientiæ & virtutum omnium ſchola ſtudiosè educatus & inſtitutus; & ſingulari tandem Dei beneficio ad eum ſapientiæ gradum, temporis quaſi puncto euectus, vt ante & poſt ſe parem nullum habuerit. Hic ergo vniuerſitatis naturam, quam pro ſapientiæ ſuæ excellentia & magnitudine accuratiſſimè exploratam habebat, in tria rerum ge-*

Pſal. 50.

Vnde Salomoni tanta ſapientia obuenerit.

nera

nera deduxit: nempe in Ethica, Phyſica, & Hyperphyſica, omnemq́ adeo ſapientiæ doctrinā tribus voluminibus ab omni errore & falſitate prorſus immunibus comprehenſam nobis expoſuit.

Omnem Sapientiæ doctrinā tribus voluminib. complexus eſt Salomon.

Et quidem primum ex his, quod maiorem partem obſcura oratione decurrat, PAROEMIARVM nomine deſignauit. Eſt enim Parœmia, ſermo ſubobſcurus, etſi interim per quædam manifeſta vim ſuā non omnino diſſimulet. Vel certè, eſt ſermo eiuſmodi, qui prima quidem fronte facilem ſenſum offerre videtur, ac in receſſu quiddam reconditum atque abſtruſum continet. Vſus eſt autem obſcuro orationis genere, ne hæc doctrina morum quaſi facilis, ab ignaris contemneretur, aut profanorum hominum inſidiis & ſannis temerè exponeretur.

1. Prouerbia Salom.

Cur Salomon obſcuro orationis genere in Prouerbijs vtatur.

Alterum verò quod Phyſica complectitur, iiſque qui in ethicis progreſſus habent, præcipuè proponitur, ECCLE-

2. Eccleſiaſtes.

ECCLESIASTEN *inſcripſit: quãdoquidem Sapiens in eo opere de Solis ceterorumque aſtrorum motione, de terræ ſtabilitate, de cæli natura & conſtitutione, deq; aliis ſimilibus, quæ non exigua rerum naturalium pars ſunt, non abſque eximia ſapientia concionatur; concionandoque ad vnum omnes ad vniuerſi orbis contemplationem blandè prouocat, ſuauiterque inuitat. Concionatur hic de iјs quoque rebus, quas hominem expetere vel effugere, dicere rurſum vel reticere par eſt; deque aliis denique compluribus, quæ ad rectam hominis inſtitutionẽ faciunt plurimum.* *Qualia in Sal. Eccleſiaſte tractentur.*

Tertio autem & poſtremo CANTICI CANTICORVM, *hoc eſt excellentiſſimi carminis titulũ præfixit. Huius argumentum totum eſt ſpirituale & myſticum. Nihil enim ex inſtituto de iјs rebus illic diſputat, quæ ſub ſenſum cadunt: verum totus in eo eſt, vt myſtici ſponſi & ſponſæ amorem, mu-* *3. Cantica Cãticorum.*

tuamque eorundem inter ſe beneuolentiam deſcribat, nobiſq́; ob oculos ponat.

Quid inter tria Salom. volumina interſit.

Paucis Canticorum liber ea proponit, quæ ad animæ in virtutibus iam conſummatæ ſtatum pertinent: ſicut Parœmiæ ex profeſſo ea tractant, quæ ad hominem ſpiritualis vitæ viam primum ingreſſum, potiſſimum ſpectant: & Eccleſiaſtes ea, quæ ad animam, aliquo iam tenus in virtutum ſtadio progreſſam, faciunt.

AD

Digitized by Google

AD CAPVT I. PROVERBIORVM SALOMONIS GRÆCORVM THEOLOGORVM commentatio.

Parœmia Salomonis, filij Dauid, qui regnauit in Iſraël. 1. Verſ.

OLYMPIODORVS.

TRIA Salomonis opera feruntur. Ex his *Prouerbiorum* liber morum diſciplinam tradit, certaſque humanis actionibus, animique affectibus & perturbationibus leges præfinit. *Eccleſiaſtes* verò rerum naturalium ratione obiter delibata, præſentis vitæ vanitatem ob oculos ponit. *Canticum* autem *Canticorum* ſub ſponſi & ſponſę ſchemate, perfectioris vitæ viam oſtēdit, animæque cum Deo, eiuſdemque Verbo familiaritatem deſcribit.

Parœmia.

Scriptores profani *Parœmiam* ſermonem popularem, & quaſi triuialem definiunt: cuiuſmodi is dici haberique poteſt, quem iter facientes inter ſe conferunt. Siquidem οἶμος hominibus Græcis idem ſonat, quod Latinis *via*. Apud eos autem, qui ſacra tractant, *Parœmia* vel *Prouerbium* eſt ſermo, qui ſub modica verborum obſcuritate grauem aliquam ſententiam complectitur, eáque ratione le- *Quid Parœmia & unde dicta.*

gentibus vel audientibus vſum adfert non vulgarem. Atque illud CHRISTVS diſert confirmat: *Hæc in Prouerbiis locutus ſum vobis: venit hora, cùm iam non in Prouerbiis loquar vobis, ſed palam.* Prouerbialis itaque ſermo non directè & perſpicuè quo tendit, aperit, ſed obliquè & ſubobſcurè, vt cùm dicitur: *Dulce inexpertis bellum: Auxilium poſt conflictum: Stilla aſsiduo lapſu cauat lapidem.*

Ioan. 16.

DIDYMVS. Prouerbialis ſermo alio nomine *Paræmia* vocatur. Nam cùm initio viæ in milliaria (vt Romani appellant) necdum eſſent diſtinctæ, priſcæ ætatis homines per certa itinerum interualla ſigna defigebant, iiſdemque aliquod Problema vel Apophthegma, vel illuſtre aliquod dictũ adſcribi curabant. Faciebant id autem duplici de cauſa: Harum vna erat, vt viator hinc intelligeret, quantum viæ ſpatiũ emenſus eſſet: altera vero, vt eiuſmodi ſententiam animo verſans, eiuſdemque interpretationi inter proficiſcendum inſiſtens, melior doctiorque euaderet, ſimulq; itineris moleſtiã falleret.

Variæ Paræmiæ deſcriptiones.

EIVSDEM COM. Vel *Paræmia* eſt oratio, quæ per res ſenſiles ea indicat, quæ ſub ſenſum non cadunt, ſed ſola mente perſpiciuntur: Aut, eſt ſermo incertum per certum patefaciens: Aut, oratio modo occulto veritatem oſtendẽs. Vt ea enim, quæ in myſteriis aperta, ſenſibuſq. obiecta ſunt, adytis, aut ſeptis, aut velis obteguntur & adumbrantur. non quod viris bonis eiuſmodi ſpectaculũ quiſquam inuideat, (profani namque hinc omnino

nino arcendi ſunt) ſed quòd opportunum oſtendendi tempus exſpectetur, (ſiquidem ſubitus earum rerum conſpectus plus ſæpe detrimenti, quam commodi adferret :) ita quoque arcana, quæ in ſermone latent, per verba quædam obſcura, nonnunquam occultantur, non vt ſtudioſe indagantes perpetuo ea neſciant, verum quo illa quæ obſcure alioqui & confuſe dicta erant, ſtudioſa indagine poſtea inuenta, ſalubrius diutiuſque poſſideant. *Cur myſteria abdantur.*

HIPPOLYTVS. *Parœmia* ſunt ſermones exhortatorij ad omnem vitæ viam recte inſtituendam commodi: ſiquidem iis, qui mentis affectu recta ad Deum tendũt, iter oſtendunt. Habent ſe enim inſtar viarũ indicum, qui itineris moleſtia & longitudine defatigatos recreant nonnihil & refocillant. *Sententia vijs adſcripta.*

DIDYMVS. Sententiæ hæ Salomonis, *Parœmia* nomine deſignantur, quia huiuſmodi gnomæ & Apophthegmata ad publicas vias olim affigebantur. Etenim cum veritatis rationem non omnes curarent, ad illorum vtilitatem, vitæque inſtitutionem, qui iter faciebant, grauem aliquam ſententiam publicis viarum indicibus veteres ſapientes adſcribebant, quo vel obiter prætereuntes ſenſum illorum inueſtigarent, inueſtigandoque & hauriendo eruditiores & ſanctiores euaderent. οἶμος namque Græce idem ſignificat quod Latine *via*. Sunt qui *Parœmiam* hunc in modum definiant: *Parœmia* eſt dictum triuiale, quod ab vna aliqua notione

ad plura transferri poteſt. Verum de nomine & *Parœmiæ* ſignificatione ſatis.

Salomonis.

HIPPOL. Sunt autẽ Prouerbia hæc non vulgaris cuiuſpiam hominis, ſed *Salomonis*, quod nomen ſi Latinè interpreteris, *Pacificum* ſonat, rectéque conuenit in CHRISTVM noſtrum Seruatorem; ſicut vniuerſa quoque doctrina, quæ à Salomone hic traditur, CHRISTI doctrinæ per omnia eſt cõſentanea.

Quid Salomon ſignificet Latinè.

Filij Dauid.

HIPPOL. Non ſuum tantum nomen libri huius auctor prodit, ſed ſuum quoque ortum & officium: facit id autem nequis cognati nominis homonymia nobis imponat. Tum etiam quo docentis auctoritas, ſingulariſque eiuſdem dignitas, doctrinam hanc commendatiorem reddat, debitamque adeo attentionẽ ab auditore impetret. Sunt enim Prouerbia hæc non cuiuſuis promiſcue, ſed illius Salomonis ad quem Dominus aliquando aiebat: *Ecce, dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, neque poſt te ſurrecturus ſit.* Et quæ alibi de illo ſcripta extant. Erat autem hic *Salomon* apprime ſapiens, nempe ſapientis Dauidis genus ſortitus, & iam inde ab infantia in ſacrarum litterarum ſapientia diligenter inſtitutus: neque ſorte ad imperiũ accitus, aut vi in illud intruſus, ſed certo Spiritus ſancti indicio diuinoque decreto ad regnum euectus.

Cur Salomon & nomen, & genus ſuũ prodat.

3. Reg. 3.

2. Par. 1.

Filij

Filij Dauid.

ORIG. Quin Seruator quoque noſter, Dauidis Filius appellatus eſt: & rectè: nam & pacem cum Deo nobis conciliauit, & ex ſemine Dauid ſecundum carnem deſcendit, & in Hieruſalem regnauit. Quamobrē cum pro humana ſalute œconomiæ ſuæ finem imponeret, eiuſmodi titulo decoratus eſt: HIC EST IESVS REX IVDÆORVM. Iudæi autem ſunt Iſraëlitæ, quorũ tanquam perſpicacium, (ſi tamen veri Iſraelitæ ſunt: neque enim omnes, qui ſemen ſunt Abrahę, genuini quoque eiuſdem Abrahæ filij ſunt, eò quod Abrahæ opera non omnes ſectentur,) pacificus Rex eſt CHRISTVS Dominus.

Cur Chriſtus filius Dauidis appellatus. Math. 1. Rom. 1.

Matt. 27

Cuiuſmodi veri filij Abrahæ cenſendi. Ioan. 8.

Qui regnauit in Iſrael.

OLYMP. Poſteaquam Salomon ſcripturæ huius qualitatem & ſcopum, auctoriſque nomen & ortum expoſuit; nunc eximiam eiuſdem auctoris præëminentiā & dignitatem proponit. Facit hoc autem non vt arrogans, aut ſuperbus quiſpiam oſtentator, verum quo operi huic fidem & auctoritatem comparet. Neque enim illud: *Qui regnauit in Iſrael*, otioſe aut caſu poſitum exiſtimandum eſt. Nam vt alia omittantur, cōfert hoc non parum ad ſubmouendam omnem de germano ſcripti huius parente dubitationē. Oſtendit adhæc quiſnam populi illius tantopere celebrati & decantati Dux & Princeps, aliquando extiterit. Denique ad demonſtrandum & perſuadendum doctrinam

Cur Salomon & nomē, & genus, & munus ſuum exprimat.

Digitized by Google

quæ hic traditur grauem, veram & ſolidam eſſe, plurimum valet, auctorem illius regia auctoritate & dignitate excelluiſſe. Si enim nihil aliud eſt regnum quam iuſta quædam legitimaque principatus adminiſtratio, fit vt Regis præcepta eiuſdemque leges & ſtatuta (modo tamen regia appellatione indignus non ſit) plurimum æquitatis publicæque vtilitatis adiunctum habeant, neceſſarioque habere debeant. Iuſtæ autem leges eæ cenſeri ſolent, quæ non ad priuatum legiſlatoris quæſtum, ſed ad communem omnium vſum & commodum feruntur. Debet enim Rex ſpectare non quid è re ſua, ſed quid è communi omnium vſu eſt. Siquidem vno hoc Rex differt à Tyranno; quod hic oculum in priuatum quæſtum nuſquam non defixum habeat; ille vero, quid è ſubditorum cõmodo futurum videatur, accurate vbique conſideret: Rex igitur ſi iuſtus fuerit, quid cõmunitati prodeſſe poſſit ſemper quærit.

Quid propriè ſit regnũ.

Cuiuſmodi cenſeantur bonæ leges.

Quid inter tyrannum & Regẽ interccdat.

Basilivs. Myſticè Regnum Iſrael eſt liber ſpiritalis, doctrinam de Deo, diuináque prouidentia, deque rebus corporatis, & corporis expertibus comprehendens. Aut certè eſt eiuſmodi ſcientia, quæ circa moralis & rationalis Philoſophiæ conſiderationem occupatur.

Quid regnũ Iſraël ſit myſticè.

Verſ. 2. *Quæ faciunt ad cognoſcendam ſapientiam & diſciplinam; nec non ad intelligendum verba prudentiæ & capiendum ſermonum inuolucra, & ænigmatum ſolutiones: tum*

tum ad dignoſcendum iuſtitiam veram, & iudicium rite moderandum: ad dandum denique ſimplici aſtutiam, & puerò rudi ſenſum & intelligentiam.

Ad cognoſcendum ſapientiam & diſciplinam.

AVCT. CATENÆ. Quæcũque toto hoc volumine exponuntur, ea omnia ad ſapiẽtiæ & diſciplinæ cognitionẽ; ad prudentum ſermonum intelligentiã, orationumque flexus, & ſermonum inuolucra: ad veræ iuſtitiæ præcepta, riteque iudicandi ſcientiam; ad Parabolicæ locutionis explanationem, ad verborum tandem ſapientum & ænigmatum interpretationem, veluti ad generalia quædam capita, referuntur: Quinimo omnia vno *ſapientiæ & diſciplinæ* verbo ſummatim deſignata videntur.

Quid toto Prouerbiorũ libro exponatur.

OLYMP. Ceterum *ſapientia & diſciplina* præpoſtere hoc loco aſſignantur. Nam vt ſapientiam aſſequamur, erudimur & inſtituimur. Scopus enim & finis diſciplinæ eſt ſapientia. Sapientia porro, vt quibuſdam placet, ex diuinis operibus hauritur: diſciplina vero certis legibus & regulis deſcripta continetur. Hæc proinde eget auditu ad percipiendum; illa viſu ad contemplandum, vtraque autem ingenij vim depoſcit. Secundum alios diſciplina eſt quædã laborioſa, & cum pœna coniuncta inſtitutio; qua proinde humanus animus, non modo ab ignorantiæ ſordibus repurgatur, verùm à cõcretis quoque vitiis & morum næuis expiatur. *Sapientia* autem

Quid interſit inter ſapiẽtiam. & diſciplinã

Quid diuina ſit ſapientia. autem eſt diuinarum humanarumque rerum ars & comprehenſio. Eodem *Sapientiæ* nomine ſciẽtia de Filio Dei, & ſacra Triade, deque diuino iudicio & prouidentia interdum quoque denotatur. Sunt qui *Sapientiam* corporum & corporis exortium iudiciique & prouidentiæ quæ in his & ex his ſpectatur, cognitionem definiant. Doctrinam autem vel diſciplinam aliud nihil eſſe tradunt, quam quandam animæ moderationem circa patibilem rationiſque expertem ejuſdem animæ partem.

Quo ſenſu ſapientia tribuatur Dei filio At ſublimiori conſideratione *Sapientia* eſt quidam diuinæ virtutis & ſapientiæ afflatus; aut purus quidam diuinæ gloriæ & maieſtatis defluxus. Neque enim quicquã omnino obſcurum aut caliginoſum in illam cadit. Eſt namque ſplendor æternę lucis, & impollutum diuinæ virtutis ſpeculũ, expreſſaque diuinæ bonitatis imago. Qui igitur vera *Sapientia* imbutus eſt, hæc omnia explorate cognoſcit. Iſthæc autem comperta habere, haud aliud eſt, quam diuinæ dilectionis filium, eamque Sapientiam, quæ *Chriſtus* eſt, noſſe. *Chriſtus* enim Dei virtus, & Dei Sapientia eſt. Illud vero myſterium non reuelatur à carne, aut ſanguine, ſed à cœleſti patre. Sapientia denique ille recte imbutus dicitur, qui ſacras Scripturas, hoc eſt legalia, & prophetica oracula; Euangelica rurſum & Apoſtolica eloquia, accurate tenet.

1. Cor. 1.

Matt. 16.

ALIVS. Et qui diuinarũ rerum ſtudio incũbunt, & qui artibus moralique diſciplinæ

dant

dant operam, ſapientia imbui dicũtur; adeoq́ue duplex eſt ſapientia: vna diuina, quæ obiter iam expoſita eſt; altera humana, quæ aliud fere nihil eſt, quam vſus & experientia circa eas res, quæ ad humanæ vitæ cõſeruationem, & moderationẽ, ſunt vtilia vel neceſſaria. Et vt duplex eſt ſapiẽtia, ita duplex quoque diſciplina. Vna laborioſa, ſed animę ſalutaris & commoda, quippe quæ illam à peccatorum maculis & inquinamentis expurget. Hæc quod pœnæ & moleſtiæ expers non ſit, in pręſenti vita, triſtitiæ verius, quam lætitiæ cauſam adfert. Interim iis qui progreſſus in ea fecerunt, probeq́ue exercitati ſunt, cedit tandem in ſalutem. Hanc iuſti, quod exitus illius vſum, compertum habeant patienter ſuſtinent. Dicunt enim: *Erudi me Domine, verumtamen non in ira, ſed in iudicio.* Huc ſpectat illud Prophetæ: *Diſciplina Domini aperit aures.* Et illud rurſum Salomonis: *Accipite diſciplinam, & non argentum.* Senſus enim eſt: Incommoda quæ in vita accidunt, forti animo ſufferte: & ob peccata quæ admiſiſtis, caſtigati, pro ſe quiſque dicat: Diſciplinam agnoſcam & iram Domini portabo, quia peccaui illi. Altera autem circa artium & diſciplinarum perceptionem occupatur. Ad hanc pertinet illud Exodi: *Eruditus eſt Moyſes in omni diſciplina Aegypti.* Quin hęc ipſa quoque diſciplina eiuſmodi eſt, vt magnum momentum ad ſalutem adferre queat, ſi quis bene ea vtatur.

Duplicem exſtare ſapientiã: vnam diuinam; alteram humanã, & duplicem itidẽ diſciplinam.

Hier. 10. 24.

Eſaia 50. 5.

Prou. 16. 16.

Exodi 2. Actc. 7.

Mũdana ſcientia cõfert ad ſalutẽ ijs qui bene illa vtuntur.

Tandem quod Græci, hoc eſt pagani & hære-

Pagani & heretici vera ſapientia deſtituũtur. hæretici quoque *Sapientiam & diſciplinam* polliceantur; neque illam tamen veram exhibere valeant; vt qui rectam veritatis rationem manifeſtè repellant: alijque & alij, alio & alio modo eandem vſurpent, propterea Salomon non quamuis, ſed *veram*, & ab omni errore alienam diſciplinam & ſapientiam hic promittit: ne quis forſan vocis homonymia deceptus, in illorum doctrinam, quæ vera & certa non eſt, imprudens incidat. Etſi vox hæc *vera*, in commentariis habeatur, *Vt & in Hebræo, teſtante inf. Origine ad verſ. 3.* in vulgata tamen LXX. editione deſideratur, at verum tamen eſt quod hic aſſeritur. Sacra enim ſola ſcriptura ab omni errore & næuo eſt prorſus vacua.

Ad intelligendum verba prudentiæ.

Quid ſignificetur per verba Prudentiæ & intelligẽtiæ. AVCT. CATENÆ. Verba *prudentiæ & intelligentiæ* pro certa veri Dei verarumque proprietatum eiuſdem notitia, vſurpari hoc loco videtur: Salomon namque plurima hoc libro Dei, diuinæque maieſtatis idiomata attingit. Nam & Dei gloriam immenſam, omnique oratione ſuperiorem aſſerit. Gloria inquit Dei omnium fugit orationem. Ponit adhæc ſingularem eiuſdem circa res omnes curam & prouidentiam: vt, *Oculi domini in* *Prou. 15. 3.* *omni loco contemplantur bonos & malos*, multaque alia ſimilia. Quin perſpicacem quoque omniaque penetrantem iudicatoriam illius virtutem non amittit. *Impiorum* ait, *victimæ, & oblationes abominabiles ſunt coram Domino*, & quæ ſequuntur. *Prou 15. 8.* Tandem infinitam illius in operando vim, & energiam paſſim ob oculos

ponit,

ponit, etſi iſtuc non omnino abſolute; nec enim Deum omnia ſimpliciter; ſed omnia in Verbo, & per Verbum, & Sapientiam, hoc eſt per Filiū condidiſſe aſſerit. *Deus,* ſcribit, *per ſapientiam fundauit terram.* rurſum. *Quando præparabat cœlos, cum ipſo eram cuncta componens.* Hæc aliaque id genus complura Sapiens in hoc volumine, quæ omnia apertum diuinitatis teſtimonium filio perhibent. *Ca. VIII. 31. Liber Prouerb. præclara Chriſti diuinitatis perhibet teſtimonia.*

BASILIVS. Prudentia eſt bonorum, & malorum & neutrorum, ſeu medio modo ſe habentium. Serpentis prudentia (ad quam Chriſtus Dominus alicubi nos hortari videtur, ſicut ad iniqui quoque villici cautionem) eſt proprij commodi cura cum proximi incommodo, & fraude coniuncta: ſerpens namque ob id prudens dicitur, quod caput ſuum ne verberibus pateat, prudenter abdit: ſic iniquitatis villicus prudens itidem appellatur, quia dum propriū compendium conſectatur, ſimpliciores quoſdam in fraudem abripuit. Ille autem vere prudens cenſendus eſt, qui virtutum ſtudiis ſemper intentus eſt, neque ab ea contētione vnquam deſtitit, aut inde in malitiam abduci ſe ſinit. Quin veræ quoque prudentiæ rationes edoctus, inter humanas actiones falſas à veris, vtiles rurſum & licitas ab inutilibus & noxiis facile diſcernit. *Prudētia eſt omnium & verſatur circa omnia. Matt. 10. & 16. Quis vere prudens cenſendus.*

Ceterum vt duplex ſapientia, ita gemina quoque prudentia aſſignari ſolet; humana vna, altera diuina. Humana ſecundum quid prudentia habetur. Diuina quod perfecta *Vt duplex ſapientia ita duplex quoq; prudētia aſſignatur.*

exiſtat,

exiſtat, abſolute *Prudentia* appellatur. Proinde quando Salomon dicit, *Hominum omnium ſtultiſſimus ſum; & hominis prudentia non eſt mecum.* Rurſum: *Deus docuit me ſapientiam, & Sanctorum ſcientiam cognoui*; indicat neminem ſecundum Deum ſapientem eſſe poſſe, qui ab *humana prudentia*, hoc eſt à mundi huius ſapientia ſe non alienauerit: vt quæ apud Deum mera ſit ſtultitia. Sed & ſerpens cunctis animantibus prudentior exſtitiſſe ſcribitur, at non ſecundum Deum ſapiens erat. Erat autem malitia aſtutiſſimus, & ad nocendũ inſtructiſſimus.

Prou. 30. 2. *Sap. 7.* *Gen. 31.* *Mundi ſapientia apud Deũ habetur ſtultitia.*

Rurſum, vt duplex exſtat prudentia, ita duplex quoque ἀκακία, hoc eſt *ſimplicitas* vel *innocentia*. Vna fatua: ſimplex enim, hoc eſt fatuus menteq; deſtitutus, omni verbo credere dicitur. Altera proprie dicta, iuxta quã Dauid dicebat: *Ego autem in ἀκακίᾳ, innocentia vel ſimplicitate mea ingreſſus ſum.* Quin & duplex quaſi πανουργία aſtutia inuenitur. Vna dolis inſtructa & fraudulenta, ſecundum quam ſerpens Euam in aſtutia ſua ſeduxiſſe ſcribitur. Altera bona, quæ eadem eſt cum *Prudentia* vel intelligentia, iuxta illud: *vt ſimplicibus det* πανουργίαν, hoc eſt prudentiam, vel intellectum. Rurſum: *Peſtilenti flagellato inſipiens aſtutior*, id eſt prudentior euadit. Verum de hoc paulo poſt latius.

Pſal. 25. *2. Cor. 11* *Prou. 1.* *Prou. 19. 25.*

ORIGEN. Cum Euangeliſta Lucas iniquitatis œconomum à Domino laudatum aſſerit; hominis induſtriam, ingeniique acumen, & perſpicacitatem commendatam intellige; non ipſum factum aut vitium. Qua-

Luca 16. 8 *Quo ſenſu iniquitatis villicus dicatur laudatus.*

Digitized by Google

ſe laudis vocabulum improprie vſurpauit. Simile quid ſcripturæ, de ipſo etiam ſerpente, qui Euam ſeduxit, inſinuant. Aiunt enim: *Serpens autem erat animantium omnium prudentiſſimus*. Eodem ſenſu dictum eſt: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, id eſt. Ne ſerpentinæ cautionis ſitis expertes. 2.Cor.11. Geneſ. 3. Matt.10.

DIDYM. Noſſe ſermones prudentiæ, propriũ eſt virtutis, id quod ceteri quoque interpretes declarant: aſſerunt enim de Syneſi vel intelligentia verba hic fieri, non etiam de ea prudentia, quæ in callidis, veteratoriiſque ſermonibus poſita eſt.

Ad ſuſcipiendum ſermonum verſutias, & ænigmatum ſolutiones.

OLYMP. Per verborum flexus, ſermonumve inuolucra, *Parœmias* hoc loco deſignare videtur. Nam qui has iterum iterumque animo verſat, atque examinat, ad ſenſum qui abditus in illis latitat, tandem penetrat. Huius generis Parœmiæ eſt illa: *Seruatur à calore filius intelligens, corrumpitur autem à ventis meſſis tempore filius iniquus*. Rurſum: *Cura quæ in agro ſunt, herbas*. Aut verborum ſtrophas eos hic *ſermones* appellat, qui variis figuris ac tropis affecti ſunt. Aut tales ſanè, qui aliud apertè ſonant, aliud certè indicant. Aut verborum ϛροφαὶ ſunt diſputationũ pugnę, ex falſi nominis ſcientia petitæ. Has enim citra vllum detrimentum, omnemque animi moleſtiam is facile excipit, quiſquis in Parœmiarum notitia vel mediocriter verſatus fuerit. Sunt qui per *ſermonum ſtrophas*

Quid per verborum ſtrophas apud Salomonem inſinuetur.

Prou. 10. v. 6.

Digitized by Google

verborum inuerſiones, quales in ſacris litteris extant complures, deſignatas putant; id eſt. *Quoniam tacui*, ſcribit Dauid, *inueterauerunt oſſa mea dum clamarem tota die.* Hæc enim hyperbaton, verborumque inuerſionem manifeſte continent. Cum igitur eiuſmodi ſermones obſcuritatem habeãt, qui ſapientiam, quam Parœmiæ offerunt, hauſerit, facili is negotio occurrentibus difficultatibus & obſcuritatibus obuiam iuerit.

Pſal. 31.

Veritatis oratio ſimplex.

BASIL. Sermo verus, eſt ſimplex, vniuſque formæ, de iiſdem eadem ſemper aſſerens, qui autem arte conſtat, mendax eſt; vtpote variè contortus mireque figuratus. Quo enim lectorem capiat, in mille formas ſeſe conuertit atque transformat. *Parœmiæ* itaque per præcepta & documenta quæ ſubminiſtrant, iis gratificantur & adminiculantur, qui talibus ſeſe opponunt. Etenim cum aliter rerum natura habet, aliter verba, quæ perſuadendi cauſa adferuntur ſonant, conuerſio vel inuerſio committitur. Quod autem verba interdum adferuntur, quæ aliud ſonant, aliud inſinuant, hoc non alia quam tegendæ veritatis cauſa fit. Qui autem ſermonum inuerſione ſtudioſe vtitur, eos quibuſcum agit decipit; & vt vulpes & lepores canes ſolent, eludit; ſiquidem hi alio tendunt, & alio ſe tendere confingunt.

HIPPOL. Vt ille qui Dei ſapientia præditus eſt, ſcientiam & lucem ab illo accipit, per quæ ſermonum myſteria intelligit: ita qui veram illam cæleſtemque ſapientiam

ſemel

ſemel perceperunt, haud magna cum difficultate dicta illius capiunt. Ob id ergo ait: *Ad ſuſcipiendum ſermonum flexus & inuerſiones.* Quæ enim à Spiritu ſancto ex obliquo, & quaſi præpoſtero ordine prolata ſunt, ea ab illis qui cor fidum beneq; erga Deum affectum gerunt, facile intelliguntur.

GEORGIVS. Quæ de ſermonum ſtrophis hic traduntur, ea nonnulli ad verborum hyperbata & anaſtrophas retulerunt; idque haud inconcinnè. Verbo enim ſecundum ordinem inuerſo, aut à dicto, cui cohærebat, auulſo, aut à media ſententia ſublato, contingit hyperbaton: quod alio nomine *ſtropha*, ſiue *orationis inuerſio* appellatur. Orationis autem ordine rurſum immutato, quæ *ſtropha* vocabatur, in anaſtropham conuertitur. Exemplo rem declaro. Apud Pſalmiſtam ita legimus: *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Legitima orationis ſerie ad hunc modũ dictum oportuit. Quoniam quod tota die ad te clamaſſem, tandemque ſilui, inueterauerunt oſſa mea. Vult namque arefactionis cauſam per hæc exprimere: ſenſus enim eſt, ob id oſſa mea exaruerunt, quia ceſſaui ad te clamare, te laudare, te inuocare. Quando enim nomen tuum laudabam & inuocabam, ô Deus, tunc impinguabantur oſſa mea. Multa alia eiuſmodi compereris, ſi Scripturas ſacras diligenter euolueris.

Qui, & quot modis cõtingat hyperbaton.

Pſal. 31.
Pſalmi locus explanatur.

EPIPHAN. Quæ circa Chriſtum acciderunt, ea ſermonũ *ſtrophas* aut inuerſiones

Cuiuſmodi rerum ſtropha in Christi incarnatione acciderunt.

hoc loco vocat. Nam & carnis expers, incarnatur: & inaſpectabilis, ſub aſpectum venit: & impatibilis, carne patitur: & immortalis, noſtri cauſa moritur: nempe quo immortalitatem nobis largiretur. Eiuſmodi autem rerum rationumque inuerſiones, omnes qui in Christum credunt ſimpliciter, citra vllam prorſus curioſitatem, aut hæſitationem admittant, oportet; quo hinc edocti Dei filium veram per hæc iuſtitiam adminiſtraſſe, verumque iudicium exercuiſſe intelligant. Etenim qui omnia, antequam fiant comperta habet, is ante mundi conſtitutionem è cælis deſcendere, carnemque ſuſcipere, & ſecundum legis præſcriptum circumciſionem ſubire, verbiſque, & operibus, & patientia, & humilitate, & benignitate, & excellenti caritate homines docere inſtituerat; quò nimirum vitæ puritate Deum in terris imitati eidem placerent, boniſque ſempiternis ea ratione potirentur; nec non immortalitatis & incorruptionis heredes per mortem illius euaderent.

Ceterum de ænigmatis porró ratione, eorundemque ſolutione ſuo poſtea loco ex inſtituto.

Ad

Ad intelligendam iuſtitiam veram.

AVCT. CATEN. Duplicem iuſtitiam exſtare diſerte hic indicatur; veram vnam, falſam alteram, Vera ex Deo, falſa ex homine, vel dæmone eſt, Ad hanc pertinet illud Apoſtoli: *Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſua ſtatuere quærentes, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Et alio rurſum loco ita concionatur diuinum eloquium: *Eſt iuſtus, qui in iuſtitia ſua perit.* Perit autem non quia iuſtus, ſed quia cum iuſtus non ſit, externa tamen facie, iuſtitiæ ſtudium præ ſe gerit. *Iuſtitia* autem eſt actio, vnicuique pro meritorum ratione, quod ſuum eſt, diſtribuens. Hac qui ornatus eſt, ad eum modum à Deo illuſtratur, vt omnia iuſtè iudicet, recteque diſcernat: quandoquidem veræ iuſtitiæ, recte iudicandi, probeque diſcernendi ſcientia adiungi ſolet. Eſt namque non parum difficile quæ ſubinde incidunt, controuerſias rectè dirimere, ſaneque dijudicare, ſi ante iuſtum & æquum accurate edoctus non fueris. Alias præſens hic locus eos comprimis redarguit, qui cum veram iuſtitiam non habeant, ſed ementitam tantum iuſtitiæ laruam extrinſecus aſſumpſerint, veram tamen ſeſe habere glorientur, ad quos ſpectat illud Pſalmiſtæ: *Si vere*

Duplex Iuſtitia, & vnde vtraque fluat.

Rom 10.

Eccleſ. 7. 16.

Quid ſit Iuſtitia, & quod illius munus.

Iniuſtus ægre iuſtè iudicat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pſal. 57. *igitur iuſtitiam loquimini, recte iudicate filij hominum.*

DIDYM. Sapiens peculiarem veræ iuſtitiæ mentionem hoc loco facit; quandoquidem iuſtũ non eo modo vſurpatur apud omnes. Sunt enim qui iuſtum in eo præcipuè poſitum exiſtiment, vt integrè illud reſtituatur quod tuto aſſeruandum alterius fidei commiſſum fuerat. Alij in eo, vt malum malo;& bonum rurſum bono compenſetur. Hæ autem, vt aliæ itidem nonnullæ, iuſtitiæ definitiones, non ſunt exactæ. Quamobrem operis huius auctor iuſtitię rationem in eo potiſſimum ſitam inſinuat, vt vnicuique quod ſuum eſt, integre tribuatur, maximè verò vt Deo, quod Dei eſt. Hinc illa: *Dominum ex iuſtis laboribus honora: Regem obſerua; Parentibus quod æquum eſt praſta, & cæteris denique omnibus, quod æquitatis ratio poſtulat impertiri cura.* Et hic quidem eſt primus iuſtitiæ modus, ad ſalutem omnino neceſſarius, Proximus eſt, vt anima eo ſtudio eaque diligentia, in omni moderatione & æquabilitate ſeſe conſeruet, vt nulla ſui parte ad iniquitatem, aut aliquam omnino inęqualitatem inflecti ſeſe ſinat. Itaque pars illa animæ, quæ ratione valet, illud Sapientis dictum ſibi putet: *Ne te comprehendat conſilium malum*; cuiuſmodi eſt, quod iuuentutis diſciplinam deſerit; ſed cum ſapientum cõſilio fac omnia. Item cogitatus tui, ſint iudicia; ita nimirum vt vnuſquiſque ſeipſum iudicare ſciat, omneque conſilium & votum ſuum

Iuſtũ non eodem modo apud omnes vſurpatur.

In quo iuſtitia ratio præcipuè ſita.

Duplex iuſtitiæ modus.

ſuum ad bonum honeſtum dirigat. Siquidem omne iuſtorum deſiderium honeſtum eſſe ſolet. Pars autem iraſci nata, iracundorum conſortium vitare hinc diſcat: *Noli*, ait, *amicus eſſe viro iracundo*: & aliæ item animæ partes, alia documenta hinc hauriant. Ad eum itaque modum vnuſquiſque ſeſe componens, veram rerum notitiam, veramque iuſtitiam facile conſequetur. *Prou. 22. 24.*

CHRYSOST. *Iuſtitia* eſt habitus vel actus laudabilis, vnicuique pro dignitate, vel meritorum diſtribuens ratione. Illud autem cõſequi perdifficile eſt illis, qui prudentia deſtituti animi perturbatione adhuc detinentur. Sunt autem qui iuſtum ob id negligant, quod magnis opibus valentes, in manifeſta iniuſtitia deprehenſos, pro officij ratione reprehendere non audeant. Alij rurſum, qui æquum & iuſtum infringunt, quod priuatum commodum honeſto anteponant; alij tandem qui alia cauſa moti, contra iuſtitiam & æquitatem committunt. Ne ergo in eiuſmodi incõmoda incidamus, *Parœmiarum* notitia largitur. Tradit hæc enim veram omnique fuco carentem iuſtitiam. Præſtat adhæc vt exteros, qui captioſa commenta de illa in medium nonnunquam adferunt, ſolide reuincere, palamque redarguere valeamus. Præterea cum pagani fideque & religione deſtituti homines multa paſſim abſurda, & ab omni prorſus honeſtate ac æquitate aliena teneant, publiceque propugnent, comperiuntur enim qui parri- *Variæ sũt cauſæ cur æquum & iuſtum interdum negligatur.* *Multa abſurda i. e. Iuſtitia commenti Pagani.*

cidium tacitum ſtatuunt. Alij, qui nullum omnino, tametſi ſceleratiſſimum è medio tollendum contendunt. Quidam rurſum qui perpetuò continendum doceant; nonnulli tandē, qui in familiariſſimos quoſque furiosè ſimul & libidinosè inſaniant. Vera iuſtitia ab omnibus hiſce portentis, flagitiis, & iniuſtitiis liberat. Denique Prouerbiorum doctrina viam nobis aperit, vt aperte intelligamus, clareque videamus, non eandem pœnam in illos ſtatuendam qui voluntariè peccant, & illos qui inuoluntariè in peccatum aliquod prolabuntur. Tum grauius eorum eſſe delictum, qui in honeſtis diſciplinis, moribuſque Chriſtiano homine dignis perpetuo educati, ab honeſto aberrāt; quam illorum, qui nihil vnquam de morum diſciplina, aut Chriſtiana religione audiuerunt. Hi enim naturalia tantum virtutum ſemina acceperunt, illi vero omnem iuſte operandi occaſionem, ſtudio neglexerunt. Myſticè autem vera Iuſtitia eſt CHRISTVS: hic enim factus eſt nobis à Deo Sapientia, & Iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. *Parœmiæ* igitur, (in quibus qui eruditus eſt, accuratori Theologiæ tuto deinceps incumbere poteſt) veræ Iuſtitiæ rationem nobis tradunt.

Quid Prouerbiorum doctrina homini præſtet.

1. Cor. 1. 30.

Chriſtus eſt noſtra Iuſtitia & ſapientia & per ſe iuſtitia.

ORIGEN. Videtur vera Iuſtitia adſimulatæ, vel imaginariæ iuſtitiæ diſtinctionem hic poni. Ipſa autem per ſe Iuſtitia eſt CHRISTVS, cuius participatione, in quouis iuſto iuſtitiæ imago exiſtit, quæ proinde

ad

ad CHRISTVM tanquam ad exemplum reſpicit: de qua Iuſtitia id opinor ſcriptum eſt: *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* Secernitur quoque vera Iuſtitia Chriſtianorum à ſymbolica iuſtitia Iudæorum. Multa enim in veteri lege iuſtitiæ ſymbola exſtabant. Diſtinguitur tandem vera iuſtitia à falſa. In contextu Hebræo, & aliis quibuſdam exemplaribus, epitheton, *vera* deſideratur, ob id forſan quod iuſtitia, vt eiuſmodi, talem diſtinctionem non admittat. Quod enim vere tale non eſt, ſimpliciter non eſt tale.

Pſal. 10. 7 *Iuſtitia vera non modo ſecernitur à falſa, veram etiam à ſymbolica & ſimulata. Sup. ad verſ. 2.*

Ad rite moderandum iudicium.

OLYMP. Nullus veræ Iuſtitiæ ignarus, recte vnquam iudicauerit, aut cõtrouerſias diremerit. Sed nec Salomon quoque iuſtè inter meretrices iudicaſſet, niſi æquitatis rationes probè tenuiſſet, riteque obſeruaſſet. Neque nos tandem vitæ huius actiones, & munia recte vnquã diiudicaremus, niſi recti iudicij vim quaſi quoddam virtutum ſemen à natura inſitum haberemus. Secundum hanc enim vim, & virtuti obtemperandum, & malitiæ obſiſtendum iudicamus.

3. Reg. 3. 16. *Iuſtè iudicaturus iuſtus ſit oportet.* *Homo virtutum ſemina à natura habet inſita.*

GEORG. Iudicandi vis triplex ineſt in nobis, ſenſus nimirum, & ratio, & mens, quæ eſt rerum à natura abſtractarum; ſicut ſenſus corporum, & rerum corporatarum, & ratio connexorum & conſequentiarum. Recte autem diſcernit, iudiciumque moderatur, qui diuina gratia præ ceteris cumulatus eſt. Vt enim homo inoffensè incedat, à Deo dirigatur oportet. Nam quomodo in-

Triplex vis iudicandi homini eſt impreſſa.

 firmus,

firmus, mortique obnoxius vias ſuas per ſe cognoſcere, & inoffenſe dirigere valeret? Sunt qui recti ratione iudicio adiũgant. Etenim, vt nullus iniuſtus iudiciũ; ita nullus obliquus rectitudinẽ habet. Per *rectitudinẽ* autem nonnulli virtutem, per *obliquitatem* verò vitium vel malitiam deſignatas, putant.

Qui cēſendi ſunt rectè iudicare, & quæ ad æquũ iudicium neceſſaria.

ALITER. Rite iudicat, rectumque iudicium exercet, primo quidem qui iuſte, diuinæque legi conſentaneè iudicat, iuxta illud: *Aperi os tuum verbo Dei, & ſane iudica omnia.* Deinde vero, qui prius ſe ipſum explorat & iudicat, quam de altero ſiniſtrũ iudicium ferat, hoc eſt, qui à ſeipſo ea ſubmouere ſtudet, quæ in altero culpat, vel condemnat: exempli cauſa ſi ad iram facilis eſt, prius ſeipſum contineat & increpet, quam alteri eo nomine inſultet. Si intemperans aut libidinoſus, carnis laſciuiam nimium ſeſe offerentem refrenet: Si ignauus mentem ſtertentem, & quaſi ſupinè iacentem, excitet, taliq́ue oratione eam compellet: *Quouſque piger ſtertis?* in ceteris denique vitiis idem obſeruet; nempe vt prius ab illis ſeſe expurget & liberet, quam alios de hoc vel illo temere incuſet, vel condemnet. Poſtremo autem recte ille iudicat, qui conſilium, quod alteri præſtat, iſte primum obſeruat.

Prouer. 6.

Vt det ſimplicibus aſtutiam.

BASIL. Hoc eſt, vt illis, qui ſimplici innocentique corde Deo adhærent, donet prudentiam. Aduerte autem ἀκακίας, vel *ſimplicitatis* vocabulum, bifariam vſurpari: Nam

Nam & immunitas à peccato, iudicio & ratione perfecta, ἀκακία ſimplicitas vel innocētia appellatur, & is rurſum ἄκακος innocens vel ſimplex vocatur, qui propter infantiam, vel agreſtem vitæ inſtitutionem, nullam adhuc peccati experientiam habet. Comperias enim nonnullos adultos alioqui, qui præ nimia ruditate, quorundam vitiorum nullam prorſus notitiam tenent, nedum vſum aut experientiam. *Innocētia & Simplicitatis duplex in Scripturis eſt vſus.*

ALITER. Improbitatum ignarus improborum aſtutia facile capitur, vt qui doli ſit expers, ſuaque natura, ſimplex & rudis. Ceterum vox hæc ἀκακία ſimplicitas, in malam quoque partem interdum accipitur: vt cum dicitur: *Simplex* hoc eſt, rerum rudis & tantum non fatuus, *credit omni verbo.* Et ſubditur ibi: *Aſtutus autem venit ad pœnitentiam;* deteſtatur enim illa, quæ temere crediderat. Ακακίαν porro, de quo hic ſermo eſt, Apoſtolus fauſto nomine ἁπλότητα ſimplicitatem vocat. Scribit enim: *Timeo ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Igitur qui maligni Dæmonis verſutiis capi non volunt, illi ſecundum ſe quidem inſtar columbarum ſimplices ſint oportet. At vero contra eiuſdem inſidias, prudentes ſicut ſerpentes. *Malitia*, ait Paulus, *paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti.* Duplex eſt itaque *ſimplicitas vel innocentia.* Vna, vt iam dictum eſt, vituperabilis; altera vero laudabilis, iuxta illud: *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum.*

Improbitatis ignarus facile improborū aſtutia capitur.

Prou. 14. 15.

2. Cor. 11.

1. Cor. 14

Pſal. 25.

DID.

DIDYM. Apud prophanos ſcriptores omnis omnino πανοῦργος *aſtutus, malus & improbus* habetur; apud ſacros autem non omnis. Differunt autem πανουργία vafritia, & πανουργία dolus vel malitia. Siquidẽ πανουργία eſt ius vel facultas quiduis indiſcriminatim induſtriè vel dextrè agendi; κακουργία autem ad malum refertur. Eſt enim conatus vel ars mali quippiam callide patrandi. Quia ergo πανοῦργος bona & mala ex æquo operatur, fit vt nomen hoc πανουργία in ſacris & bonam & malam operationẽ promiſcuè ſignificet. Bona, exempli cauſa, fuit Hebræorum πανουργία aſtutia, qua aurum & argentum non modicũ Ægyptiis ademerunt. Nam & iuſtam laborũ mercedem citra vim extorſerunt, & materiam, præterea ad conficiendum & exornandũ tabernaculum idoneam compararunt. Bona quoque aſtutia vſę ſunt obſtetrices Ægyptiæ: ſiquidem maſculos Hebræorum fœtus vitæ ſuperſtites conſeruarunt. Honeſta fuit itidem Rebeccę aſtutia, qua cautè vſa illuſtrem filio ſuo Iacob benedictionem ab Iſaco impetrauit. Sed nec mala quoque fuit aſtutia Rahab, qua Iſraelitici populi exploratores in viuis conſeruauit. Neque improba tandem erat aſtutia Rachelis, per quam patrem ab idolorum cultura liberauit. Mala porro & improba fuit aſtutia Abſolonis, qui ſub benedictionis ſchemate, Regis ſubditos aduerſus parentem ſuum Dauidem concitabat. Hic autem aſtutia in bonam partem accipitur.

Quid intercedat inter πανουργίαν & κακουργίαν.

πανουργία aſtutia in ſacris, in bonã ſæpè partem accipitur.

Exod. 12

Exod. 1.

Geneſ 27.

Ioſue 2.

Geneſ 31

2. Reg. 15.

Puero-

Puero autem rudi ſenſum & intelligentiam.

APOLLINARIVS. Indoctos, inquit, mentemque incautam & inexercitatam adhuc habentes, prudentes efficiet. Illos porro qui etiamnum iuuenes ſunt, adeoque doctrina & inſtitutione egent, ſi libri huius lectioni diligenter, vt par eſt animũ adiunxerint, ſapientes reddet. At cur, ais, *ſenſum cogitationi* hoc loco præmittit? Facit hoc quo cõuenientem puerilis inſtitutionis modum oſtendat: quandoquidem ſi pueri & iuuenes, ab iis quæ ſub ſenſus iudicium veniunt, exorſi ad illa quæ animo tantum cernuntur mentem paulatim tranſtulerint, euadant & ipſi ſapientes & eruditi. Aduerte hoc loco licet *pueri* nomen trifariam vſurpari cõſueuerit; (refertur enim ad liberos, ad famulos, ad ætate adhuc teneros) ſic tamen quod non abſolute ponatur, ſed cum adiuncto; additur enim *nouo*, vel *rudi*, de eo commodius exponi, qui ætate, vel ſcientia adhuc puer eſt, quam de famulo aut filio. Aduerte denique quod Septuaginta Interpretes de *ſenſu* & *intelligentia* hic tradunt, hoc Theodotionem per *notitiam ratiocinatione comparatam* reddidiſſe.

Quis cõmodus puerilis inſtitutionis modus & ordo.

Pueri *nomen tri fariam vſurpatur.*

ALITER. Ceterũ quod de puero nouo, hoc eſt rudi & imperito hic aſſeritur, poteſt hoc ſublimiori ſenſu ad illos haud incommode referri, qui per regenerationis Sacramentũ in CHRISTO innouati ſunt. Eiuſmodi enim veluti infantes peccatorum ſordibus adhuc exortos, ſenſum & intellectum bonum

Quo ſenſu regenerati appellentur infantes *vel* pueri.

bonum ſuſcipiunt, iuxta illud CHRISTI *Nisi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matt. 18.

POLYCHRON. Doctrina & ſapientia, quæ hic traditur, illis qui iuuentutis gratiam nacti, neque ſæuæ malitiæ iugum, experti adhuc ſunt, aſtutiam & prudentiam impertit. Ex rudibus rurſum & indoctis ſapientes efficit; & illis tandem, qui quod ad animi institutionem attinet, etiamnum infantes ſunt, ſenſum largitur præſentium, & futurorum intelligentiã: ita vt hæc quidem conſectari velint & poſſint; illa vero aſpernari, & in poſtremis habere.

Quid Parœmię præſtent rudibus & imperitis.

IVLIANVS. Præſens opus nullum externo homini corporeum ſenſum præſtat: ſiquidem corporei ſenſus vna cum ipſo homine oriuntur. Aſt quia iuxta D. Pauli doctrinam, duplex eſt homo, *interior* vnus *exterior* alter, fit vt quidam infantilis animi ſtatus in homine obſeruetur: quidam rurſum adoleſcens; quidam tandem adultus vel conſummatus. Igitur Corinthij veluti infantes lacte, hoc eſt primordiali in fidei myſteriis inſtitutione adhuc egebant. Florens autem vel ſecundum ſpiritum adoleſcens ætas eſt, quæ virtutum ornamentis, ad perfectionem gnauiter contendit, ſpirituque ferues ad omne pietatis opus indefeſſe ſeſe extendit. Adultus tandem vel ſenex ſecundum animum eſt, qui conſummatam prudentiam, & ſanctimoniam iuxta Danielis ſermonem, adeptus eſt.

Rom. 7.

Triplex animi ſtatus, infãtilis, iuuenilis & virilis.

1 Cor. 3. Hebr. 8.

IVLI.

IVLI. Allegoricῶs autem eum *pueri* nomine appellat, qui per regenerationis lauacrum innouatus, regno cælorum aptus eſt. Eiuſmodi autem puero recens genito, adeoque lac purum atque rationale expetenti, præſens hoc *Parœmiarum* opus (ſi tamen accurate illud euoluerit, impigreque in illius documentis ſeſe exercuerit) dilargitur ſenſum rerum præſentium, & intellectum futurorum: ita videlicet, vt neque vitæ huius illecebras multum affectet: neque eiuſdem vanitatẽ immoderatè ſtupeat, intentiuſque quam par eſt, amet, verum ad ea quæ æterna ſunt ſeſe accingat. *Quid per puerum allegoricè, deſignetur*

Porro autem vt interiori homini ſuæ ſuppetunt ætates: ita ſui quoque ſenſus, qui ſunt animæ vires. Exemplo id declaro; cum ſapiens dicit, *Adhibe aurem tuam*; animæ audientiam deſignat. Cum vero ait, *Oculi tui videant recta*, eiuſdem viſionem ſignificat. Quando autem exhortando ſcribit, *Comede mel, fili, vt dulcoretur guttur tuum*, cæleſtis guſtum tropicῶs doctrinæ inſinuat. Quin diuina quoque ſapientia ad animæ ſenſus ſpectat: *Dilige illam*, inquit, *& amplexabitur te.* Tandem per animæ olfactum, gratus *Chriſti* odor adnotatur. *In odorem*, ait ſponſa, *vnguentorum tuorum curremus.* Sunt qui per *puerum* nouum hominum ortum accipiant; per *antiquum* autem ſiue *vetuſtum*, Deum: Siquidem is apud Danielem *antiquus dierum* nominatur. *Vt animæ ſuppetunt ſuæ ætates, ita ſui quoque ſenſus.* *Prou. 4. 25* *Prou. 24. 13.* *Cant. 1.* *Dan. 7.*

DIDYM. Vetuſtum appellatur, quod iam antiquatum, ſenioque confectum interitui

Dan. 13. ritui vicinum eſt, iuxta illud: *Inueterate malorum dierum, &c.* tum illud quoque quod ſucceſſionem recipit, & in quadã viciſſitudine poſitum eſt, vt in diuinis litteris paſſim videre eſt. *Paræmia* igitur hominum generi largitur ſenſum & intellectum, hoc eſt, hiſtoriæ & Allegoriæ cognitiones.

Vetuſtatis nomen bifariam accipitur.

Verſ. 5. *Quin ſapiens quoque iſthæc audiens ſapientior euadet. Porro autem prudens, ingenijque ſolertia valens, eam hinc notitiam hauriet, vt & alios gubernare & Parabolas obſcuroſq́ ſermones intelligere, & ſapientum dicta & ænigmata commode poſſit explanare.*

DIDYM. Quia vero imperitorum ſimpliciumq; iuuenũ meminerat Parœmiaſtes, ne hic liber ab iis qui in ætatis flore, aut ſcientiæ apice conſtituti videntur, contemneretur; aut minoris certè quàm æquum eſt fieret: apud ſe namque reputare poterant, in iuuenum tantum & rudium gratiam, hæc conſcripta & edita eſſe, non etiam in virorum & ſapientum. Ob id tanquam ſapiens magiſter, futurorumque præſcius doctor, tacitæ obiectioni occurrit, oſtendens, qua ratione doctrina hæc diligenter verſa, familiariterque vſurpata, non ſolum pueris & inſipientibus, ſed viris quoque & ſapientibus, nec non iis etiam, qui ingenij acumine valent, mentemque firmam & fundatam obtinent, vtilis eſſe poſſit, maxime vero ante

Parœmiarum doctrina in omnem ætatem & hominũ ſtatum conuenit.

Digitized by Google

re perceptam Phyſices ſcientiã. Nam inter cetera ea quoque quæ diuinæ gratiæ ſunt propria hinc haurire licet. dicit ergo: Quiſquis ſapiens inter homines hæc legerit vel audiuerit, ſtudioſeque receperit, & vita expreſſerit, ſapientior erit. Quandoquidem vir ſapiens, quouſque in vitæ huius ſtadio conſtitutus eſt, ſemper progreſſus facere, & merementa ſuſcipere poteſt, hinc illud: *Adauge nobis fidem*. Eſt enim vox hæc diſcipulorum *Chriſti*, qui quidem in fide & doctrina profecerant, attamen ad ſummam fidei perfectionem necdum peruenerant.

Nemo tã ſapiens qui ſapiẽtior euadere non poſsit.
Lucæ 17.5

BASIL. Oſtenditur hic, qui aliarum diſciplinarum gnari ſunt, *Parœmiarum* autem ignari, non parum ſapientiores euaſuros, ſi hanc quoque doctrinæ partem compararuerint. Oſtenditur hic inquam, ſi mundi hu u ſapientes, ſapientiam quæ hic traditur audiuerint, ſuæque mundanæ adiungere contenderint, magnum continuo ſapientiæ merementum ſuſcepturos. Etenim vbi hanc ſemel ex animo deguſtaſſent, inanium vanarumque rerum notitia ſpreta, mendacia vanitatumque portenta, in veritatem mox transferrent. Aduerte autem, non eos tantum inter ſapientes rectè cenſeri, qui ad ſummum ſapientiæ faſtigium iam peruenerunt, ſed illos quoque qui ſapientiæ ſtudio tenentur: tum illos itidem, qui progreſſus in illa non omnino nullos habent. Qui igitur ſapientiam vere amat, vel progreſſionem in illa non pœnitendam fecit, iſthæc

Diuina Sapientia externam ſapiẽtiam mire exornat & perficit.

Sapientiæ ſtudioſus, etſi alioqui ſapiẽs nõ fuerit, inter ſapientes cenſeri poteſt.

Digitized by Google

audiens ſapientior euadet, nempe veritatis dogmata iam nunc edoctus, & à malitia ad virtutem tranſlatus.

POLYCHRON. Quiuis ſapiens diuina eloquia audiens & opere illa exprimens ſapientior efficitur: vtpote à Spiritu ſancto ſuauiter gubernatus prouideque cuſtoditus.

At vir ſollers gubernacula poſsidebit.

ORIGEN. Cum vir prudens rerumque gnarus ſapiens aliquod dictum audit, ſtatim illud laudat, curatque vt ad illud, quod deeſt, iſtuc quoque addatur, idque tam ſecundum theoriam, quam ſecundum praxim: quo hac nimirum ratione omni quandoque ex parte beatus abſoluteq; ſapiens euadat. Deeſt autem humanæ menti, ſi ſecundum ſe ſpectetur, peculiaris Dei gubernatio. Hanc proinde ſi ſapiens nactus ſemel fuerit, nihil amplius graue patietur. Ejuſmodi enim homo recta nauigat ad Deum, tutoque ad voluntatis illius portum appellet. Qui autem ita comparatus non eſt, is vtique aut circa fidem naufragium patietur, aut circa ſpem, aut circa caritatem, aut circa aliquam aliam virtutem. At vero qui circa hęc naufragium paſſus eſt, iure meritoque clamat; *ad maris profunda deueni, tempeſtas demerſit me. Vtinam ab illis qui me oderunt quandoque liberer! vtinam de profundis aquarum eripiar, &c.* Poſſent hæc aliter quoque exponi.

Quid homini præſtet peculiaris Dei gubernatio.

Pſal 68. 3

Ibid. 15.

Cognoſcetque parabolam.

CHRYSOST. Parabola in S. Scriptura non is tantum ſermo dicitur, qui ſecundum

aliquam

aliquam ſimilitudinem inducitur; ſed omnis omnino ſapiens ſermo *Parabola* interdum appellatur. Nam & Balaam aſſumpta parabola aiebat: & Dauid quoque, *Aperiam in parabolis os meum* dicebat; at neuter illorum parabolas exponebat, ſed ſermonem tantum ſapientem. *Parabola vocabulū latè patet.* *Num. 24.* *Pſal. 77.*

BASIL. Parabola eſt oratio, qua exponitur res tanquam geſta, quæ ſecundum literam geſta non eſt; geri tamen potuit, vt: *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Nam etſi iſthæc ænigmaticæs aliò referantur, ad literam tamen non acciderunt. *Matt 13.* *Mar. 4.* *Lucæ 8.*

ALITER. Parabolæ earum rerum ſunt imagines quæ præponuntur. Ex ipſis namque propter ſimilitudinem cognoſcitur id, de quo agitur. Hinc Dominus: *cui comparabo regnum Dei, aut cui parabola aſsimilabo illud.* *Parabolæ* itaque pertinent ad res, quæ per ſimilitudinem exponuntur. Vnde cum Chriſtus Dominus dixiſſet: *Simile eſt regnum Dei, &c.* tandem infert: *Ideo loquor illis in parabolis, &c.* Ad parabolam ſpectat illud: *Sicut exitus niuis in tempore meſsis æſtui prodeſt, ſic legatus fidelis mittentibus eum.* Et illud item: *Sicut venti & nubes, & pluuia clariſsima, ſic qui gloriantur in dono mendacij.* *Mar. 4.7* *Matt. 13.* *Prou. 25. ſec. 70.*

ORIGEN. At quomodo, obiecerit hic quiſpiam, congruunt hæc cum illo Dauidis: *Aperiam in Parabolis os meum;* ſiquidem admirabilia, quæ ordine ibi percenſentur, ea omnia in patrum noſtrorum conſpectu patrata ſunt. Nam Deus mare rubrum vere inter- *Pſal. 77.*

audiens ſapientior euadet; nempe veritatis dogmata iam nunc edoctus, & à malitia ad virtutem tranſlatus.

POLYCHRON. Quiuis ſapiens diuina eloquia audiens & opere illa exprimens ſapientior efficitur: vtpote à Spiritu ſancto ſuauiter gubernatus prouideque cuſtoditus.

At vir ſollers gubernacula poſſidebit.

ORIGEN. Cum vir prudens rerumque gnarus ſapiens aliquod dictum audit, ſtatim illud laudat, curatque vt ad illud, quod deerat, iſtuc quoque addatur, idque tam ſecundum theoriam, quam ſecundum praxim: quo hac nimirum ratione omni quandoque ex parte beatus abſoluteq; ſapiens euadat. Deeſt autem humanæ menti, ſi ſecundum ſe ſpectetur, peculiaris Dei gubernatio. Hanc proinde ſi ſapiens nactus ſemel fuerit, nihil amplius graue patietur. Ejuſmodi enim homo recta nauigat ad Deum, tutoque ad voluntatis illius portum appellet. Qui autem ita comparatus non eſt, is vtique aut circa fidem naufragium patietur, aut circa ſpem, aut circa caritatem, aut circa aliquam aliam virtutem. At vero qui circa hęc naufragium paſſus eſt, iure meritoque clamat; *ad maris profunda deueni, tempeſtas demerſit me. Vtinam ab illis qui me oderunt quandoque liberer! vtinam de profundis aquarum eripiat, &c.* Poſſent hæc aliter quoque exponi.

Quid homini præſtet peculiaris Dei gubernatio.

Pſal 68. 3

Ibid. 15.

Cognoſcetque parabolam.

CHRYSOST. Parabola in S. Scriptura non is tantum ſermo dicitur, qui ſecundum aliquam

aliquam ſimilitudinem inducitur; ſed omnis omnino ſapiens ſermo *Parabola* interdum appellatur. Nam & Balaam aſſumpta parabola aiebat: & Dauid quoque, *Aperiam in parabolis os meum* dicebat; at neuter illorum parabolas exponebat, ſed ſermonem tantum ſapientem.

Parabolæ vocabulũ latè patet.

Num. 24.

Pſal. 77.

BASIL. Parabola eſt oratio, qua exponitur res tanquam geſta, quæ ſecundum literam geſta non eſt; geri tamen potuit, vt: *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Nam etſi iſthæc ænigmaticœs aliò referantur, ad literam tamen non acciderunt.

Matt 13. Mar. 4. Lucæ 8.

ALITER. Parabolæ earum rerum ſunt imagines quæ præponuntur. Ex ipſis namque propter ſimilitudinem cognoſcitur id, de quo agitur. Hinc Dominus: *cui comparabo regnum Dei, aut cui parabolæ aſſimilabo illud. Parabolæ* itaque pertinent ad res, quæ per ſimilitudinem exponuntur. Vnde cum Chriſtus Dominus dixiſſet: *Simile eſt regnum Dei, &c.* tandem infert: *Ideo loquor illis in parabolis, &c.* Ad parabolam ſpectat illud: *Sicut exitus niuis in tempore meſſis æſtui prodeſt, ſic legatus fidelis mittentibus eum.* Et illud item: *Sicut venti & nubes, & pluuiæ clariſſimæ, ſic qui gloriantur in dono mendacij.*

Mar. 4.7

Matt. 13.

Prou. 25. ſec. 70.

ORIGEN. At quomodo, obiecerit hic quiſpiam, congruunt hæc cum illo Dauidis: *Aperiam in Parabolis os meum*; ſiquidem admirabilia, quæ ordine ibi percenſentur, ea omnia in patrum noſtrorum conſpectu patrata ſunt. Nam Deus mare rubrum vere inter-

Pſal. 77.

Illud Dauidis Aperiam in Parabolis os meum, *ad Euangelitas Parabolas pertinet.*

Pſal 77.

rupit, & populum Hebræum vere per illud traduxit: & cetera omnia, quæ illic narrantur, verè præſtitit. Etſi interim earũ rerum, ad quos poſtea relata fuerunt, Euangelicarum parabolarũ more ſymbola exſtiterint. Dici poteſt illud: *Aperiam in parabolis os meum*, nõ referri ad illa quæ ordine in Exodo exponuntur; ſed ad Parabolas Euangelicas, Chriſto per Prophetam loquente & dicẽte. *Attendite popule meus legem meam.*

Et tenebroſum ſermonem.

CHRYSOST. Doctrinam ſacram obſcuram vocat ſed hominibus carnalibus, ſpiritualia enim ſpiritalibus comparantur: *Animalis autem homo, non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia eſt enim illi*; alioqui quæcumque Spiritus ſanctus per Parabolas, obſcuroſque ſermones locutus eſt, ea illis qui in eiuſdem Spiritus Sancti communionem & ſocietatem recepti ſunt, cognitu facilia, & quaſi obuia ſunt, vtpote ab ipſo Spiritu edoctis, & informatis. At qui per Spiritum ſanctum ſignatus non eſt, neque ab eo gubernatur, ille diuinas Scripturas intelligere omnino non poteſt.

1. Cor. 2.

Citra Spiritum Sãctum ſcriptura intelligi nequeunt.

Sermonis tenebroſi ænigma & Parabola ſunt ſpecies.

POLYCHRON. Sermo tenebroſus eſt ſermo abditus minimeque perſpicuus, cuius ſpecies eſt Parabola, vt *Simile eſt regnum cælorum, &c.* tum etiam ænigma vt *conteret dominus cedros Libani.* Dicta autem ſapientium, ſunt graues quædam & abſolutoriæ ſententiæ.

DIDYM. Tenebroſum ſermonẽ Theodotion & Symmachus *problema* reddiderunt.

Ecquid

Ecquid quæſo eſt ſermo tenebroſus? aliud ſane nihil quam ſermo qui & ſecundum litteræ contextum, & ſecundum intellectum, & ſecundum phraſin quoque confuſus eſt, cuiuſmodi eſt locus ille apud Eſaiam Prophetam. *Væ terra nauium alarum trans flumina AEthiopiæ: qui mittit in mari obſides, & epiſtolas papiraceas ſuper aquam.* Nihil enim horum euidentem Parabolæ dictionem habet, neque manifeſtam quoque hiſtoriæ expoſitionem. Et quidem ænigmatis littera, dummodo ſtudiũ adhibeatur, deprehendi vtcunq; poteſt, tenebroſi autem ſermonis non ita; quippe qui nullum apertum ſenſum præ ſe ferat?

Quid proprie ſermo tenebroſus

Iſaia 18.

Et dicta Sapientum.

DIDYM. Ecquorumnam ſapientum dicta aut verba hoc loco deſignat? quis rurſum eſt ille ſapiens, qui ſi iſthæc audierit ſapientior euadet? vtique illorum ſapientia dicta inſinuat, qui ſecundum Deum ſapientes ſunt: non illorum, quos Deus in aſtutia ſua comprehendit, quorumque ſapientiam perdit & intellectum euertit. Qui enim ſecundum Deum ſapiens eſt, illorum quoque ſapientiam, qui ſecundum mundum ſapientes habentur, perfacili negotio cognoſcere poteſt. Per eiuſmodi enim Philoſophos Deus carnalium ſapientum ſapientiam perdit, nec iniuria; vt quæ pro pter admixtam falſitatem & vanitatem, interitu digna exiſtat. Pari modo illorum quoque induſtriam & intellectum euertit, qui ſecundum ipſum non ſapiunt.

Duplicis ordinis ſunt ſapiẽtes.

1. Cor. 3.

Digitized by Google

DIDYM. Quæris rurſum, cum varia ſanctorum, & ſecundum Deum ſapientum extent dicta, partim quidẽ ſcripto propoſita; partim etiam traditione accepta, ecquanam ex illis eiuſmodi ſunt cenſenda: ſane quæ præfixum habent illud: *Hæc dicit Dominus vel Deus*, ea inter patrum dicta, vere reponi non poſſunt. Huiuſmodi enim verba non ſunt hominis ſed Dei: Sanctorum autem dicta ea vocare licet, quæ ſancti vel Prophetæ quoque propria auctoritate proferũt. Eiuſmodi ſunt pleræque leges in Exodo & Deuteronomio expoſitæ. Quamobrem de libello repudij Seruator ita ait. *Moyſes ob duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis iſta.* Vbicunque autem Deus legem aliquam ſancit aut aliquid alioqui diſcernit, ibi Dei vel Domini nomen præmitti ferè conſueuit. *Vt, dicit Deus, honora patrem tuum & matrem tuam, &c.*

Quanã inter Sapientũ dicta ſunt reponẽda.

Matt 19. Mar. 10.

Matt 15. Mar. 17.

ALIVS. Verba ſapientum non ſunt ſermones σεσοφισμένοι, hoc eſt, *callidi aut fraude contexti*, ſed ſententiæ quędã graues ab ipſis prępoſitæ vel ipſis tantum exploratò compertæ: cuiuſmodi ſunt hæc, *læti cordis vultus floret; Odium excitat contentionem; Qui à contentione alieni ſunt operiuntur amicitia*, aliæq; his affines. Etenim vulgarium hominum ſermones maiorem partem ſunt incerti, neque ſatis quoque accurati. At ſapientũ, quales ſunt præſentes, vbique ſunt ſolidi & exacti, ita vt nullus facile illis contradicere queat. Alij rurſum homines à rei euentu de rei natura ſtatuunt: pronunciant, exempli cauſa, hominem

Multum intereſt inter vulgarium hominum & ſapientum ſermones.

Digitized by Google

minem iniuſtum malum eſſe, adulterũ probum non eſſe,&c. Hæc autem aliaque ſimilia nulli non ſunt aperta, verum ſapiens rerum cauſas malorumque ſemina expendit, & aperit: eaque quæ animum in hanc vel illam partem mutare ſolent, ob oculos ponit; quo quiſque malorum cauſas exploratas habens, ſibi caueat; qualia ſunt, quæ iam obiter attigimus aliaque ſimilia: Vt, *In deſideriis eſt omnis ocioſus. Præceps animus inconſultè operatur.* Indicat enim ignaui animum omni cupiditatum genere mergi & tantum-non obrui: iracundum nullo maturo conſilio vti. Summa in omnibus propemodum moralibus ſapientes in hoc ſunt, vt rerũ cauſas & principia vnde bona vel mala oriuntur ſpectet, & ob oculos ponant. Contentionem proinde, vt ipſi recte tradunt, antecedit odium, à contentione alienum eſſe, caritas: ignauiam praua voluptas, temeritatem iracundia: reprobationem legis contemptus, timorem domini mentis integritas, animæ perditionem lingua præceps & incauta, prolapſionem & incommodum hinc natum temeritas & inſolentia. Denique ſi ſingula ſapientum dicta ſtudioſe diſcuſſeris, inuenies ſingula ſuas cauſas ſuaſque rationes expoſitas, adſcriptaſque habere, quo videlicet, qui hæc legunt vel audiunt, malorum bonorumque exordia comperta habentes, mala quidem deuitent, bona autem faciant.

Sapiens non tam vitia ipſa perſtringit, quam vitiorum cauſas aperit.

Et ænigmata.

DIDYM. Quid ſunt, inquis, ſapientum

Quid ſit ænigma. ænigmata? *Aenigma* vt opinor, eſt expoſitio rerum quaſi geſtarum, quæ factæ non ſunt, neque fieri potuerunt, arcanum aliquod obſcure ſignificantium. Vt: *Iuerunt ligna vt inungerent ſuper ſe regem.* Quæ enim fuerint ligna fructuoſa, quæ rurſum ſterilia, quæ illis imperare detrectabant, quæ indigna, quibus præeſſent, cenſebant, & quis tandem ramus, & ignis, qui ex illa egrediebatur, id ſcire commodeque interpretari non eſt quorumlibet, ſed ſapientum tantum.

Iudic.9.

IDEM. Poteſt aliter quoque dici: nempe ſermonem obſcurum, vel tenebroſum vocem genericam eſſe. *Parabolam* autem & *Aenigma* ſpecificas. Vocat autem ſermonē parabolicum & ænigmaticum tenebroſum, non ob lucis priuationem, ſed propter veritatis occultationem, quaſi qui hanc eruere non valet, tenebris quibuſdam inuolutus teneatur.

ALIVS. Per ſapientum verba indicare videtur quędam venuſta & acuta ſapientum dicta, quæ alio nomine *Apophthegmata* vocantur, per ænigma verò ſermonem, qui cum quadam obſcuritate veritatem prodit, cuiuſmodi eſt: *Aperi Libane, portas tuas, & ignis deuoret cedros tuos.*

Zacha.11

AVCT. CATEN. Ænigma eſt tantæ obſcuritatis ſermo, vt lectorem anxium peneque perplexum reddat. At quamuis prima fronte nihil ferme certi offerat, nullumque fere ſui guſtum præbeat, attamen vbi diligenter exploratur, ſenſum, qui in eo latet,

tandem

tandem oſtendit. Ad hunc locum pertinet illud *ſanguiſugæ tres erant filiæ dilectione dilectæ: & tres illæ non repleuerunt eam, & quarta contenta non eſt dicere, ſatis: Infernus & amor mulieris, & terra aqua non repleta; & aqua & ignis non dicent Sufficit.* Rurſum: *Tria ſunt mihi ad intelligendum impoſſibilia, & quartum non cognoſco. Veſtigia aquilæ volantis, & via colubri ſuper petram, & ſemita nauis nauigantis, & via viri in adoleſcentia.* Hæc aliaque eiuſmodi ænigmata dicuntur: ſiquidem alia proximè & apertè lectori offerunt; aliud occultè iudicium faciunt, ſecundum ſe quidem videntur plana, at ſententiam arcanam inuoluunt. *Prouer. 30.* *Ænigma aliud apertè offert aliud occultè tegit*

Initium ſapientiæ timor Domini.

AVCT. CAT. Qui ſapiens euadere cupit, à pietate & timore Domini exordium faciat neceſſe eſt. Ceterum vox Græca ἀρχὴ vtrunque ſignificat, *Principium* nimirum & *principatum*. Si ergo in poſteriori notione, hoc eſt pro *principatu* vel *dominatu* vſurpaueris, vt ſit ſenſus, In regno Sapientiæ timor Domini principatũ obtinet, non erit hic ſermo de patibili vel ſeruili timore; hic enim timor pœnæ formidinem includit; *Perfecta autem charitas foras mittit timorem*) ſed de eo Timore, qui pietatem & religionem conſociatam habet. Eiuſmodi enim Timor in Sapientia primatum obtinet. Veriſſimè dici quoque poteſt, ardens diſciplinæ deſiderium, ſapientiæ itidem initium eſſe. *Vox græca ἀρχὴ, duo vel etiã plura ſignificat: quæ omnia conueniũt in timore Domini.* *1. Ioan. 4* *Duplex Timor in hominem cadit.*

OLYMP. Porro autem, vt *Timor Domini initium eſt ſapientiæ*; ita: *Pietas in Deum initium*

 eſt

Hæc pertinent ad ſequētem periodum

eſt ſenſus, hoc eſt, iudicij ſecundum intelle-ctum. Exercet ea enim ſenſuum organa ad diſcretionem. Vel *Pietas in Deum* ob id ſenſuum ἀρχὴ appellatur, quia ſenſuum appetitioni dominatur, eoſdemque ſecundum Spiritum viuere compellit. Intellectus autem bonus (de quo paulo poſt ſicut de pietate quoque diſputabitur latius) eſt moralis prudentia, vel ſapientia practica: ſiquidem notitia, quam praxis confirmat, prudentes beatoſque efficit illos, qui impigrè eam exercent. Neque enim ad beatitudinem ſatis eſt bonum noſſe, verum ad cognitionem opus quoque, & vſus accedant oportet.

Ad beatitudinem ſatis non eſt bonum noſſe.

GEORG. Nomen hoc ἀρχὴ plura denotat, & primo quidem *principatū* vel *dominatum* ſignificat: vt cum Iuſtitia præparetur thronus ἀρχῆς, hoc eſt *principatus*. Significat rurſum cuiuſuis rei vel diſciplinæ *exordium*: vt ἀρχὴ exordium, vel initium bonæ viæ, eſt facere iuſta: per *iuſta* autem deſignātur morum præcepta & documenta; per *viam* vero *bonam*, eiuſmodi contemplatio, quæ ducit ad veram ſapientiam. Significat tandem cuiuſque naturæ vel ſubſtantiæ cauſam, vt, *Ego ſum* ἀρχὴ, *principium*, *&* *finis*: Principium, vt qui vnicuique rei ſuam impertiam naturam, & quidditatem. Finis vero tanquā is, qui omnis conſummationis & perfectionis cauſa exiſtam. Hic autem *principium* idem eſt, quod doctrina vel inſtitutio eiuſmodi, quæ in Sapientiam ſecundum Dei timorem conſtitutam inducit. Timor enim patibilis, licet in animum

Quo ſenſu Deus dicatur principiū & finis omnium Apoc. 18.

animum receptus ob pœnæ formidinem à peccato abſterreat (includit hic enim malorum exſpectationem) pauidaſque mentes propter gehennæ comminationem concruciat; attamen non ſatis proprie *Domini timor* appellatur: vt qui cum perfecta charitate conſiſtere non queat. Verus autem Dei timor, cum vero Dei cultu, veraque pietate & religione ſemper coniunctus eſt. Quare qui hunc timorem poſſidet, is in diuinis præceptis ſeſe oblectat, veroque animi ſenſu & deſiderio, illa in vſum deducere exoptat. Atque vnus hic diuinæ ſapientiæ principium rectè definitur; quippe qui recta ad illam inducat. Hic autem timor eo in vno quolibet comperitur perfectior, quo in vera ſapientia exſtiterit conſummatior; & vice verſa. Pertinet ad eum quoque timorem illud Pſalmiſtæ: *Nihil deeſt timentibus eum.*

Timor pœnalis tametſi vtilis ſit, non ſatis tamẽ propriè Timor Domini appellatur.

Pſal. 33. 10.

Intellectus autem bonus omnibus qui faciunt eum.

Hoc eſt, qui operantur ſecundum illius præſcriptum.]

Olymp. Aut per σύνεσιν *Intellectum* vel *prudentiam* eam boni notitiam hoc loco deſignat, ſecundum quam cognitũ expetimus; aut eiuſmodi cognitionem per quam quid expetendum, quid rurſum fugiendum ſit tantum intelligimus. Et quidem primam cognitionem, impedimento ſublato, neceſſario conſequitur opus. Secunda vera, licet boni & mali ſcientia cõſtet, intelligit enim, quid omitti, vel non fieri conueniat, vel oporteat,

Duplex Prudẽtia, vna practica, altera theoretica: hæc non beat, vt illa.

Digitized by Google

porteat, attamen inter moralis ſapientiæ terminos ſe continet. De priori & contemplatiua agebat Seruator noſter, quando poſt explanata parabolæ arcana aiebat : *Intellexiſtis hæc omnia*. In moralibus itaque prudentia vel intellectus non omnibus promiſcuè & ſimpliciter intellectus eſt, ſed iis vel ſolum vel potiſſimum, qui ſecundum illum operantur, ſi quidem notitia quæ opus vel praxim adiunctam habet, ea demum eſt quæ prudentes vereq; fortunatos efficit. Neque enim vt quis bonus beatuſque habeatur & ſit, ſat eſt ſi bonum ſciat : ſed opus eſt præterea, vt cognitum opere exprimat.

Matt. 13.

Initium ſenſus, pietas in Deum, ſapientiam autem & diſciplinam impij deſpiciunt.

GEORG. Agit hic de interioris hominis ſenſu, ſecundum quem & veram illā lucem cernimus, & abdita Dei eloquia audimus, & vitali eſca paſcimur, & fragrantiæ Chriſti participes efficimur & verbum vitæ apprehendimus. Huiuſce autem guſtus vel ſenſus radix & cauſa eſt Pietas in Deum.

Pietas in Deū mira in homine operatur.

EVAGRIVS. Quemadmodum mens per ſenſus fertur in ſenſilia, ita per virtutes in eorum contemplationem, quæ ſoli intellectui ſunt obuia: cuiuſmodi ſunt cæleſtia & ſpiritalia, eapropter ſapiens Salomon illorum quoque ſenſuum rationem habere nos voluit. Porro pietatem in Deum illius ſenſus cauſam vel initium aſſerit, qui eſt ſecundum intimum hominem, per quem omnia videmus, quæ ſub intelligentiam ve-

niunt,

Digitized by Google

niunt, & vitæ adhæc verbum attingimus.

Sapientiam & diſciplinam impij.

OLYMP. Hoc ipſo quod ſcelerati & impij ſunt ſapientiam aſpernantur: verbo fortaſſis nullus ſapientiam deſpicatui habet, reipſa autem & opere, quam plurimi. At pij homines diſciplinam & ſapientiam auide conſectantur; quo nimirum ex illis, & per illas expiati, veram illam ſapientiam quæ Scriptura teſte, *In maleuolam animam non ingreditur*, intra mentis penetralia quandoque recipiant. Qui autem Dei timore, (qui interioris ſenſus radix & cauſa eſt) deſtituuntur, illi nullum diſciplinæ aut ſapientiæ guſtum hauriunt, quum ſtudio potius vtraque auerſantur. Quales inter alios ſunt, qui vetus Teſtamentum dire execrantur, eiuſdemque auctorem, veluti crudum & inhumanum, calumniis atque conuitiis ſacrilegè inſectantur.

Verbis ſapientiam forte nemo, re ipſa autem plurimi aſpernantur.

Sap. 1. 4.

Audi fili leges patris tui, neque repellas ſtatuta matris tuæ & corona circũdabit caput tuum, & torques aureus collum tuum.

AVCT. CAT. Etſi quæ hic proponuntur alio referri queant, ritè tamen in eos quadrant, qui natura parentes ſunt, maximè vero quando pietati & religioni dediti, filios ſecundum Dei legem ſtudioſe educant. Quod ſi *patris* appellationem ad illos parentes tranſtuleris, qui filios per Euangelium generare ſolent, hoc eſt, ad Eccleſiæ Doctores & paſtores, qui Euangelicis & Apoſtolicis præceptis nos imbuunt, tunc quidem

Digitized by Google

Eccleſia, fidelium omnium mater eſt, Chriſtus autem, & vicariorũ eiuſdem ſponſæ.

• *Salomon in Prouerbijs aliam & aliam perſonam ſubinde ſuſtinet.*

Eccleſia ſpiritalis illius patris erit coniunx, natorum vero mater aut ſana certe eiuſdem doctrina, iuſtaque & ſancta illius conuerſatio, & politia. Ait ergo: Si me Parœmiaſten modo quidem fidi parentis & pędagogi perſonam ſuſtinentem; modo rurſus ſedulum virtutis & ſapientiæ doctorem agentem attente audieris, præceptaque & documenta quæ trado quaſi à matre profecta, auidè hauſeris, gratoque animo complexus fueris, gratiarum ſerto coronabere. Materia enim coronæ, qua interni hominis caput redimitur, ſunt virtutes quæ hoc loco *gratiæ* appellantur. Ad myſticæ autem coronæ ſimilitudinem, aureum quoque torquem animæ collo, hoc eſt, parti illi animæ, quæ rationi parere nata eſt, iniici intelligas. Aut ſi id mauis, per *patrem* accipias Deum, qui eſt pater vniuerſorum: per *matrem* vero ſapientiam, quæ te regenerauit. Hæc enim eſt, quæ inſtar matris & nutricis lacte nos potat, cæleſtiq; doctrina, & diuinis præceptis paſcit, molliterque enutrit.

DIDYM. Iuſtorum Pater & Deus: *Quicunque enim facit iuſtitiam ex Deo natus eſt.* Mater autem noſtra eſt Eccleſia, cuius ſponſus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus; ſtatuta vero & leges eiuſdem ſunt Apoſtolicæ diatypoſes, & conſtitutiones.

1. Ioan. 2.

EIVSDEM. Audimus patris verba, legem videlicet ſcriptam. Hæc enim ex Deo & Patre deriuata eſt: Audiuimus rurſum matris ſtatuta nempe, Eccleſiæ traditiones nul-

lo

Digitized by Google

lo ſcripto comprehenſas, cuiuſmodi inter alia ſtatuta eſt ieiunium die veneris, aliaque multa eiuſmodi. Inſinuatur hic enim non omnia ex legibus ſcriptis petenda eſſe, ſed multa quoque ex maiorũ traditione. Quod autem de patre hoc loco aſſerit, hoc vel ad naturales parentes, vel ad ſpirituales magiſtros referre licet: nam horum quoque mater eſt Eccleſia. *Nõ omnia ex lege petenda, ſed multa quoque ex maiorum traditione.*

Coronam enim gratiarum vertice tuó excipies.

AVCT. CAT. Exſtat gloriæ corona, exſtant rurſum voluptatis & dilitiarum ſerta, exſtat tandem Iuſtitiæ diadema. Gratiarum corona nihil aliud eſt, quam virtutum catenæ. Enimuero cum quis virtutẽ quampiam perfectè adeptus eſt, à reliquis immunis eſſe omnino non poteſt, adeoque ex omnibus quaſi vnam coronam texit. Hoc autem ſerto interioris hominis vertex induitur. *Virtutes omnes inter ſe ſũt connexæ.*

DID. & CHRYS. Virtutũ orbem (quòd hęc ſibi mutuo cohęrere ſoleant) gratiarum coronam appellat. Quin variis quoque donis & chariſmatis ornati ſint oportet qui ſalute certè potiri volunt. *Ad ſalutẽ virtutum ornamento opus.*

Et torques aureus circumdabit collum tuum.

DIODORVS. Per *verticem & collum*, mentem deſignat, per *torquem* verò *aureũ* notitiã ſpiritalemque animi ornatum. Aut certe torques aureus Obedientiam, quam Deo debemus, denotat: aut illud præſidium quod ex ſacris eloquiis peti conſueuit. *Quid per torquem aureum myſticè diſignetur.*

EVSEBIVS. Quemadmodum mens per verticem & ceruicem, ita diuinarum

rerum

ſerum notitia per *coronam & torquem* expri-
mi ſolet.

Fili, ne tibi imponant viri impij, neque velis, &c.

Et qui ſcelus patrant, & qui cum patrātibus conſpirant ſupplicio digni sūt.

DIDYM. Hinc apertè conſtat non eos ſolum ſupplicio dignos eſſe, qui per ſe ſcelus aliquod perpetrant; verum eos etiã qui cum aliis, in quocumque peccati genere conſpirant. *Viros impios* eos hic vocat, qui ad ſummum malitiæ faſtigium iam deuenerũt. *Ne te,* inquit, *fili per torquem aureum ſeducant: aut ne ex torque aureo,* hoc eſt ne ſingulari illo virtutum & gratiarũ ornamento, eò ſuis blandimentis te pertrahant, vt ſicariorum cœtui te adiungere animum aliquando inducas; hoc enim aliud nihil eſſet quã ab Eccleſia, dogmatumque Eccleſiaſticorum ſenſu, ad malignantium Synagogam tranſire.

10. 11. 12. 13. 14. *Caue obſequaris, fili, ſi eiuſmodi oratione te pellexerint, Age, veni nobiſcum, cædis eſto ſocius: virum iuſtum iniuſtè in terram abdamus: more inferni adhuc ſpirantem deglutiamus: è terra tollamus memoriã eius, quicquid in bonis pretioſum habebat, diripiamus, impleamus domos noſtras ſpolijs: vnum ſacculum poſſideamus omnes, vnum marſupium ſit omnium noſtrum.*

Nulla cū ſicarijs ineunda ſocietas aut familiaritas.

POLYCHRON. Ne vllam cum illis ſocietatem inire velis, inquit, qui cæde & ſanguine gaudent. Per hoc autem quod dicit: *ne velis,* diſerte oſtendit legi ſubiectum eſſe arbi-

arbitrij liberi. Ceterum peſtilentes illi impurique homines non verbis tantum ad ſcelus & cædem hortantur; ſed ipſo, quam doctrinam profitentur, etiam opere confirmant: nempe quo vtroque modo ſceleris conſortibus malitiam infundant, vitamque à recto tramite in perditionis præcipitium abductis miſere adimant. Propter hoc igitur ſapiens ſeriò admonet omnes, ne vllo pacto eiuſmodi ſceleratorum hominum ſermonibus acquieſcant, aut cum prauis illorum operibus communicent. *Homo liberi eſt arbitrij.*

Avct. cat. Quemadmodum perniciosum pœnaque dignum eſt iis aſſiſtere, aut quauis ratione opem ferre, qui corpori mortē intentant; ita exitioſum eſt quoque, imo vero multo exitioſius atque flagitioſius illis adminiculari, qui per fraudem animæ necem inferunt. Nullus autem mente valet cum talia facit ex animo: ſed ſi quis facit, errore deceptus facit. Beatus Hippolytus ad Iudæorum populum & Chriſti cædem hæc retulit. *Pernicioſius eſt opē ferre ad anima quam ad corporis mortem.*

Abſcondamus in terram virum iuſtum iniuſte.

Hippolyt. In terra illos abdunt, & quaſi defodiunt, quos vt terrena ſapiant edocuerunt, ſuiſque incitamentis impulerunt. *Virum* autem *iuſtum* illum intelligas, qui cæleſtem adeptus eſt prudentiam. Poſſunt hæc quoque ad Chriſtum & Iudæorum populum referri. *Quomodo iniuſti iuſtos in terram abdunt.*

Apollinar. Parœmiaſtes, tanquam ſapiens doctor, ingeniorūque & ſtudiorum

adoleſcentum non ignarus, dum à cæde innoxiique ſanguinis effuſione dehortatur, non prima ſtatim facie lucra & commoda, quæ ex flagitioſo illo & ſanguinario opere accedere nonnunquam ſolent, exponit; ne quos à cæde & ſanguine dehortari conatur, ad cædem imprudens hortatus deprehendatur. Verum multa præmittit, quæ homines ſobrios beneque affectos ſolo nomine inde abſterrere poterant. Tandem vero quæſtũ, qui ex ſcelerata illa arte & profeſſione obuenire interdum conſueuit, non ſua, ſed ſceleratorum illorum oratione ob oculos ponit. Ne, inquit, impiorum magiſterio aurem facile præbueris: ante omnia autem etiam atque etiam tecum expende, ad qualem te ſocietatem inuitant, qualiumque ſtudiorum ſectatorem ſua te oratione & pollicitatione efficere contendunt. Nec enim ad aliquam ſalutarem & honeſtam vitæ rationem te inuitant, neque ad functionem libero homine dignam te prouocant; ſed ad iuſti hominis cædem, hoc eſt, ad eius hominis interitum, qui nullam vt trucidaretur occaſionem dedit; neque vllam ægritudinis cauſam vlli mortalium obtulit; quemadmodũ hoc ipſo palam hic illud profitentur, quod virum iuſtum eum appellant.

Deglutiamus illam ſicut infernus viuentem.

Quid in Scripturis ſit hominẽ abſorbere.

OLYMP. Scripturæ phraſi idem eſt *abſorbere* vel *deglutire*, quod funditus abolere, prorſuſque deiicere & ſuperare. Hinc illud Apoſtoli: *Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur*:

2. Cor. 2.

tur:hoc eſt ne omnino deiiciatur & conſternetur, qui eiuſmodi eſt. Dicũt igitur, Virum cæleſti ſapientia excultum (hoc enim *iuſti viri* nomine ſignificatur) deiectum & debellatum in nos noſtroſque amores trãsformemus; ita vt, perinde ac nos aliud nihil ſapiat, aliud nihil ſectetur, aliud nihil ambiat, quam terrena & tartarea. Viuus autem metaphoricωs is abſorberi dicitur, qui recta ſentẽtia, quam de iuſto opere habebat, abiecta, ſciens volenſque contrariam complectitur.

Et tollamus illius memoriam de terra.

POLYCHRON. Arbitrantur enim in terra habere ſuam conuerſationẽ, ſenſumque rebus terrenis affixum habere. Eapropter quem ſupernæ Hieruſalem memorem eſſe oportebat, eum è terra transferre penituſque abolere contendunt.

Poſſeßionem eius precioſam occupemus.

EVAGR. Norunt impij iuſtum rectè operandi ſcientiam nactum, Virtutiſque peculium & malitiæ odium adeptum; neque ignorant quoque eos omnes tanquam proprios, poſſidere, quos in pietate inſtituerat, Chriſtoque lucrifecerat. Dicunt igitur, ſi hunc euerterimus, illos quoque quos Chriſto, per fidem adiunxerat, in ſeruitutem redigemus, peſſumque dabimus. Alio ſenſu *iuſti poſſeßio* dicitur ſapientia & prudentia, virtus rurſum & intellectus. Rapiunt autem ſcelerati homines eiuſmodi poſſeſſionem, dum iuſtum per fraudem inducunt, vt aliquid exoſum Deo committat, eaque ratione

Quos Chriſto per fidem lucrifacimus noſtrũ ſunt quodammodo peculium.

Qua ratione iniuſti & ſcelerati ſpolient iuſtos.

Digitized by Google

per peccatū occæcatus è ſacro illo peculio excidat. Poſsūt hæc quoq; veluti ab iniquis colonis dicta accipi. Aiebant hi enim: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, vt noſtra ſit hæreditas.*

Matt. 21. Marc. 12. Luca 20.

Et impleamus domos noſtras ſpoliis.

EVSEB. Quos dæmones expugnant, illos & ſpoliant. Adimunt enim illis armaturam Dei, nempe galeam ſpei, & loricam fidei, & galeam ſpiritus. Domi autem illorum ſunt malignantium ſynagogæ, quæ ſpoliis, hoc eſt, opibus vel fructibus, quos iuſtis deripuerunt implere conantur.

1 Theſſ. 5. *Quales ſint domus dæmonū & qualia ſpolia in eas inferunt.*

ORIG. At quomodo, improbe tyrāne, ſpolia ea vocas quæ à bello deuictis non accepiſti, ſed per meram iniuſtitiam & iniquitatem cōtra omne eius & fas tibi vendicaſti?

Sortem tuam mitte nobiſcum.

GEORG. Sortem rectam voluntatis electionem, iuſtamque actionem vocant: qui dicant: Miſſa ſancta & pia illa conuerſatione qua vſus es hactenus, conſpira nobiſcum; ſabbatum celebra nobiſcum, fermentato veſcere nobiſcum, ceteroſque legis cultus & cæremonias obſerua nobiſcum.

Quid ſit ſort. ri cū impÿs.

Sacculum poſſideamus omnes: nobis marſupium ſit vnum.

EVAG. Iſti aduerſariarum poteſtatū, dæmonumque cohæredes ſunt, eandemq; malitiam cum illis obtinent. Illud autem commune habēt, quod à Deo acceperūt. *Sacculus* autem & *marſupium*, tanquā ſynonyma, eandē rem denotant. Per marſupiū porro improbæ doctrinæ (quā adulterinum argentū appellare

Quid dæmonibus commune cū ſceleratis hominibus.

ſare licet) receptaculum deſignatur: ſed & Iudas quoque, qui crepuit medius, cōmune cum Iudæis marſupium habuiſſe traditur. *Act.1.18.*

Ne iter facias, fili, cum illis, auerte pedem 15.
tuum à ſemitis eorum.
Nam pedes illorũ ad ſcelus patrandũ currũt, 16.
& ad ſanguinẽ fundendũ expediti ſunt.

AVCT. CAT. Senſus eſt, neque conſilio, neque opere cum illis communices; imo vero viam tuam procul ab illis inſtituas: ſed neque vllum omnino illorum incitamentis & perſuaſionibus locũ in animæ tuæ regno concedas. Cur ita? quia pedes illorum, hoc eſt, omnes eorum conatus omniaque conſilia, & ſtudia in vnum hoc incumbunt vel maximè, vt à via recta, quæ aſſiduo diuinorum præceptorum vſu & obſeruatione conſtat, te abducant, & in aliquod mortis præcipitium demergant. *Cum improbis & ſceleratis nullum prorſus habendum cõmerciũ, & quare.*

Haud enim fruſtra retia tendũtur alatis. 17.

Non iniuria, inquit, ſempiterni ignis ſupplicium præparatum eſt illis, ſed æquiſſima ratione: vtpote omnis generis malorum & flagitiorum magiſtris & ducibus, peſſimiſque conſultoribus. *Retis* nomine multiplex animarum pœna, ad alarum, hoc eſt, iuſtorum male enatorum interitum & exuſtionem ordinata denotatur. *Pennatorum* autem voce inſinuantur homines animi faſtu, aliſque ſuperbiæ vſque ad nubes volantes. Vel certe homines, qui alis ſublatis ab impiorum conſortio ſi velint, ſeiungere ſeſe poſſunt. *Retis nomine varia nõnunquam pœnæ inſinuantur.*

18. *Quotquot enim cædis ſocij ſunt, magna coaceruant mala.*

Non ij tantum peccant ſcelerumque auctores cenſentur, ait, qui per ſe illa perpetrant, ſed illi quoque qui alios, vt ſceleratè viuant, improbeque agant, edocent, vel adiuuant, adeoque tales non vulgaria ſibi ipſis mala coaceruant, nempe æternam mortem, certamque damnationem.

At enim præuaricatorũ euerſio & calamitoſa.

Hæc ſententia in vulgata ſeptuaginta editione deſideratur, neque multum quoque ad rem facere videtur: Congruit autem cum illo Pſalmiſtæ: *Mors peccatorum peßima.* *Pſal. 33.*

19. *Eiuſmodi eorum omnium ſunt viæ qui iniqua deſignant.*

Vias hoc loco appellat ſupplicia in impios homines propter peccata conſtituta: indicat autem iniquos improboſque homines à Deo non tantum permitti, vt aliquid ſimpliciter iniuſtum perpetrent, verum etiam vt paternæ iniquitatis menſuram expleant. παρανόμους illos hic vocat, qui legem quidem ſciunt, interim quod lex iubet facere non volunt. Neq; enim idem ſunt ἄνομος & παράνομος; ſiquidem ἄνομος is proprie dicitur, qui legem exploratam non habet: παράνομος vero qui ſtatutũ, vel legem quã cõpertã habet, ſtudio violat ac præuaricatur. *Quid interſit inter ἄνομος & παράνομος.*

19. *Suam namque animam per impietatem è medio tollunt.*

Impie-

Impietas falſam de Deo opinionem interdum denotat, nonnunquam vero cuiuſuis generis peccatum. Vt: *Non perdet iuſtum cum impio*, hoc eſt cum peccatore & iniuſto. Auferunt autem abducũtque animas ſuas impij, vel à ſempiternæ vitæ hæreditate, vel ab vtroque ſimul. *Impietatis vocabulũ bifariam in ſcripturis vſurpetur.*

Sapientia in egreßibus, laudibus effertur, in plateis, cum non abſque fiducia agit; è ſummis manibus concionatur: ad Dynaſtarum ianuas aßidet; ad ciuitatis portas audacter verba facit. 20.

POLYCHRON. Hæc ſummatim indicant ſapientiam vbique proſtrare, vbique vim ſuam exerere, nec nō omne hominum genus ad ſui communionem & ſocietatem inuitare. Significant ad hæc ſapientiam in anima à malitia immunem, percelebrem reddi. In ea porrò anima ſedem adeptam, quæ omni virtutum genere ornata & exculpta eſt, admirabilia planeque ſtupenda operari, idque magna cum audacia & libertate.

E ſummis muris concionatur, & in portis Dynaſtarum aßidet.

POLYCHRON. Inſinuatur hoc verſu, vt & præcedenti quoque, ſapientiam dum apud ſapientem abdita latet, iuſta laude fruſtrari; exitum autem per orationem ſapientis ſortitam mirificè cõmendari, magnaque operari. Siquidem per *exitus & plateas* illius ſplendor & nobilitas denotatur: per *muros* autem *Quo ſenſu Sapientia in ſummis muris cõcionetur.*

autem eiuſdem vtilitas, & ad omnem vitæ vſum, vis & energia.

21. *Intra portas ciuitatis porrò intrepidè diſſerit.*

Per *murum*, vt quibuſdã placet, grauium, ſolidorumque theorematum faſtigium exprimit Sapiens. Per *ſapientiæ ciuitatem*, ſupernam illam cæleſtemque Hieruſalem, de qua dictum eſt: *Ponetur in ea murus & antemurale* murum quidẽ fidei dogmata, *antemurale* verò diuinam moralemque ſapientiam. Per *portas* autem virorum ſapientum virtutes: iuxta illud: *Aperite portas iuſtitiæ*. Per *Dynaſtas* tandẽ, doctores, verbo opereque potentes.

Iſaiæ 26. Quid per ciuitatem muros, portas, & Dynaſtas ſignificetur apud Salomonẽ.

22. *Quouſque innocentes iuſtitiæ adhæreſcẽt, probri expertem vitam ducent. At ſtulti iniuriæ irrogandæ dediti, impij vbi iam euaſerunt, ſenſuum & intelligentiã odio inſectantur, adeoq; iniuſtam reprehenſionem meritò incurrunt.*

AVCT. CAT. Iſthæc Sapientia ipſa per Proſopopœiã dicere cõfingitur. Innocentes autem eos hoc loco appellat, qui à malitia ſunt alieni, aut eos ſane, qui nihil, quod probrum aliquod adferat, vel notam inurat, facilè admittunt. Nam qui iuſtitiæ inſiſtunt, intra ſe habent, quo ab omni dedecore & probro ſeſe tueantur. Qui autem ſtudio peccant, & ſibiipſis turpitudinis labem conciliant, & Deo iniuriam irrogant.

Qui probro vult carere, iuſte viuat oportet.

Digitized by Google

At ſtulti iniuria, &c.

Hic locus confirmat, quod paulo antè dicebatur: nempe qui peccatũ quodcumque patrant, vel deſiderio in quodcũque peccatum feruntur, eos *impiorum* nomine perſæpè deſignari. Eiuſmodi autẽ impij ſenſum, hoc eſt iudicium, eamque intelligentiã & cogitationem, quę ad virtutẽ inducit, odio habẽt, qui proinde iniuſtam reprehenſionẽ, dęmonumque accuſationẽ incurrunt. Dæmones enim (quos *reprehenſionis* vocabulo quidã hoc loco deſignatos exiſtimãt) ſunt, qui homines ad ea, quæ Deus auerſatur, in hac mortali vita acriter incitãt: at quotquot ſuis illi ſuggeſtionibus & incitamentis huc impellunt, eos omnes poſt vitæ huius curriculum abſolutum, grauiſſimè accuſant.

Omnis omnino peccator & ſceleratus Impij nomine denotari poteſt.

Dæmones accuſant, quos in peccatum pertraxerunt.

En depromam vobis mei Spiritus verbum, meamq́ue doctrinam vobis patefaciam. 23.

En, inquit, propoſui vobis mei ſpiritus verbũ; quia variis modis diuerſiſque viis & rationibus ad Virtutis ſtudiũ vos prouocaui: maximè verò per ius naturæ & ſcriptam legem, nec his contentus, per meipſum quoque vos docui, iterumque docebo, &c.

Deus varijs modis hominem prouocat ad Virtutem.

Quandoquidem vocabam, & non audiebatis, extendebamq́ue ſermonem meum, & non attendebatis. 24.

Sed omnia conſilia mea irrita faciebatis, nec ad vllas denique meas increpationes attendebatis, & ego viciſſim, &c. 25.

Digitized by Google

Vos, inquit, qui à recta vitæ & diſciplinæ via procul aberatis, ad veræ Sapientiæ rationem, legem & inſtitutionem, veſtraque origine dignam amãter vocaui, blandeque inuitaui: verum vos fallacibus veſtris ſtatutis & traditionibus prauiſque operibus, mordicus addicti meæ doctrinæ, meiſque ſermonibus attendere noluiſtis. Intendit autẽ quiſpiam vocem vel orationem bifariam: aut quando ad illos verba facit, qui procul diſtãt; aut certè quando prolixiorem in obſtinatè ſceleratos accuſationem inſtituit. Hic autem tanquam futurorũ præſagus, ſaxeam illam Iudæorum duritiem & incredulitatem inſinuat, ſimulque tanquã prudens morum doctor, eandem inſimulat: vt qui à Chriſto Domino variè edocti, ſuauiterque & frequenter reprehẽſi neque intelligere, neque aures ad doctrinam illius accommodare vnquam voluerunt.

Vox doctoris duplici de cauſa intendi ſolet.

26. *Igitur & ego in interitu veſtro ridebo, gaudeboque, quando inuaſerit in vos exitium.*

27. *Et cum ſubitus tumultus vos obruerit; nec non ruina illa extrema inſtar tempeſtatis vos oppreſſerit; & quando tandem anguſtiæ & obſeſſio vos vndique cinxerint, ridebo & ego, &c.*

Pſal. 2. Deus de hominum interitu aut pœna nõ gaudet.

Ad eum etiam modum Propheta Dauid: Qui, inquit, *in cœlis habitat irridebit eos. Dominus ſubſannabit eos.* Aſt intemperantioris linguæ dixerit

dixerit hic forte quiſpiam. Diuináne ergo ſapientia ob hominum interitum gaudet. Reſponſio eſt, Deum opt. Maximum de noſtra pernicie nequaquam ridêre: neque de noſtris miſeriis aut peccatis gaudere. Verùm hæc aliaque eiuſmodi non abſque graui comminatione nonnunquam adferre, quo nimirum ad ſalutarem pœnitentiam peccatorumque deteſtationem nos excitet. Imo verò tantum abeſt vt perniciem ille noſtram procuret aut exoptet, vt ea quoque quæ interitum pariunt, aut exitium adducunt, è medio tollere & abolere ſoleat. Sic Matthæum ab iniuſta vectigaliũ exactione clementer eripuit. Sic latronem in cruce à latrocinandi voluntate iam auocatum, benigno vultu ad ſe pertraxit. Sic alios denique complures ad ſalutis portum adduxit. *Matth. 9.* *Luca 23.*

Olim enim inuocabatis me, ego vero vos neutiquam exaudiam. 28.

Sublimiori ſenſu obſeſſionis voce, cuius proximè facta eſt mentio, morum diſciplina denotatur, quæ incredulum rudemque & indocilem animum hactenus ſubuertit, quatenus à morum improbitate & ruditate ad vitæ honeſtatem & ſapientiæ ſtudium conuertit. Aut verius *obſidio* eſt eiuſmodi captiuitas, quæ animum à via plana & recta ad obliquam & perplexam abducit.

Quid obſidionis voce myſticè ſignificetur.

Addit verò non exaudiam vos.

Cur ita? quia nimirum vtilis & ſalutaris Pœnitentiæ, vt meæ quoq; œconomiæ tempus

pus iam præteriit. Cũ enim Dei cõminationibus fidem habere eiuſdemq; admonitionibus parere obſtinatè detrectaueritis, neceſſum fuit, vt grauia mala in vos inuaderẽt, Id quod Iudæis tum demum vſuuenit, quando illorum ciuitas, graui diuturnaque obſidione preſſa, à Romanis tandem capta, funditusſque euerſa fuit.

Quærent me mali, & non inuenient, &c.

Cur mali Sapientiã non inueniant.

Non inuenient mali ſapientiam? quia non quærunt illam, quomodo oportet, & quãdo oportet. Pulcrum enim (vt quidam ſapientum admonet) non eſt pulcrum, ſi fuerit intempeſtiuum. Omne enim pulcrum & honeſtum non quouis, ſed congruo opportunoque tempore eſt eiuſmodi.

29. *Exoſam namque habuere ſapientiam: nec*
30. *Verbũ Domini complecti, nec conſilia mea attendere voluerunt, quin potius omnes meas increpationes palam deſpexerunt.*

Dei, inquit, timorem & diſciplinã, hoc eſt, veræ pietatis ſapientiã diſcere voluerunt, imo vero aperto odio vtrũq; inſectati ſunt; neque ſolũ hoc, ſed iniuriis quoque atq; calumniis Sapiẽtis ſectatores impetiuerũt. Poſſent ad operãdi vim hęc quoq; referri, vt ſit ſenſus; Nõ inuenient me, quia ſapiẽtiæ, quã habebãt, cõſentaneè operari detrectauerũt.

31. *Quamobrem viæ ſuæ fructus comedent, ſuaque impietate implebuntur.*

Supplicia, inquit, & cruciatus ex ipſis, hoc eſt,

eſt, ex propria illorum voluntate & culpa nata inuadent in illas. Iuxta illud Prophetæ. *Laborum tuorum fructus comedes*: atque id diſertè confirmat quod mox ſubiungitur, nempe illud: *Sua impietate implebuntur*. Senſus enim eſt: propter ſuam impietatem pœnis & probris obſaturabuntur.

Pſal.127. 2. Pſ.128.3.

Vulgata: Prolongauerũt iniquitatẽ ſuam.

32. *Ob id enim quod paruulos iniuria affecerunt, interficiẽtur: exquiſitũq́; iudiciũ impios diſperdet.*
33. *At qui me audit, habitabit in ſpe, & quieſcet ab omni terrore & malo immunis.*

De paruulorum offenſione etiã Chriſtus Dominus alicubi diſſerit. Ait enim: *Qui ſcandalizauerit vnũ de puſillis iſtis, qui in me credũt, &c.* Sapiens proinde hoc loco nos admonet, ne quos rudes vel ſimplices ad malum vel minus quoque bonũ incitemus: tum ne diuinæ vocationi contumaci animo obſiſtamus, nequando in grauiſſimam aliquã calamitatem decidamus. Terreant nos incommoda, quæ Iudæi perpeſſi ſunt. Nam quod hi Chriſti conſeruatoris noſtri doctrinam flocci facerent, illique neque intendere, neq; obſequi vellent, in innumera mala conciderunt, cladibuſque & cædibus quãplurimis (vt norũt, qui Ioſephi commentarios aliquando legerũt) affecti fuere. At qui Saluatoris illius doctrinæ participes effecti, Chriſti Domini leges & inſtituta religioſè ſeruauerunt, illi in ſupremo illo iudicio, futuræq; vitæ expectatione ab omnibus aduerſis fortunę fluctibus liberi, impauidè imperterriteque cõſiſtent.

Matt.18. Marc.9.

Periculoſum rudes prauo exẽplo offendere aut ad malũ incitare.

Iudæi propter contemptum Chriſti doctrinæ grauia perpeſſi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

1 *Fili ſi ſuſceptum præcepti mei ſermonem penes te abſconderis, ſapientiam hauriet*
2 *auris tua: Et cor tuum adiunges ad prudentiam, & adiicies idem ad filij tui inſtitutionem.*

AVCT. CAT.

Quis Dei præceptum penes ſe abſcondat.

SI, inquit, acer impigerque ſapientiæ auditor fueris, eos propediem progreſſus in ea facies, vt alteri quoque doctrinã, quam hauſiſti, impertiri valeas. Ille autem Dei præceptum apud ſe abſcõdit, qui nunquam non opere illud implet: ſed vera pietate: neque tamen inanis gloriæ, aut popularis auræ ſtudio illud præſtat, ſed vera animi pietate impulſus.

CHRYSOST. Diuinorũ præceptorum ſcientiam, *ſapientiam* hoc loco vocat, nec iniuria. Fieri enim vix poteſt, (vt viri certa experientiæ fide edocti nobis tradiderunt) vt quis Virtutem recteque operandi notitiam verè aliquando aſſequatur, niſi prudentia & ſapientia inſtructus, familiariter iiſdem frequenterque vtatur. Si igitur præceptis meis obſequutus, hanc apud te doctrinã abſconderis, inquit ſapiens, & te ipſum iuuabis & aliis quoque per experientiã, quam adeptus es, vſui eris, & tutò tandem cum Propheta

Pſal. 118. dicere poteris: *Abſcondi in corde meo eloquia tua Domine, vt non peccem tibi.*

Quod

Quod ſi ſapientiam inuocaueris vocemque 3.
tuam intelligentiæ dederis, & ſenſum
itidē magna voce quæſiueris. Si inquam 4.
ſapientiam quaſi argentum perquiſieris,
eandemq́ ſicut theſaurum ſcrutatus fue-
ris, tunc demum timorem Domini in- 5.
telliges.

POLYCHR. Vnuſquiſque ferè alicui animi morbo dat vocem ſuam. Sunt enim qui vitæ eiuſmodi ſunt qui ea depromunt, quæ iratum animum arguunt: ſunt qui nimiæ triſtitiæ animi; ſunt rurſum qui carnis libidini, ſunt denique qui alteri vitio vel animi paſſioni ſeruiunt. At qui felix ſapientiæ amator impigerque intelligentiæ ſectator eſt, ille totam vocem totumque animi affectum Deo dedicat. Quin ille quoq; intellectui vocem ſuam dare haud inconcinnè dicitur, qui ea ſemper loquitur & meditatur quæ Deo ſunt grata, legique & rationi conſentanea ſunt. Cæterum *argentum conſiderationis*, de qua hic ſermo, comprehenſionem ſignificat: *Theſaurus* autem *intellectus* inquiſitionem. Vel aliter: per *argentum* denotatur Scripturæ litera, per *Theſaurum* verò Allegoria. Quemadmodum auari quærunt argentum; ita tu quære ſapientiam.

Vix vllus vitij expers viuit.

Quis vocem ſuā intellectui hæreditatur.

CHRYSOST.

Tunc timorem Domini intelliges & Dei 6.
ſcientiam inuenies: Dominus namque eſt
qui largitur ſapientiam, cuiuſque à facie
cognitio & intellectus dimanāt, tum qui 7.
illis

illis qui officium faciunt ſalutem. Certè aſſeruat nec non eorundem iter, quo iuſtificationum ſemitam teneant, defendit, & eorum denique viam, qui reuerenter ipſum colunt, cuſtodit.

Tunc intelliges, &c.

Magnis opus præſidijs ad cōparandum verũ Dei timorem, & veram eiuſdē notitiam.

Vide quantis prę̄ſidijs opus eſt, vt quis ad verum Timorem Domini, veramque eiuſdem notitiam tandem aliquando pertingat. Rei huius difficultas, vt cætera deſint, ex ſolo ſimplicium vſu & conſuetudine deprehendi vtcunque queat. Cōſtat enim pleroſque ex illis Deum ibi timere, vbi non oportet; vbi autem oportet, ibi eum non timere. Eſt autem timor Domini principiũ & finis: principium quidē, quia ab eo exordiendum eſt, finis vero, quia nō defectus eſt timētibus eum. Hic tamen ad finis rationem verius ſpectat, quam ad principiũ. Nam hoc & illo, & alio item præmiſſo, demum infert: *Et tunc intelliges timorem Domini.* Pulcrè autem intellectui agnitionem hoc loco adiũgit; Qui enim pœnitentia ducitur, notitiam Dei, quam aliquando habuerat, quamque per oppoſita, hoc eſt, per opera à virtute aliena, malè perdiderat, per reſipiſcentiam denuò recuperat: & tum demum patefit illi Deus, iuxta illud: *Manifeſtabo illi meipſum*; ſtatimque ſuccedunt ſcientia & intellectus: ſcientia quidem diuinæ virtutis, diuinæque clementiæ; intellectus verò peccatorũ, quæ ante admiſerat. *Vt iuſtificationum viam cuſtodiant.* Per iuſtificationem

Quo ſenſu Timor Domini dicatur principiũ & finis.

Ioan. 14.

tionum viam, iuſtitię præcepta hoc loco inſinuata videntur: ſiquidem hæc ſunt, quæ gradientes in illis iuſtificant. Eſt autem hic ſermo non de hac vel illa iuſtitiæ parte; ſed de Iuſtitia generatim accepta: cuius finis eſt probè pieque erga Dei iudicia affectũ eſſe. Hac ergo via & ratione, nempe per fidam præceptorum obſeruationẽ, ad Sapientiam contendes, & quidem conſtanter & æquabiliter contendes.

Tunc iuſtitiam & iudicium intelliges, omneſq́; honeſtatis orbitas proſpere abſolues. 9.

Quæ de *rotarum orbitis vel axibus* non abſque tropo hîc exponuntur, ea ad animũ transferenda ſunt. Vt enim axes, quibus rotæ inſeruntur, in quadam æquabilitate perpetuò illas continent; ita iuſtitia animam eiuſdemq́ue vires, pręcipuè vero inferiores (hę enim per rotas hoc loco inſinuatæ putantur) firmat, iugiterque in officio continet. Poteſt quoque, quod de rotis hoc loco dicitur, ad præcepta, quæ ad Deum ducunt, animũque ad eiuſdem cognitionem dirigunt, haud incommodè referri.

Iuſtitia omnes animæ vires firmat & in officio continet.

Si enim Sapientia in mentem tuam intrauerit, ſenſuſq́; & iudicium animæ tuæ pulcræ viſæ fuerint, conſilium ſanum cuſtodiet te, ſanctaq́; cogitatio conſeruabit te. 10. 11.

BASIL. Quando, inquit, à peregrino aduerſæ factionis errore reſipueris, & viam,

quæ ad Deum tendit, honeſtam eſſe agnoſcere cœperis, tunc demum conſilium bonum cuſtodiet te, & ſancta cogitatio conſeruabit te. Per *Conſilium ſanum* ſalutarem electionem voluntatis deſignat hoc loco, ſecundum quam ea facere conſtituimus, quæ facere obligamur; & ea rurſum vitare quæ per legẽ vitare iubemur. Per *mentem* autem vel cogitationẽ, rationis circa morum theoremata, hoc eſt, circa virtutes, quæ aditum ad Deum muniunt, diſcurſum, ita vt negotiis extraneis, rebuſque ſecularibus miſſis, Deo diuiniſque rebus impigrè operam demus, eiuſdemque præcepta totis animi viribus obſeruare contendamus.

Quid Conſilij nomine deſignetur.

12. *Vt eruat te à via mala, nec non à viro, qui nihil fidum depromit.*

Hic rectæ viæ vſum rurſum declarat. Eſt enim ea eiuſmodi, vt ab omni aduerſa fortuna eos liberet, qui ſemel in illam ingreſſi ſunt. Tum à viris quoque, qui nihil fide dignum loquuntur, hoc eſt, ab hominibus vanis, mendacibus, & impoſtoribus. Perpende hoc loco, quam peſtilentes & pernicioſi habeantur illi, qui mendacium & falſitatem data opera conſectantur: ſiquidem inter præcipua mala, à quibus Deus liberat, hoc vnum etiam cenſetur. Conſentiunt hæc autem appoſitè cum illis quæ ſapientis Salomonis parens antè docuerat. Dicebat enim: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Mendaces Reip. ſunt pernicioſiſſimi.

Pſal. 5.

Vt

Væ illis qui deſerunt vias rectas, vt ambu- 13.
lent per vias tenebroſas. Væ illis, qui læ- 14.
tantur de malis gaudentque de noxia
ſubuerſione; quorum ſemitæ ſunt per- 15.
uerſæ, & orbitæ obliquæ.

Poſteaquam ſemitas, quæ ad Deũ ducunt, commendauit, vſumque quem iis adferunt, qui in illis & per illas gradiuntur, expoſuit, nunc ordine progreſſus, illas vias non abſque grauis terroris ſignificatione ob oculos exponit, qui rectis ſemitis aduerſantur. *Viæ* autem *tenebroſæ* ſunt carnis deſideria, aut dæmonum agmina, aut praua opera. *Malam conuerſionem* aut *ſubuerſionem*, eam vocat, quę à via recta, in præcipitiũ abducit, ſimulque aliam quandam ſalutarem conuerſionem extare ſubindicat: vt dum improbus improbitate deſerta conuertit ſe ad probitatem. Vt enim mala eſt cõuerſio, quæ à recta ſemita præcipitat ad callem obliquum; ita vice verſa bona eſt, quæ à tramite obliquo ad rectã viam ducit. Porro ſceleratorum hominum mores *ſemitas peruerſas* & *tortuoſas* appellat, quia ſerpentibus non abſimiles, rudes ſeducere, & procul à recta via abducere contendunt: inter illos autem qui lætantur de malis, principem locum obtinent dæmones.

Cuiuſmodi viæ dicantur tenebroſæ.

Dæmones p[ræ] cæteris de hom[i]nũ ruina gaudent.

Vt procul te à rectã via abducãt, & à iuſta 16.
ſententia te reddant alienum.

B a s i l. Medij quodammodo inter virtutem & vitium conſtituti ſumus. Etenim

Homo inter virtutē & vitiū medius quodāmodo cōſtitutus.

dum hic virtutem conſectamur, inde vitium deſerimus. Quantò autem propius ad virtutem accedimus, tanto remotius à vitio decedimus.

Virtus vitio potior.

OLYMP. Docet malitiam, quod virtute inferior & impotentior ſit, virtutem, quæ vitio multis partibus præſtat, perpetuò inſectari, continuaque lucta eandem infeſtare, & ad interitum impellere: ſiquidem virtute concidente, ſtatim vitium ingreditur.

17. *Fili, ne te comprehendat malum conſilium, cuiuſmodi eſt, quod adoleſcentiæ doctrinam deſerit.*

Vulgata editio, cui Hebræus cōtextus fauet, pro κακῆ βουλῆ legit κακῆ γυνῆ, & hāc lectionem quæ hinc ſequuntur probabilē reddunt, adeoq; interpretum verba ad vtrumque ſenſum accōmodare licebit.

Diſciplina adoleſcentiæ, eſt moralium virtutum ſcientia & vſus. Etenim virtus ita comparata eſt, vt eum iuuenē florentemque reddat, quem in ſuam communionem ſemel recepit. Nam eiuſmodi puerorum more de minori mole ad maiorē paulatim aſſurgunt, hoc eſt, maiores in vitæ integritate ſubinde progreſſus faciunt.

18. *Pactumque diuinum obliuioni tradidit.*

Quid per Dei Teſtamentū a Salō. ſignificet.

AVCT. CAT. Si hæc ad mulierem retuleris, ſenſus eſt: Quæ diuini fœderis oblita, promiſcuè ſcortatur, fidemque marito pactam temerè præuaricatur. *Teſtamentum* vel *pactum* diuinum naturæ legem, quam Deus homini initio indidit, appellat: aut noui certe Teſtamenti doctrinam, à qua propter libidinem vel ignauiam recedunt, quotquot

diuitiis

diuitiis cogendis aut flagitiis deſignandis data opera incumbunt.

Collocauit enim iuxta mortem domum ſuam, & apud inferos, vbi gigantes degunt, ſemitas ſuas.

Hæc ſanè magis quadrant in malam mulierem, quam in *malum conſilium*. Per *mortem* autem inſinuare videtur diabolum; per *infernum* verò deſperationẽ. Per *gigantes* tandem vel terrigenas, homines inſigniter improbos.

Quicumque commeant ad eam, non reuertentur, neque apprehendent ſemitas rectas. 19.

Et hæc quoque ad improbam mulierem rectius transferuntur, quam ad improbum conſilium. Quæ autem dicit, huc tendunt, Quicumque obſtinatè in illius familiaritate perſtiterint, omnem ſalutis occaſionem amittent, neque pœnitudine aliquando flectentur: imo verò ne præſentis quidem vitæ vſura diu potientur. Per hæc tamen pœnitentiam non adimit; nõ enim dixit, Qui ambulauerunt cum ea, aut conſuetudinem habuerunt cum ea, ſed qui cum illa ambulant vel ambulare pergunt, ſalutis iacturam facient. Verum rei huius ſtatum & qualitatem ſequentia planius exponunt.

Periculi plena res cũ ſcortis & adulteris conſuetudinem habere.

Eiuſmodi enim non aſſequentur annos vitæ. Quod ſi per orbitas honeſtas ambu- 20.

lare voluiſſent, vtique inueniſſent planas iuſto ſemitas.

Nihil inquit boni operantur, atque ideo Spiritus ſanctus per fidem illos non firmat, neque ita componit, vt donis ſpiritualibus (quæ *annos vitæ* hic appellat; ſicuti ſtudioſas actiones *ſemitas honeſtas & orbitas planas* Chriſti chariſmata) digni habeantur. Porrò autem quas hoc loco vocat *ſemitas bonas vel honeſtas*, paulò antè appellauerat *ſemitas rectas.*

Quid per annos vitæ deſignetur.

21. *Manſueti incolent terram, & inſontes reliqui fient in ea: recti inquam inhabitabunt terram, & ſancti relinquentur in illa.*

Inter ceteros illi *benigni* ac faciles habentur, qui practicam virtutem nacti ſunt; *Innoxij* autem, qui theoreticam. De ea autem *terra* hoc loco agitur, de qua traditum extat: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Quemadmodum autem illa pars mundi, quæ à cælo maximè ſeiuncta eſt, *terra* appellatur; ita initium quoque locus, qui vtique quod ſubſtratum ad ſolum attinet, æthereus eſt, manſuetorum in ea degentium terra vocatur. In illa namque manſueti veluti in tabernaculis ætatem agunt, in ipſum cælum deinde tandem aliquando aſſumendi, vt appareant vultui Dei. Etenim promiſſione necdum potiti nullam adhuc quietem & ſtabilem manſionem obtinent, ſed hactenus in nudis tantum tabernaculis inhabitant.

Pſal. 26. Videtur ad eorum opinionem hic locus inclinare, qui falsò arbitrantur ante carnis reſurrectionẽ Sãctos ad claram Dei viſionem non admitti.

Cæterum

Cæterum ex eo, quod ſanctos in illa relictū iri dicit, oſtenditur qua ratione omnes vocentur & intra Dei ſepta quodammodo recipiãtur; nempe tam ij qui ſunt ſancti, quam ij etiam, qui eiuſmodi non ſunt: ſolos autem illos ciuitatis illius habitatores & ciues inſtitui, qui diligenti præceptorum obſeruatione idoneos ſeſe reddiderunt, qui in illa manerent, iniquos autem præuaricatores procul, vt ſubiecta clarè ſatis indicant, inde, hoc eſt, à mitium terra ablegari.

Viæ impiorum introibunt è terra, ſed & præuaricatores quoque expellentur ab illa. 22.

Prædicta innuunt fore quandoque vt impij pellantur è terra. At quinam, obſecro, olim hinc illos expellent? Non alij haud dubiè quam angeli.

CAPVT III.

1. *Legum mearum, fili, ne obliuiſcaris, meáque verba cuſtodiat cor tuum.*

HORTATVR hic filium Sapiens, ad continuum bonorum operum vſum, ad futuræ vitæ ſtatum, ad immunitatem ab omni peccato, ad conſtantem denique rerum cæleſtium meditationem, iugemque earundem pertractationem.

2. *Nam & ætatis longitudinem, & annos vitæ, & pacem adiungent tibi.*

Non ſunt idē, anni vitæ, & longitudo vitæ.

Per vitæ vel ætatis longitudinem rerum omnium affluentiam inſinuat; per *annos* autem *vitæ*, vitæ diuturnitatem, hoc eſt vitam illam, quæ finem non habet. Quamobrem non ſunt idem omnino *longitudo vitæ* & *anni vitæ*, adeoque nulla commiſſa eſt hic verborum ταυτολογία.

3. *Miſericordia & fides ne te deſerant; circumliga illas collo tuo.*

Quid per fidem & miſericordiam denotetur.

Per eleemoſynam vel *miſericordiam* denotantur hoc loco Chriſtianæ charitatis officia piaque opera. Per fidem autem ſanum de rebus ſacris iudicium, veraque in cæteris omnibus prudentia. Quarum proinde virtutum concinnum complexum, omnia collo ſuo, parti nimirum illi, quæ rationi parere nata eſt, circumponens, & Deo ap-

primè

primè placebit, grataque erit, & apud illos qui mente iudicioque pollent, ſingularem laudem promerebitur, gratiamque inibit.

Scribe illas in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus. 4.

Qui virtutum habitum adeptus nuncio ignauiæ miſſo, in virtutum palæſtra ſtrenuè ſeſe exercet, is fidem, caritatem & veritatem, cæteraque eiuſmodi ornamenta in cordis ſui tabula ſeſe deſcripta habere verè oſtendit; vtpote non in imo tantum cordis receſſu, continua meditatione illa verſans atque pertractans; verum ipſo etiam opere exprimens. Scribe ergo virtutes illas in corde tuo, ne aduerſarius theſaurum illum tibi adimat, teque adeò euertat.

Prouide bona corā Domino & hominibus: 5.
Confide Deo ex toto corde, de tua autem
ſapientia ne te efferas; in omnibus vijs 6.
tuis illam cognoſcas, familiaremq́ habeas, vt vias actioneſque tuas dirigat.
Ne ſis prudens apud temetipſum. Time 7.
Deum, & declina ab omni malo.

Atqui Pauli vox eſt; *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* non de quibuſuis hominibus eſt hic ſermo, ſed de verè piis & ſtudioſis. Qui enim alteri placer, ſimilis cēſetur. Cæterum quod bona coram omnibus prouidenda admonet, illud, ne vllo vnquam tempore aut cōtra Deum, aut contra proxi-

Galat. 1.
Qui alteri placet, ſimilis illi cenſetur.

Digitized by Google

mum inſolēter te efferas ſignificat. In quod incommodum nonnulli, qui prudentes eſſe videbantur; & quidam rurſum falſi nominis ſapientes turpiter inciderunt. Cum enim ſapientes haberi vellent, taleſque vulgo haberentur, comperti ſunt fatui.

8. *Tunc ſanitas obtinget corpori tuo, & curatio oſſibus tuis.*

Quæ ſint animæ oſſa. & quæ eiuſdē munia. Animæ oſſa ſunt robuſtiores firmioreſque illius vires, quæ ſingulæ, vt ſuo munere probe fungantur, ſingulari cura & diligētia egent. Ad memoriam pertinet illud: *Memor* *Pſal. 76.* *fui Dei, & delectatus ſum.* Ad mentem & contemplatiuam animæ partem, illud: *Conſideraui opera tua Domine, & obſtupui.* Ad appetētem verò eiuſdem portionē illud: *Coram te Domi-* *Pſal. 37.* *ne omne deſiderium meum.* Ad ratiocinantē tandem illud; *Conſideraui dies antiquos*, & quæ ſequuntur. Porrò autē per corpus vniuerſam omnium animæ congeriem facultatum accipere licet. *Omnia oſſa mea* (inquit Propheta) *dicent; Domine, Domine, quis ſimilis tibi?* Cura proinde & ſtudium virtutum, integram ſanamque vitæ tuæ conuerſationem conſeruabit. Gratia autem & benignitas Dei, corpori tuo ſanitatē impertiet. Allegoricῶs corpora noſtra in præſenti vita, ſunt infirma & vlceroſa. Nam & caro concupiſcit ad- *Galat. 5.* uerſus ſpiritum & ſpiritus viciſſim pugnat aduerſus carnē. At cum illud, quod in corruptione ſatum fuerat, ex terræ puluere ſemel ſurrexerit, integrè mox ſanitati reſti- *1. Cor. 15.* tuetur.

tuetur. Curatio autem perfecta tum demum humanis oſſibus continget, quando os coibit ad os,& articulus ad articulum,& compago ad compagem. Tunc enim iuxta Prophetæ prædictionem,oſſa noſtra florebunt, ſicut herbæ campi. *Aliter*: Tunc,inquit, corpus tuum perfectæ iuſtitiæ actionem ſortietur, florente nimirum iam tum illo, lætoque virtutum colore & venuſtate admirabiliter ſplēdente. Et cogitationibus tuis,quæ oſſium more animam intus conſtringunt, plena à Deo curatio obueniet.

Quando corpus integre ſanitati reſtituetur.

Honora Dominum ex iuſtis laboribus tuis; 9.
& primitias perſolue illi de iuſtis pro-
uentibus tuis. Vt impleantur horrea tua 10.
frumenti copia, & vino redundent tor-
cularia tua.

Verè rectéque illi Deum honorant qui præcepta illius ſtudioſè obſeruant, impigréque in illis ſeſe exercēt. Rationales porrò fructus, ſpiritaleſque primitiæ non aliunde verius, quam ex piis hominum ſtudioſorum laboribus petantur. Allegoricōs autem is Deo primitias offert,qui omnem rectè factorum cauſam & laudem illi tanquam primario autori humiliter ſubmiſſoque animo tribuit; ſibi verò ex omnibus nihil quicquam propriū adſcribit. Aut qui ex quouis ſtudioſæ actionis genere aliquid illi tāquam primogenitū offert. Exempli cauſſa, manè dum à ſomno exurgit, primitiarum loco

Qui Deū ritè honorare dicēdi ſint.

defert

Quaratione ſpirituales primitiæ Deo offerantur quotidie.

defert illi orationem & gratiarum actionẽ: ex verbis autem tãquam primitiuam offert illi Pſalmodiam, idemque in reliquis omnibus operibus & actionibus, ex quibus iuſta oblatio fieri poteſt, obſeruare curat. Tum ſi omnem curam & cogitationem à primo exortu, vſque ad ſeram noctem ab omni vitio puram, incontaminatamq; retinere ſtudet, omneque voluntatis ſuæ momentum Deo aſſignat. In ſumma, iubemur hic omnes bonorum operũ fructus Deo fideliter offerre. Per *horrea* autem & *torcularia* ſenſilis appetitus vires inſinuat. Per *frumentum* verò morum præcepta diuinęque ſapientiæ decreta, nec non reconditos ſacrarum Scripturarum ſenſus: per *cellas* tandem facultates animæ, quæ rationi obſtinatè repugnant: has enim omnes iis rebus impleri oportet, quas quiſque ex myſtica ſua meſſe aut ſpiritali vindemia collegerit.

11. *Fili, ne Domini diſciplinam parui pendas; neque dum ab ipſo corripieris, animum deſpondeas.*
12. *Quemcũque enim Dominus diligit, hunc & caſtigat, omnemq́; quem complectitur filium, flagellat.*

Cruces & calamitates, quæ Domino permittente Dæmones & nequam homines inferunt, flocci ne feceris, inquit. Nam quicquid eiuſmodi infertur, id totũ ad noſtram ſalutem & vtilitatem infertur. Cæterum *diſciplinæ* nomine quandam laborioſam, moleſtiiſque plenam animi culturam hoc loco deſignat.

deſignat, vndecumque tandem eiuſmodi crux ad animæ ſalutem inferatur. Accipitur enim *diſciplinæ* vocabulum bifariam: nam & doctrina, quæ in ſcholis vel templis traditur, *diſciplina* vocatur; & pœna rurſum, quæ propter iram, vel ad prauorũ morum emendationem irrogatur, eodem illo nomine in ſacris exponuntur. Iuxta illud Prophetæ: *Domine ne in ira tua caſtiges* vel *corripias me*. Deus igitur παιδεύει, hoc eſt *caſtigat*, pœniſque exercet omnem filium quem diligit: quo nimirum omni virtutum genere excultũ reddat. Verberatio autem vel flagellatio in mancipium, hominemque pluſcula expiatione egentem magis conuenit, quam in filiũ. Sunt enim qui vt à Deo ſuſcipiãtur, regnoque cæleſti apti reddantur, magna indigent purgatione & flagellatione.

Diſciplinæ nomen bifariam in ſacris vſurpatur.

Pſal. 6.

Flagella in mancipiũ magis quadrat, quàm in filium.

Beatus homo ille, qui inuenit ſapientiam, & mortalis ille qui præditus eſt prudentia. 13.

CHRYSOST. Quemadmodũ *homo* συνωνύμως & mortalis ponuntur hoc loco, ita quoq; *Sapientia* & *Prudentia*. Non abludit autem ab hac ſentẽtia Chriſtus Dominus in Euangelio: ait enim: *Simile eſt regnum cælorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas; inuenta autem vna precioſa margarita, vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam:* ſiquidem verbum Domini omnibus innumeris partibus præſtat huius mundi opibus & diuitiis: quippe quod in gloria patris in ſæculum maneat. Eſt idem quoque omni lapide

Matt. 13.

Dei verbũ vtcumque acceptum omnibus mũdi opibus præſtat.

pide precioſo, hoc eſt omni alia doctrina, quorumcunque tandem illa fuerit, multis modis excellentius.

14. *Præſtat eam comparare, quam auri & argenti theſauros; vt quæ quouis lapide pre-*
15. *cioſo precioſior exiſtat. Nullum malum illi aduerſatur. Cognitu perfacilis eſt omnibus, qui propius ad illam accedunt.*

Sapientia precioſis omnibus precioſior. EVSTACHIVS. Per *ſapientiam* ſubli miori ſenſu deſignatur Chriſtus: interim hoc loco quandam externæ ſapientiæ imaginem delineat, talemque prudentiam, quæ ſub aſpectum quodammodo venit. Admonet autem vnam hanc præ omnibus comparandam, eiuſdemque poſſeſſionem precioſis omnibus precioſiorem eſſe. Tum nullam malitiam aut verſutiam tantam eſſe, quæ ſe illi audeat opponere, aut etiã valeat; poſtremo captu perfacilem eſſe iis, qui ſe ad illam adiungunt.

Nihil eius exſtat precij quod cum illa conferri queat.

Parœmiaſtes hactenus expoſitis omnibus precioſis, rectè ſubiungit. Etenim cum diuerſas magni precij res in medium propoſuiſſet, nempe aurum, argentum, lapides precioſos, nihilque quod cum Dei ſapientia, qui Chriſtus Dominus eſt, iuſtè comparari poſſet, inueniſſet: tandem quaſi caſtigans, aut, quo ſe verteret, ignorans, vno propemodum verbo complexus eſt omnia; nam *Dei Sapiẽtia Chriſtus.*

quæ dicit, huc tendunt: Quid opus eſt multis? quoduis precioſum indignum eſt quod cum illa conferatur. Hæc ille, & quidem veriſſimè.

Longitudo vitæ, & anni vitæ in dextera illius ſunt poſitæ; diuitiæ autem & gloria in ſiniſtra illius hærent. 16.

DIDYM. Ponit hic quatuor obſeruatione digna, nimirũ *Longitudinem vitæ, annos vitæ, dexteram item ac ſiniſtrã ſapientiæ.* Per *vitæ longitudinem*, continuas vitæ huius actiones inſinuare hoc loco videtur. Per *annos vitæ* bona illa ſempiterna, quæ in cælo expectamus, per *ſapientiæ dextram*, perfectorum hominum virtutem & energiam, per ſiniſtram denique bonorum quæ præſens hæc vita depoſcit, copiam, & affluentiam. Per *ſapientiæ dexteram*, diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur, ſignificatur: per *ſiniſtram* autẽ rerum humanarum notitia, ex qua gloria & opum abundantia naſcitur.

Quid per ſapientiæ dextram & ſiniſtrã deſignetur

Ex ore illius progreditur iuſtitia; in lingua autem legem & miſericordiam defert.

OLYMP. Ante annorum vitæ, dextræ itidem & ſiniſtræ ſapientiæ meminerat Sapiẽs. Hîc verò eiuſdem linguæ & oris mentionem facit, adeoque totius corporis effigiem, totamque illius compagem, & ſymmetriam deſcribit, & per quandam proſopopœiam ob oculos nobis ponit.

Vit

pide precioſo, hoc eſt omni alia doctrina, quorumcunque tandem illa fuerit, multis modis excellentius.

14. *Præſtat eam comparare, quam auri & argenti theſauros; vt quæ quouis lapide pre-*
15. *cioſo precioſior exiſtat. Nullum malum illi aduerſatur. Cognitu perfacilis eſt omnibus, qui propius ad illam accedunt.*

Sapientia precioſis omnibus precioſior.

EVSTACHIVS. Per *ſapientiam* ſublimiori ſenſu deſignatur Chriſtus: interim hoc loco quandam externæ ſapientiæ imaginem delineat, talemque prudentiam, quæ ſub aſpectum quodammodo venit. Admonet autem vnam hanc præ omnibus comparandam, eiuſdemque poſſeſſionem precioſis omnibus precioſiorem eſſe. Tum nullam malitiam aut verſutiam tantam eſſe, quæ ſe illi audeat opponere, aut etiã valeat; poſtremo captu perfacilem eſſe iis, qui ſe ad illam adiungunt.

Nihil eius exſtat precij quod cum illa conferri queat.

Dei Sapiẽtia Chriſtus.

Parœmiaſtes hactenus expoſitis omnibus precioſis, rectè ſubiungit. Etenim cum diuerſas magni precij res in medium propoſuiſſet, nempe aurum, argentum, lapides precioſos, nihilque quod cum Dei ſapientia, qui Chriſtus Dominus eſt, iuſtè comparari poſſet, inueniſſet: tandem quaſi caſtigans, aut, quo ſe verteret, ignorans, vno propemodum verbo complexus eſt omnia; nam

quæ

quæ dicit, huc tendunt: Quid opus eſt multis? quoduis precioſum indignum eſt quod cum illa conferatur. Hæc ille, & quidem veriſſimè.

Longitudo vitæ, & anni vitæ in dextera illius ſunt poſitæ; diuitiæ autem & gloria in ſiniſtra illius hærent. 16.

DIDYM. Ponit hic quatuor obſeruatione digna, nimirũ *Longitudinem vitæ, annos vitæ, dexteram item ac ſiniſtrã ſapientiæ.* Per *vitæ longitudinem*, continuas vitæ huius actiones inſinuare hoc loco videtur. Per *annos vitæ* bona illa ſempiterna, quæ in cælo expectamus, per *ſapientiæ dextram*, perfectorum hominum virtutem & energiam, per ſiniſtram denique bonorum quæ præſens hæc vita depoſcit, copiam, & affluentiam. Per *ſapientiæ dexteram*, diuinarum rerum cognitio, ex qua immortalitatis vita oritur, ſignificatur: per *ſiniſtram* autẽ rerum humanarum notitia, ex qua gloria & opum abundantia naſcitur.

Quid per ſapientiæ dextram & ſiniſtrã deſignetur

Ex ore illius progreditur iuſtitia; in lingua autem legem & miſericordiam defert.

OLYMP. Ante annorum vitæ, dextræ itidem & ſiniſtræ ſapientiæ meminerat Sapiẽs. Hîc verò eiuſdem linguæ & oris mentionem facit, adeoque totius corporis effigiem, totamque illius compagem, & ſymmetriam deſcribit, & per quandam proſopopœiam ob oculos nobis ponit.

Digitized by Google

17. *Viæ illius viæ ſunt pulchræ, & omnes eiuſdem ſemitæ ſunt pacatæ.*

Viæ, inquit, ſapientiæ ſunt pulcrę & omnes ſemitæ illius Pax. Quin miſericordiam quoque & iuſtitiæ legem eandem lingua ſua deferre paulo antè admonuerat, & rectè. Quandoquidē Seruator noſter, qui ęternaeſt patris Sapientia, humanæ miſeriæ & egeſtatis miſertus, malę habentes, ſolo verbo ſanabat, eodemque verbo diuina documēta, tamquam quaſdam iuſtitiæ leges tradebat. Addit porrò ſemitas illius pacificas eſſe, nec id quoque citra iuſtam cauſam. Nam ne percuſſi, repercuteremus, aut iniuria appetiti, reſiſteremus, aut iniuſtè criminati, recriminaremur, aut habiti ludibrio, viciſſim haberemus, apertè nobis inhibuit. Huius autem ſapientiæ oratio eſt Iuſtitia, lex verò clementiæ, quæ continet vtraque, nēpe illa quę nos facere; & illa rurſum à quibus nos abſtinere oportet. Viæ autē eius ſunt *Diſciplina & Eruditio*, quæ interiori homini magnam quietem & pacem largiuntur.

18. *Lignum vitæ eſt omnibus, qui adhærent illi: quiq; firmiter illi, tanquam ipſimet Domino, innituntur.*

POLYCHRON. Per *Lignum vitæ*, Crucem denotat: qui enim Chriſto ſyncerè ſolidéque adhæret, illi è ligno illo dimanat incorrupta vita. Qui verò baſi illius ſeſe adiungunt, ijs fundamentum, cui incōcuſſè inſiſtant, poſi-

tum

tum eſt præualidũ. Sunt enim perindè ferè comparati, atque illi, qui pedem in tuto fixerunt. Sapientia omnibus eſt lignum vitæ, qui gnauiter illam ſectantur; piis porrò firmum eſt munimentum, qui ſecurè illi innituntur. Nam & in Deo requieſcit, & ſuper dilectum ſuum, amore languida ſuauiter recumbit.

DIDYM. Si Dei ſapientia eſt lignũ vitæ, non iniuria Adamus ab illo abſtinere iuſſus eſt. Siquidem *in maleuolam animam non intrabit Sapientia*. Quia verò arbor vitæ oritur ex iuſtitiæ fructibus, non inueniens cui rei comparet illum, qui ad lignũ illud vitæ anhelat, orationem in ſeipſam transferens, ait, ita conſtitutus eſt qui in me fidit ac ſi in Dominum ipſum ſpem ſuam reiiceret.

Sap. 1. 4. Lignũ vita Crux Chriſti.

Deus per ſapientiam fundauit terram, ne- 19.
que citra prudentiam parauit cælos, per 20.
eius item ſenſum & intelligentiam abyſſi
eruperunt, nubeſq; rorem diſtillauerunt.

Per *ſapientiam* Dei Verbũ diſertè hoc loco ſignificatur, per hoc vnum enim Deus pater fecit omnia, quæ facta extant. Vox hæc ἡτοίμασε, idem ſonat quod *ſubitò expediuit*, vel *citra laborem in produxit*. Per *Abyſſos* fluidam illã confuſamque materiam, vnde aquæ productæ ſunt, inſinuat.

Per Sapientiã Dei Verbum paſſim exprim.tur.

DIDYM. Et hæc quoque in Dei patris filium aptè conueniunt, vt qui vera illa & ſempiterna ſcientia & ſapientia ſit, per quem omnia facta ſunt. *Fundauit terram*. Quin cu-

Quid Abyſſi nomine denotetur.

iuſque fidelis anima, terra quoque appellari poteſt, vt quæ cẽteſimum fructum proferre nata eſt. Hæc enim ea eſt quæ de diuinæ ſapientiæ pinguedine ſapiens efficitur, Deo patre ipſam in ea fundante & conſtituente.

Cælos parauit.

ALIVS. Inter omnia corpora quæ Deus finxit, puriſſimum & venuſtiſſimum eſt cælum: vtpote immortale angelorum ſubſtantiarumque intelligentium domicilium.

Nubes diſtillauerunt.

Per nubes ſenſu ſublimiori Apoſtoli & Prophetæ denotantur.

Sapiens Salomon totius vniuerſi qualitatẽ & formã animo complectens, accuratamque rerum omniũ rationem & inexhauſtã illam iudiciorum Dei profunditatem ſecũ pertractans, *Nubium* nomine eam expreſſit: aut certè nubes prophetas & Apoſtolos vocauit; rorem autem illorum doctrinam.

Deus in ſapientia.

Hoc eſt in Chriſto, & per Chriſtum fundauit & exornauit vniuerſam terram; & omnia quę ſunt in illa. In ſenſu autem, hoc eſt, ſolo voluntatis nutu, idem ille abyſſos, aquarumque congeriem formauit.

21. *Ne meam fili conſiliũ, meamq; ſententiam præterfluere ſinas, verum vtrumque diligẽter cuſtodias;*
22. *quo & anima tua viuat, & gratia collum tuum circundet.*

EVAGRIVS. Ne viuentem illam aquam præterlabi patiaris, inquit, verum deriues eam ad te: ne ſalutaris viuæque illius vndæ

de-

defluxionum exors fias. *Conſilium* porro vocat hoc loco, animi nutum, & agitationem circa practica: *ſententiam* verò rationis diſcurſum circa theorica.

Vt anima tua viuat.

Hoc eſt, vt congenitam iureque ſibi debitam immortalitatem conſequatur, impatibiliſque maneat; & corpus æquè tuum incorruptione & immortalitate per gratiam donatum, æterna vita exornetur. *Anima ſuapte natura immortalis.*

Et ſanitas obtingat carnibus tuis & curatio oſſibus tuis; vt ambules confidenter, pacateq́; conficias omnes vias tuas; neque pes tuus offendat. 23.

Etſi quæ de carnium ſanitate & oſsium curatione hic repetuntur, in latina & vulgata editione extent: tamen in Hebræa & emendatioribus exemplaribus non habentur.

BASILIVS. Temperantia, inquit, & Sobrietas ſunt quæ ſenſilem carnem tuam ſanare, vegetamq́ue conſeruare debent. Ad intemperantem namque dicitur, Quando ſcortatio nimirum & luxus, corporis tui carnes conſument, &c. Si ergo laſciui hominis carnes per luxum & intemperantiam abſumuntur, vtique temperantis, & ſobrij carnes ſobrietate & temperantia ſanabuntur & cōſeruabuntur. Per *temperantiam* autem reſtitutus, cum in actionibus, tum in cogitationibus quoque quietus, turbarumq́ue expers viuet; neque facilè quoque in illis impinget. Aut *carnes*, vires illas vocat, quæ animæ membra *Luxus & intemperantia abſumunt vires corporis.*

continent. Per *oſſa* verò eas animæ facultates inſinuat, quæ eiuſdem animæ partes, quò firmiter conſtanterque perſiſtat, colligant.

Neque pes tuus offendat.

Quid ſit animæ offenſio.

Ratiocinantis naturæ offenſio, vel eſt immunda cogitatio, aut mēdax falſaue opinio.

24. *Si domi deſederis; timoris expers eris; ſi lecto*
25. *decubueris, ſuauem ſomnum capies; neque*
ingruentem terrorem expaueſces, neque
impiorum hominum ſubitò irruentes ali-
26. *quando te perterrefacient. Nam in omni-*
bus vijs tuis Deus præſtò tibi erit: firma-
bitq́ pedem tuum, ne prolabaris.

AVCT. CAT. Lege cautum apud Iudæos extabat, vt ſiue domi reſiderent, ſiue manè è ſtrato exſurgerent, ſiue quid aliud agerēt, diuina eloquia animo ſemper pertractarent. Si nos ergo circa diuinarum rerum meditationem ſic occupati fuerimus, ab hoſtili metu immunes erimus, pacemque & animi à prauis cogitationibus tranquillitatem obtinebimus, & ſententia denique incerta minime fluctuabimus. Si inquam ſapientia probè muniti fuerimus, neque domi ſedentes metu concutiemur, neq; noctu dormientes phantaſmatis turbabimur, neque malarum cogitationum inſidiis, quæ ab externo hoſte inferuntur, perterrefiemus; neque impij tandem & ſcelerati homines (qui vt vim noſtram frangant, boniſque naturæ nos ſpolient, non abſque impetu hinc inde irruere non-

Magna vis ſapiētiæ ad præſtandam animi trāquillitatē.

nonnunquam ſolent) facili negotio nos deiicient. Siquidē Dominus ita nos defendet, greſſuſque noſtros ad eum modum firmabit, vt vbique immoti perſiſtamus. Vel ad hunc modum hæc accipe; Siue in terra ætatem egeris, timoris expers viues: ſiue per mortem hinc euoceris, cum gaudio è vita excedes; neque hoſtes, qui ſub aſpectū non veniunt, formidabis, ſiue illi opera tua ad examen adduxerint, ſiue ſancti angeli.

Ne ceſſes inopi benignè facere, quando in 27.
manu tua eſt, vnde opem illi ferre queas;
nec dicas, Cras reuertere, & dabo: ſi hodie 28.
benè facere potes: neſcis enim quid dies
craſtina pariat.

Egeſtate preſſo, quando potueris, & quantū potueris, opituleris, inquit, neque faciem tuam ab illo quandoque auertas. Eſt enim hoc magnæ cuiuſdam crudelitatis & inhumanitatis argumentum.

Pro viribus egenis benignè faciendū.

Ne aduerſus amicum, vicinum præſertim, 29.
deq; te fiduciam habentem, machineris
malum: neque cum vllo homine omnino 30.
citra cauſam contendas, ne detrimentum
tibi inferat: neque improborum hominum 31.
probra tibi accerſas: neque illorum vias
& ſtudia æmuleris: nam coram Domino 32.
omnis impurus iniquus habetur: nec in iu-
ſtorum cœtu ſedem capit.

Ne cui fruſtrà aduerſeris, &c.

EVAGR. Num ergo, inquis, fruſtrà quãdoque inimicitiæ exercentur? Sane propter impietatem alteri aduerſari nefas non eſſe. Neque enim citra cauſam Apoſtolus Paulus aiebat: *Si fieri poteſt, quid ex vobis & cum omnibus hominibus pacem habentes.*

Rom. 12.

ALIVS. Cum litibus odiiſque vacare res ſit mala; imo verò ſtulta prorſus & inſana, merito ne illam conſectemur admonet. Addit nihilominus fruſtrà, vtique propter Dei hoſtes legiſq; diuinæ aduerſarios. Illos enim non quidem vt homines, ſed vt Dei inimici ſunt, odiſſe nefas non eſt. Hortatur hic ergo, vt ab hominum nulla iuſta cauſa nobis aduerſantium conſortio abſtineamus. Quemadmodũ ſupra quoque id fecerat. Ibi enim: *Ne ambules cum ijs in via*, inquiebat, hic verò, ne illorum opera æmulemur, aut illorũ ſtudia commendemus, prohibet. Nam etſi in mortali hac vita quadam interdum ſuauitate potiantur, attamen ea ſuauitas non prouenit à Deo, ſed aliunde. Sunt enim immundi, adeoque apud Deum exoſi, apprimeque execrabiles. *Aſt in cœtu.* Interpres noſter hæc ad ſimplicium ſermocinationem, non ad iuſtorum concilium.

Hominem propter flagitia odiſſe licet.

33. *In impiorum domibus moratur domini maledictio, iuſtorum autem caſæ, benedictione cumulantur.*

OLYMPIOD. Res impiorum, inquit, etſi ſplendidæ magnificæque hominibus videantur,

deantur, apud Deum tamen ſunt viles & execrabiles. Contra verò res iuſtorum, licet abiectæ & tenues cernantur, diuina tamen benedictione copioſè locupletantur. Sublimiori autem ſenſu per *domum* intelligentes animæ facultates deſignantur, per *caſas* verò vel *ſtabula* iraſcentes & concupiſcentes eiuſdem vires, In illis enim brutę illę rationiſque exortes perturbationes & animi paſſiones graſſantur, lateque dominantur. *Quo loco ſint apud Deũ impij*

BASIL. Domus impij, quæ tugurio vel caſa, quaſi hominum domicilium anteponitur, præſtantiorque habetur, ſortitur maledictionem. Iuſtorum autem ſtabulum, quod domo veluti iumentorum receptaculum poſtponitur viliuſque cenſetur, benedictione impletur. Myſticè vèrò *iuſtorum caſa vel ſtabula* accipi poſſunt pro externis illorum actionibus, *Domus* autem pro contemplatrici animæ virtute. Aut *caſa vel ſtabula* ſunt rudes qui ad iuſtos tanquam ad bonarum diſciplinarum officinas adducuntur. Domus verò diſcipuli iam perfecti & eruditi. Quod ſi iuſtorum caſæ benedicuntur, multo magis illorum domus diuina benedictione locupletabuntur. Et hæc quidem apud eos, qui pietati & religioni deditì ſunt, ita habent; apud impios autem contraria obtinent.

ALIVS. Immundorum ſpirituũ diuerſæ ſunt *Domus*. Vna namque eorum domus ſunt ſuperbi, alia eorũdem domus ſunt omnes inuidi, alia itidem omnes fœdis voluptatibus mancipati; alia rurſum omnes ambitioſi: *Cuiuſmodi ſint domus ſatana.*

tioſi: alia tandem omnes hypocritæ, & in omnibus hiſce domibus æterna ſæuit punitio. *Caſa* autem iuſtorum ſunt ſanctorum manſiones, quæ Dei benedictione affatim cumulantur.

34\. *Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Quid ὑπερηφανίας nomine ſignificetur. Deus alia & alia ratione aduerſatur peccatoribus. Matt. 11.

Summa malitia, eiuſmodi eſt, quæ quaſi ad improbitatis faſtigium iam deuenit, ὑπερηφανίας, hoc eſt *ſuperbia vel faſtus* nomine deſignatur. Deus autem quatenus eſt ipſamet Iuſtitia per eſſentiam, obſiſtit iniuſtis; quatenus autem prima Veritas, mendacibus & falſis: vt tandem ſummè manſuetus & humilis eſt, ſuperbis. Hinc illud Chriſti: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.*

35\. *Gloriam ſapientes poſſidebunt, impij autem exaltabunt ignominiam.*

Cuiuſmodi gloria debeatur ſapientibus.

Sapientes, inquit, hæreditario iure adibũt gloriam, non illam fluxam & caducam; ſed ſempiternam, qua Deus illos donare & exornare ſolet, qui ipſum glorificant & diligunt: per *ignominiam* autem, quam impij hoc loco exaltare dicuntur, peccatum & ſupplicium, quod illi adiunctum eſt, deſignatur.

CAPVT

CAPVT IV.

Audite filij diſciplinam patris ; & attendite vt ſciatis prudentiam : ſiquidem donum bonum impertiar vobis, meam doctrinam ne deſeratis. 1. 2.

PER *paternam diſciplinam* virtutem moralem hoc loco exprimit, per *prudentiam* autem vel cogitationem; rerum diuinarum cognitionem. Filius porrò patris is rectè appellatur, qui ad patris ſimilitudinem formatus eſt, quique non alieno, ſed proprio gaudet patre. *Quis patris filius rectè appelletur.*

Nam & ego puer fui, patri obſequens, matriq; vnicè carus, qui docebant me & dicebant. 3. 4.

Contextus Latinus ſingulari numero hæc effert & ad ſolam matrem refert.

Non dedignatus ſum, inquit, vel ex matre quid facere, aut fugere deberem, audire & diſcere. Fieri enim vix poteſt, vt de humanarum actionũ ratione malum quiſpiam conſilium à parentibus capiat: niſi aliqui forſan vſque adeò ſint peruerſi menteque deprauati, vt parentum nomine prorſus indigni videantur.

Firmetur fili ſermo noſter in corde tuo, cu-
ſtodi præcepta mea, neque obliuioni tra-
5. *das. Compara ſapientiam, compara pru-*
dentiam. Caue obliuiſcaris aut aſperneris
eloquium oris mei; caue à verbis oris mei
6. *deflectas. ne deſeras ſapientiam, & adhæ-*
rebit tibi; dilige eam, & cuſtodiet te.

Præceptoris induſtria abſq; diſcipuli diligentia parum poteſt.

OLYMP. Firmet ſe ſermo noſter in corde tuo, inquit: parum namque vtilitatis adfert præceptoris induſtria & diligentia, quādo diſcipulus vel non attendit, vel non expendit, & pulcrè dixit ἐρειδέτω, *firmet ſeſe* ſermo noſter, conquieſcat in corde tuo, illi alligetur, nec diſcedat, neque diſſiliat ab illo. Ponitur enim ἐρειδέτω, pro ἐρειδέσθω: Senſus eſt, inhæreat, infigaturque animo tuo, oſtende animi baſim & fundamentū eſſe, ſapientiam & intelligentiam comparare. Caue negligas aut obliuioni tradas; eam ad rem adhibe curam, adhibe diligentiam, caue legem derelinquas, aut à verbis oris mei diuertas. Ille autem legem derelinquit, qui in illam præuaricatur.

7. *Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam: &*
in omni poſſeſſione tua acquire intellectū:
8. *aggeribus circunda ſapientiam & exal-*
tabit te; honora illam vt amplectatur te.

Matth. 5.

Per *intellectum* deſignat hic virtutem cum prudentia coniunctam, quæ aliud nihil eſt, quam Iuſtitia: *Beati*, inquit Chriſtus, *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.*

Acquire

Acquire intellectum,&c.

Nam vt quis prudẽtia & intellectu deſtitutus laude dignum aliquid efficiat,id fieri omnino non poteſt. *Circunda illam aggeribus*, ait, hoc eſt iugi diuinarũ Scripturarũ vſu & meditatione illam confirma:nec enim vt ſapiẽs ſis,ſat eſt,ſapientiam amare, aut obiter illam deguſtaſſe,ſed magna præterea opus eſt cuſtodia, & cura, ne quam comparaſti, denuò amittas: *Aggerem* autem ſeu *vallum*, morales Virtutes hoc loco vocat;illæ enim ſunt,quæ mentem ad Dei cognitionem ſubleuãt,eandemque ab omni aduerſitate propugnant. *Honor ſapientiæ* in præceptorum Dei obſeruatione præcipuè poſitus eſt. Ipſa verò per ſe ſapientia eſt Chriſtus, cuius ſponſa eſt anima, quæ eum per virtutes veneratur, & ab illo viciſſim honoratur, amplexatur, & confouetur.

Citra Prudentiã nihil laude dignum præſtari poteſt.

Vt capiti tuo gratiarum coronam largiatur, ſertoq́; deliciarũ,veluti ſcuto,te exornet. 9.

Per *gratiarum coronam*, virtutum catenam, diuinorumque chariſmatum cõgeriem hoc loco exprimit: per *voluptatis* autem *diadema*, diuinæ cognitionis ornatum.

Quid corona gratiarum.

Audi fili, & verba mea ſuſcipe, quo vitæ tuæ anni auctiores reddantur multæque viæ vitæ tibi ſuppetant. 10.

Quo immortali vita potiare,meam,inquit, doctrinam capeſſe. Multæ autem viæ vitæ, aliud ferè nihil ſunt quam multæ honeſtæ actiones,

Digitized by Google

actiones, quæ ad veram Dei cognitionem, vitæque immortalitatem adducunt. *Vita* autem tria ſignificat, nempe vitæ tempus, vitæ inſtitutum, & vitæ ſuſtentandæ præſidium, hoc eſt alimentum.

Vitæ nomine tria deſignantur.

11\. *Viam namque ſapientiæ oſtendam tibi, perq́; rectam virtutum ſemitam te deducam.*

Quales ſint Sapiẽtiæ viæ.

Sapientiæ orbitæ vel ſemitæ ſunt viæ, quæ de vno bono honeſtoque opere deducũt ad aliud, & rurſum ad aliud: Oſtendam, inquit, tibi, quomodo in virtutum via nunquã conſiſtere, ſed continuos in illa progreſſus facere debeas.

12\. *Per has enim ſi ambulaueris, non arctabũtur greſſus tui, ſi cucurreris, non defatigabere.*

Si, inquit, vt ego præcepi, teque docui, per ſapiẽtiæ vias ambulaueris, neque laborabis, neque defatigaberis, vtpote virtutum habitu iam corroboratus.

ALIVS. *Operis finis* συγκλειμὸς appellatur. At is in ſapientiæ ſtadio locum non habet, vt quæ perpetuis progreſſibus florere & gliſcere ſoleat. Qui enim virtutum curriculum conficit, is nullam vnquam ſatietatem capit. Semper enim ad bonum optatum propius ac propius accedere expetit. *Si enim cucurreris, non laborabis.*

ALIVS. Non eſt hic ſermo de externo corporis curſu, verum de eo, qui fit ſecundum animum, cuiuſmodi curſum Apoſtolus Paulus conficiebat: *Sequor*, aiebat, *ſi quomodo comprehendam.*

Philip. 3.

Com-

Complectere diſciplinam meam, neque dimittas. Quinimò ne vitæ iacturam facias diligenter tibi aſſerues illam. 13.

AVCT. CAT. Diſciplinam per omnem vitam accuratè cuſtodire iubet; vt quæ vnica veræ vitæ cauſa exiſtat, Sapientia autẽ, quam tota vita ſtudioſè conſeruare mandat, eſt fides in Chriſtum: propter hanc enim ait, *ſi cucurreris, non defatigaberis*; quaſi dicat, etſi luctа quędam tibi fidei curriculum conficienti aliquando obuenerit, nullũ tamen inde detrimentũ accipies, aut laſſitudinem ſenties, curres enim non corporalem, ſed ſpiritalem curſum, qualẽ Apoſtolus aliquãdo currebat.

Parens æternæ vitæ diſciplinæ obſeruatio

Philip. 3.

Impiorum iter ne ingrediaris; neque iniquorum vias æmuleris. 14.

Impiorum vias, illorũ hominum doctrinã hoc loco vocat, qui aliter quã rectè docent, iniquos verò eos appellat, qui in legẽ peccant.

Vbicũque tandem caſtrametati fuerint, illuc ne ingrediare: declina ab eis, & pertranſi. 15.

Etenim cum hoſtes ſint, caſtra aduerſum te inſtruere, bellaque ciere moliuntur. Caue ergo ne illis te adiungas, aut vllã omninò familiaritatem cum iis ineas. Cæterum per *aduerſarios*, de quibus hic ſermo eſt, improbæ impuræque cogitationes deſignantur. Hæ enim ſunt, quæ mortalium animos ſæpenumero grauiter lædunt, & interdum quoque perimunt: ſiquidem impurus illorum exercitus

Praua cogitationes mortẽ intentant animæ.

citus ex inſtituto tendit ad necem. præteri proinde & recede ab illis, tanquam cui nihil prorſus cum eis commune exiſtat; ignita inimici tela deuita, & ab iis declina: belluinos animi impetus compeſce, neque quæ ſuggerunt, in mentem vnquam admitte, aut opere exple.

16. *Neque enim prius dormiunt aut ſomnum capiunt aut quieſcũt, quàm malè fecerint.*
17. *Qui ita ſunt comparati, vti impietatis eſca paſcantur, & iniquitatis viro ine-*
18. *brientur; at iuſtorum viæ inſtar lucis nitent ac ſpendent.*

Impij nũquam qui eſcunt.

AVCT. CAT. Si Dominus dilectis ſuis largitur ſomnũ, impij ergò non ſunt dilecti; ſiquidem Dominus nullũ illis ſuauem ſomnum, aut quietem indulget. Diſcimus hinc autem, cuiuſmodi pane & vino aduerſariarum Virtutum agmina paſcantur & potentur, nec enim alia hic illis tribuuntur eſculenta & poculenta, quam impietas & iniquitas.

18. *Procedunt iuſti & lucent, donec dies hæc feliciter abſoluatur.*

Hæc vita præſens, quòd periculis & tentationibus plena ſit, nox potius quã vita appellanda eſt.

Præſens hæc vita, cum futura comparata, nox verius appellatur, & eſt, quam dies, donec enim virtutes in tuto trãquilloque vitæ portu collocentur, non deërunt vnquam pericula & tentationes, quæ nos infeſtent. A periculis namque & tentationibus prorſus immunem eſſe, alterius diei, locique proprium

prium eſt. Hic autem inter tenebras & cum tenebris, hoc eſt cum multis tentationibus variiſque periculis perpetuo nobis luctandum eſt. Interim etiam in ipſis & tenebris diuinæ cognitionis lumen nos non deſerit, donec aliquando tandem omnium tentationum nox penitus ſoluatur. Secundum anagogam autem, per diem, ſecundum Domini noſtri Ieſu Chriſti aduentum ſignificat.

At improborum viæ ſunt obſcuræ, neque qua in re, neque quomodo offendant, ſatis intelligunt. 19

Illos hoc loco deſignat, quos profundæ ignorationis tenebræ opertos planeque obrutos tenent; neque dimittent, donec ad Dominicæ cognitionis diem attingant. Proponitur hic autem quoddam extremæ malitiæ & occæcationis argumentum; ſiquidem homines, de quibus hic agitur, cõtinuò impingunt & offendunt, neque tamen in quonam impingant aut offendant, ſatis animaduertunt.

Fili orationi meæ attende, meiſq; ſermonibus 20.
aurem tuam adiunge. Ne tui te fontes 21.
deſtituant cuſtodi illos in corde tuo. Vita 22.
enim ſunt omnibus, qui inuenerunt eos, vniuerſæq; carni ſanitas.

Fontes hoc loco vocat Virtutes, ex quibus viua veræ ſalutariſque cognitionis aqua hauritur. Qui autem in ſapientia progreſſus fecit, facitque ſubinde, illi non vnum, ſed plures

Sapientiæ plures ſimul virtutes complectitur.

plures identidẽ fontes adducit; prout illa nõ vnã, ſed multas ſimul virtutes cõplectitur.

23\. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum: Ex ijs namque, quæ nimirum abdita in corde latent, procedit vita.*

Ex cordis cuſtodia procedit vita.

Omni cuſtodia, hoc eſt, magna cura & cautione, aut omni certè loco & tempore, temporiſque qualitate cuſtodi cor tuum iuxta illud: *A cuſtodia matutina vſque ad noctem, &c.*

Pſal. 129.

24\. *Os peruerſum abs te ſemoue, labiaq; iniuſta procul abs te repelle. Oculi tui videant recta, & palpebræ tuæ ſpectent ad æqua.*

Quid per os peruerſum denotetur.

Per *os peruerſum*, & labia iniqua ſermonem falſum, vel doctrinam à virtute alienam ſubindicat hoc loco. Recta porrò oculi cernunt, quando à prauis cogitationibus repurgati, nec non à perturbationum fluctibus liberati, ad orthodoxa dogmata præcipuè intenti ſunt. Cum ergo dicit, *Oculi tui videant recta*, internam animæ viſionem denotat; ſicut cùm alibi ait: *Comede mel, fili, & dulcore perfundatur guttur tuum*, diuinam doctrinam & inſtitutionem, quæ ſpiritualem animæ notitiam perficit, mellis metaphorâ inſinuat. Quin ipſa etiam ſapientia, ad animæ qualitatem refertur. Hinc illud: *Dilige eam, vt amplexetur te.* Anima autem ſapientiæ conſecrata, ex eiuſmodi conſortio & familiaritate ſanctificatur & expiatur. His animæ odoratũ quoque adiunge. Nam ipſa etiam fragrantiæ Chriſti particeps efficitur.

Anima per Sapiẽtiam ſanctificatur & expiatur.

Et

Et palpebræ tuæ ſpectent ad iuſta. 26.

Hoc eſt, nutibus ad nequitiam ne vtaris; ſed quilibet ſenſus ad honeſta tantum obſequium ſuum tibi præſtet, per *palpebras* autem mentem & animæ ſenſum deſignat.

Rectas fac ſemitas pedibus tuis, & vias tuas rectè moderare.

Rectas ſemitas appellat animæ vires, quibus nixa in virtutibus progreditur, deque vno bono opere ad aliud ſubinde prouehitur. At verò *animæ pedes*, eiuſdem ſunt impetus, per quos de hoc in illud fertur. *Cuiuſmodi ſint animæ pedes.*

Ne deflectas, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Auerte pedem tuum à via mala; porrò autem vias, quæ à dextris ſunt, agnoſcit & approbat Dominus, quæ verò à ſiniſtris ſunt, peruerſæ ſunt. Ipſe autem tuas ſemitas rectas faciet, & itinera tua in pace producet. 27.

Ne deflectas, &c.

OLYMP. Quandoquidem virtus in quadam mediocritate poſita eſt, Sapiens præmunit hîc iuſtum, ne vel propter honeſtè facta commendatus plus æquo ſe efferat, vel propter fidem, aut vitæ integritatē aut aliud quodcunque laudabile opus contumelia affectus, aut alio quouis modo vexatus animum deſpondeat, aut ab officio deſiſtat. *Dexteram* enim vocat hoc loco honorem & gloriam. *Siniſtram* verò crucem & ignominiam. *Quid per dexteram, & ſiniſtram deſignetur.*

Digitized by Google

niam. Aut *dexteram* appellat exceſſum; *ſiniſtram* autem defectum: aut morum certè doctrinam. Diuidit hic tripartito: Et quidem mediam illam definit, quæ ab vtroque extremo abſtinet; *dexteram* verò, quæ licet recta videatur, adeoque placeat, rei tamen naturam plane non attingit: *ſiniſtram* autem, quæ à veritatis ſcopo apertè deflectit.

Pleraque res à Dei nutu & voluntate dependẽt.

POLYCHRON. Tu inquit, abſtine ab omni malo & peccato; ille interim viam tuam ad bona diriget, tuoſq; inimicos euertet. Indicat per hæc autem complurium rerum euentus in noſtra poteſtate poſitos non eſſe, ſed in Dei voluntate. Is enim eſt, qui hominum ſtudia in terris, cæteraque omnia, quæ ad æterna illa bona, quæ in cælis repoſita habemus, ſpectant, rectè prouideque adminiſtrat.

CAP. V.

1. *Fili ad ſapientiam meam attende, aureſq́ue*
tuas ad ſermones meos adijce, quo hone-
2. *ſtam cogitationem conſerues, labiorumq́ue*
meorum ſenſum, quẽ tibi mando, teneas.

HIc denuò ad ſapientiæ perceptionem, de qua crebrò iam ante actum eſt, attendere, ſanæque doctrinæ aurem accommodare iubet. Per hanc vnam namque recta ſanaque de virtutibus ſententia comparatur.

Digitized by Google

Ne prauam mulierẽ obſerues. Mel enim de 3
mulieris meretricis labijs diſtillat.

OLYMP. Etſi extra controuerſiam ſit, neque vtile, neque honeſtum quoque eſſe, prauæ mulieris conſuetudini adhærere: ſiquidem temporaria voluptas, quæ ex eiuſmodi commercio capitur, in æternum ſupplicium tandem conuertitur. Attamen quia doctrina hæc parabolica eſt, per *prauam mulierem* hæreſim, aut ſtultitiam hoc loco accipere poſſumus. Nam qui harum rerum ſtudio tenetur, ſi quid prauum cogitat aut loquitur, aut operatur, ad tempus quidem in eiuſmodi prauitate oblectatur, ad finem tamen veluti morti obnoxius æternæ pœnæ, ſempiterniſque cruciatibus mancipatur.

Neque vtile neque honeſtum prauæ mulieris conſuetudini adhærere.

Quid myſticè per prauã mulierem deſignetur

GEORG. Ne deceptoriæ aut fraudulentæ attendas, ait; vt quæ imprudentes parumque cautos blandimentis ineſcari ſoleat.

Quæ etſi guttur ad tempus impinguet, ad 4
finem tamen, felle amarius, gladióque ancipiti aſperius illud comperies.

POLYCHRON. Hoc loco Sapiens nos admonet, falſam doctrinam auribus quidem gratam, animo autem exitialem eſſe. Per *pinguedinem* autem inſinuat voluptatem, ex qua dimanat, immundiciæ, cuius ſoboles eſt malitia, qua nihil exſtat amarius.

Malitia nihil vſquam exſtat acerbius.

GEORG. *Gladium* hoc loco vocat ſupplicium, vel cruciatum, iuxta illud: *Gladij mei vulneratici eſtis*: Aut iudicium, quod præ-

acuti gladij inſtar cordium abſcondita rimabitur & penetrabit.

5. *Pedes namque inſipientiæ per mortem deducunt illos ad inferos, qui familiariter ea vtuntur. Sed neque plantæ quoque illius*
6. *formantur, neque vias vitæ ingrediũtur.*

Vltima hæc clauſula in Septuaginta editione deſideratur.]

Quam paulo antè *meretricem* vocauerat; eam hoc loco *ſtultitiam* appellat. Sapientes proinde, qui ſapientiam deſerunt, viui ad inferos deſcendunt: ſtulti autem mortui eò deportantur.

Lubricæ ſunt ſemitæ eius, nec facilè deprehendi poſſunt.

GEORG. Periculoſæ inquit & lubricæ ſunt ſemitæ eius. Cur ita? quia de vno in aliud malum continuò volutata; & ex familiari & diutina conſuetudine, quam in illis habuit, qui eam conſectãtur & complectuntur, ad lapſum effecta familiares ſuos cæleſti regno ſpoliat, rectaque ad inferos amandat. Stultitia nihil habet ſtabile, vt quæ omni paſſim vento circumferatur.

Stultitia omni vẽto inconſtantior.

7. *Nunc igitur, fili mi, audi me, neque irritos feceris ſermones meos.*

Aduerbiũ Nũc trifariam vſurpatur

Vox hæc *nunc*, quandoque aduerbij temporis notionem obtinet, vt: *Ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.* Nonnunquam temporis momentũ denotat, vt: *Nunc turbata eſt anima mea.*

Inter-

Interdum verò rei ſtatum & qualitatem indicat, atque hoc ſenſu hîc vſurpatur. Quia, inquit, ita comparatus es, vt ad impoſtricem & doloſam illam mulierculam diuerti velle videaris; *Doctrinam meam exprime* atque confirma opere, quod vtique futurum eſt, ſi virtutem conſectatus ab improbitate procul receſſeris.

Procul ab ea vrge viã tuam; neque ad ædium 8.
illius fores appropinquaueris. Ne obijcias 9.
vitam tuam alienis, aut victum tuum crudelibus.

Omnes, inquit, colloquij cum ea ineundi occaſiones fuge. *Viam*, vocat hîc mentem ad virtutẽ propenſam, & ad eam iam contendentem: *Fores* verò ineundæ familiaritatis cum meretrice vel hæreſi exordium: *Domos* autem perfectũ in falſa dogmata vel carnis libidinem conſenſum: Scortationẽ tandem ipſam hæreſin vel ſtultitiam. Sunt qui per *fores* vultum illius non ſatis exploratum ſignificatum exiſtiment.

CHRYSOST. Ne virtutibus, quas nactus eras, te exuat, fuge conſortium illius.

Ne fortè exteri ſaturentur viribus tuis, & 10.
labores tui in domum alienam ingrediantur.

Iis hæc proponuntur, qui & veritatem ſapiunt, & vitam æternã hæreditare cupiunt. Per *alienos* autem eorundemque domos malignos dæmones accipe. Hi enim ſunt qui à via,

Dæmones hominum interitum magni lucri loco ducunt.

via, quæ ducit ad virtutem, nos abducere, quoſq; virtutis ſtudio exhauſimus labores, abdere & abolere contendunt: & qui nos denique totos, quanti ſumus, quouis modo perdere & abſorbere exoptant. Quippe qui hominum interitum magni lucri loco ducere ſoleant. Ille autem propriam vitam abiicit exteris, qui virtutibus ornatus, praua aliqua cogitatione aut ſuggeſtione impulſus, perpetrat aliquid ſtultum; & à ratione alienum, eoque modo vna è ſtultitiæ, hoc eſt, immundorum ſpirituum domibus, domus efficitur.

11. *Et nouiſſime, quando nimirum corporis tui carnes abſumptæ fuerint, pœnitudine du-*
12. *caris, & dicas, Cur exoſam habui diſciplinam, & increpationes auerſatum eſt cor*
13. *meum. Cur vocem corripientis & docentis me non audiui? neque aurem meam huc adieci?*

POLYCHRON. Quod hic *carnium detritionem* vocat, hoc paulo ante *virium conſumptionem* appellauerat: aut per corporis carnes concupiſcendi vim accipe, per *carnes* autem Spiritus virtutem & energiam.

BASIL. Ne, inquit, in nouiſſimis tui te pœniteat & doleas, quando nimirum exactor accedet, corpuſque quod magno ante ſtudio curaueras, in terræ puluerem vertendum deſeres. *In inferno enim quis confitebitur tibi?* Pſal. 6.

GEORG.

GEORG. Per carnium contritionem, quandam labem & corruptionem in carne infixam hîc exprimit. Cæterum propter improba & ſcelerata opera permulti carnem *Chriſti* ſacrilegè conterunt, ſanguinémque eiuſdem precioſum fœdè conſumunt, communem nimirum illum ducentes.

Quid carnis cōtritione deſignetur

Adductus ſum propemodū in omne malum, in medio eccleſiæ & ſynagogæ. 14.

ORIGEN. Propemodum deueni ad omne malum. Erat tempus, quando nulla erat malitia, erit rurſum, quando nulla erit. Siquidem virtutum ſemina animo inſita aboleri omnino non poſſunt. Vt hoc credam mouet me diues epulo. Hic enim ferme, at non plenè tamen verſabatur in omni malo. Nam etſi propter malitiam inferno adiudicatus eſſet, adhuc tamen fratrum miſericordia tangebatur. Atqui miſericordia eſt nobiliſſimum virtutis ſemen.

Lucæ 16. Caute hæc legas ſapiūt enim quiddam Origenicū.

POLYCHRON. *Eccleſia* perfectorum cœtum hoc loco deſignat: *Synagoga* autem infirmorum & imperfectorum. Qui igitur apud Corinthios in medio Eccleſiæ & Synagogæ peccauerat, non ex parte, ſed abſolute, in omni malo erat.

Quid Eccleſiæ et ſynagogæ nomine deſignetur

Fili, de tuis ciſternis, deq; tui fontis puteis aquam bibe. 15.

OLYMP. Bibe aquas, hoc eſt, ſalutaria vitæ documenta ex ſacris & diuinis literis hauri, & pietatis potum, ex diuinæ cognitio-

Fons ſalutaris diuina Scriptura

nis puteis, quæ iam inde ab initio familiariter nobis cohabitauit, fontiſque nomen accepit. Ex quo ſonte proſcaturiunt pocula, quæ mentem refocillant animumque recreant, ac ſeſe in plateas, in quibus ſapientia liberè concionatur, copioſè diffundunt. Non ſinit tamen fontis noſtri aquas ea vbertate diffundi, vt concedant ad alienos: ſiquidem veneranda fidei myſteria ab iis ſuum more turpem vitam, vult nos abſcondere, & ob id paulo infra ſubiũgit, nullus externus tecum communicet: ſed illi ſolum, qui eiuſdem tecum ſunt doctrinæ & fidei. *Vxor* autem *pubertatis*, cuius paulo poſt fit mentio, myſticè doctrinã, cui à puero familiariter aſſueuimus, denotat. Oblectamentum autem ex illa capit coniunx eius, quando ſecundum theoricam notitiam, quam nactus eſt, operatur.

16. *Aquæ tuæ ex tuo fonte magna vbertate profundantur, profuſæq́; pertranſeant in*
17. *tuas plateas, tibi vni ſint illæ, neque vllus alienus tecum ſit particeps.*

Diuina Scriptura & puteus & fons eſt.

DIDYM. Diuinarum rerum cognitio & *puteus & fons* eſt. Illis qui ad virtutis ſtudium primum accedunt puteus eſt; fons vero iis qui ad illius faſtigium iam peruenerunt. Atque ita Chriſtus ſaluator noſter ſuper fontem ſediſſe ſcribitur; Samaritana verò fontem illum *puteum* nominabat: aiebat enim: *Neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* *Ioan. 4.*

Eadem diuinorum myſteriorum intelligentia & mater quoque & vxor, & ſoror non-

nonnunquam appellatur. *Mater* quidē, quia à Chriſto doctore per illam geniti ſumus: *Vxor* verò quia dum illa familiariter nobiſcum degit, parit virtutes rectæque fidei dogmata. *Soror* autem, quia hæc æquè ac nos ex Deo patre orta eſt. *Et ſapientiam*, inquit, *ſororem meam dixi*. Poteſt aliter quoque ſententia hęc exponi. Per hoc enim quod diuinorum myſteriorum cognitionem, fontem vocat, rerū, quas continet copiam oſtendit; per id verò, quod ipſi ſoli vſum illius concedit, ſingularem voluptatem, quæ inde percipitur, exprimit.

Scriptura diuina & mater, & vxor, & ſoror noſtra eſt.

Fons aquæ tuæ tibi ſit peculiaris, cumque vxore, quacum ab adoleſcentia conſueuiſti, collæteris. 18.

POLYCHRON. Denunciat vxori, vt illi vni adhæreat, cui primo ad nuptias tradita fuerat. Deinde ad maritum reuerſus, ait, fons aquæ tuæ tibi ſit proprius: hoc eſt, ſana illa caſtaque doctrina, quam à puero hauſiſti, tecum in vita perſeuerer.

Verſetur illa tecum tanquam amabilis hinnulus, aut gratioſus equi pullus. Vna hæc 19.
tua ſit, tibique propria æſtimetur. Hæc
tecum ſit ſemper, tuq́ viciſſim in illius a- 20.
micitia voluteris aſſiduo.

Per *Hinnulum* vel *ceruam* ſignificatur hoc loco doctrina, quæ hæreticorum aliterque docentium, doctrinam euertit. Per gratiarum autem *pullum* ſententia, quæ virtutibus per-

petuo viret & floret. ALITER. Cerua amicitiæ, hoc eſt vxor tua ſit tibi inſtar ceruæ domeſticæ amabilis atque iucunda ac talis, quæ belluinas illas ceruæ illecebras & voluptates, vt ceruus ſerpentes ſolet, abſumat. Porro vox πολλεστός, quæ *multeſimus* reddi poteſt, variorum theorematum notitiam adumbrat.

Quid πολλοστός Latinè & myſticè.

20. *Ne ſis frequens apud alienam; neque inter*
21. *vlnas eius fouearis. Siquidem via viri ob oculos Dei perpetuo verſantur, vt qui omnes greſſus illius diligenter obſeruet.*

BASIL. Ne multus apud illam ſis, inquit. Nam modicum fortaſſis concedi queat; inhibetur autem ne diutius, aut frequentius quam par eſt id fiat: quandoquidem vſus interdum exigit eiuſmodi conuentionem; vt colloquio abſoluto, ſtatim inde reſilias.

Cum aliena frequẽter agere non conuenit.

CHRYSOST. Caue, inquit, ne frequens colloquium cum aliena inſtituas. Nam & grauis & periculoſa res eſt eiuſmodi vſus, & conſuetudo; vt quæ firmatum animi robur facilè frangat. Illud porrò: *Ne multus ſis apud illam*, non ad opus, ſed ad colloquium, vel familiaritatem referendum eſt.

Ob oculos Dei verſantur, &c.

BASIL. Rectè hoc, ſiquidem nihil omnium ita abditum eſt, quod Deum lateat, ne illa quidem quæ ſolum cogitata ſunt, cognoſcit is enim & cõſiderat omnia, vt hoc loco ſapiens tradit. Qui iniuria à quoquam affectus eſt, non videt omnia: at qui illatam iuſtè vindi-

Nihil ita abditum quod Deũ lateat.

Digitized by Google

vindicat, ille cernit omnia: ille rurſum ſi videt, ſæpe tamen pœnam condonat; Deus autem nihil pœna dignum impunè abire ſinit. Cæterum per *vlnas* alienæ prauas cogitationes altiori ſenſu hoc loco inſinuat. Hæ enim ſunt quæ animam continuò conſtringunt, & comprimunt. Vel per *vlnas*, non propriæ vel alienæ falſæ ſcientiæ figmenta ſubindicat. Quaſi dicat, ne dilexeris vanæ ſcientiæ commenta.

Suæ vnumquemque iniquitates capiunt; ſuorumq́ peccatorum catenis vnuſquiſque conſtringitur. 22.

Polychr. Nulla non iniquitas temporariam quandam voluptatem adiunctam habet, per quam homines venatur, captoſque & prauis operibus mancipatos, & prauis itidem diuturniſque conſuetudinibus, tanquam catenis quibuſdam conſtrictos, ad pœnitentiam venire non ſinit. At non omne peccatum *catena* dicitur, ſed illud præcipue, quòd ex praua libidine, infamique opere conflatur. Sola enim concupiſcentia ſi deſit conſenſus, non eſt peccatum.

Quæris iniquitas quandam voluptatẽ temporariam adiunctam habet. Concupiſcẽtia citra conſenſum non eſt peccatum.

Basil. Qui praua conſuetudine ducti peccatorum funiculos nectunt, non latent; quia ipſa conſuetudo illos quaſi captiuos ad opus trahit.

Catenis ſuorum quiſque peccatorũ conſtringitur, &c.

Chrysost. Quid moleſtè fers? quid indignaris? tute tibi ipſi vincula præparas? Nullũm neque Deum, neque hominem incuſes:

Cõſuetudo peccandi ad peccatũ potenter allicit.

Quæ patimur mala, à nobis ſūt. cuſes: ex nobis ipſis mala noſtra proueniunt. Vbi nunc ſunt Manichæi? Neque eiuſmodi homines obiter tantum ligantur; ſed validè quoque conſtringuntur; & domeſticum ſupplicium, quod propria conſcientia irrogat, antequam iudici ſiſtantur, ferunt.

23. *Ipſe porro ob rerum iniquitatumq́; copiam abiectus cum imperitis moritur, nec non ob mentis inopiam extinguitur funditus.*

Cum multa rerum copia, animiq́ue perturbatio & iniquitas illi adfuiſſet, hoc eſt, cum opes & iniquitates illius vehementer excreuiſſent, non quidē propter libidinem carniſque concupiſcentias, ſed propter ſtultitiam ſuam interiit. Habebat enim concupiſcentiæ commodum, ſi vti eo voluiſſet, remedium, nempe propriam vxorem. Nullus proinde naturā incuſet ſuam, ſed propriam intemperantiam; hoc autem non eſt vitium naturæ, ſed propriæ voluntatis malum. Ea enim ſponte in oppoſitum deflexit. Cernit quidem Deus, quæ perperā facis, & permittit, ipſe tamen non prius punit, quam vltro tu teipſum in illius retia conieceris.

Nō natura ſed propria volūtas & intemperantia dānat hominem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Fili, ſi fidem tuam pro amico obſtrinxeris manum apud inimicum defixiſti. Validum namque ſua cuique labia ſunt vinculum. Etenim proprij oris verbis eiuſmodi captus tenetur. 1. 2.

CHRYSOST.

SI amici cauſa fidem obſtrinxeris, rem arduam vereque magnam feciſti. Siquidem propter amicum inimico te obligaſti. Recte ſane feciſti: at diſce nunc ex me, quid te facere oportet, vt periculum euadas. Hoc Sapiens non dixiſſet: ſi omne omnino vadimonij genus abſolutè interdicere, vel certam quoque legem ea de re ferre voluiſſet, dixiſſet autem, Caue ne vnquam id feceris.

Quo ſenſu Sapiēs diſſuadeat vadimonium.

ALIVS. Non docet hic pro amico ſpondere nunquam bonum eſſe, verum quæ dicit ſublimiori ſenſu ad intemperantes, ventrique & gulæ deditos, cæteroſque qui propter ingluuiem aut voluptatum amorem pœnitentiam, & ad Deum conuerſionem differunt, ſpectant: ſiquidem *amicum* vniuſcuiuſque corpus hoc loco appellat: *ſponſionem* verò, emendationis propoſitum. Quandoquidem, quicunque pœnitentiam agere, aut intemperantiæ nuncium mittere prorogat, ille ſeipſum lædit; & hoſtium, qui ſub aſpectum non cadunt ludibrio, ſimulque ſalutis periculo ſe exponit.

BA-

Periculoſũ differre pœnitentiam. BASIL. Laqueus fortis eſt, pœnitentiæ & continentiæ dilatio; qui enim nimium differt, ille prauis ſuis operibus, quaſi propriis laqueis, miſerè tandem capitur.

3\. *Fac fili, quæ equidem mando tibi, quamprimum te libera: quandoquidem propter amicum tuum, in improborum manus decidiſti.*

Caue, inquit, ignauus aut diſſolutus ſis: caue animo cōcidas, aut fortitudinis moleſtias ſubterfugias. Corpus quod Deo oppignoraſti edoma; & ad præceptorum, quæ ille propoſuit, obſeruationem ſubinde excita.

Ne fracto ſis animo: amicum, pro quo ſpopondiſti, exacue identidem & excita.

Caro labori aſſuefacienda. Carnem tuam laboribus aſſuefacias, inquit, moleſtiſque rebus eandem exerce. Iam enim corporis exercitationem, *incitationem* hoc loco appellat.

4\. *Ne dederis ſomnium oculis tuis, neque dormitationem indulſeris palpebris tuis,*
5\. *donec tandem veluti damula ex laqueis te expediueris, & tanquam volucris ex reti te extricaueris.*

Quid per ſomnum deſignetur in ſacris. BASIL. Per *dormitationem* ignauiā, & ad ſaniora conſilia capeſſenda tarditatem, per myſticos autem *oculos* mentem & intelligentiam; per animæ verò peccatum actu ſatiatum ſignificat, aut per ſomnum & dormitationem

tionem immundos cogitatus, impetus nequam, qui primum in animo exoriuntur; vel animi certè ad deteriora propenſionem deſignat. Vult autem Sapiens eum, qui virtutibus ex propoſito incumbit, animi proſperitate valere, ſupraque aduerſariorũ laqueos fortiter ſeſe efferre, Virtutum nimirum alis in altum ſublatum.

Vade ad formicam ignaue, contemplatuſq; illius vias, æmulare, & eſto illa ſapientior. 6.

DIDYM. *Vade*, ait, vel rationis expertium ſtudia & operationem imitare, *Vade*, inquam, & ſingularem illam formicarum induſtriam, laboremque obſerua: ſunt enim permulti, qui ſcientiæ habitu deſtituti, ſolo aliorum exemplo vel ſola inſpectione vel auſcultatione, ad bene operandum incitantur. *Solum exemplum externum multos ad opus incitat.*

Vade ad formicam, &c.

POLYCHR. Exempli vilitate ignauum ocioſeque ſtertentem hoc loco confundit. Aduerte autem, non iubere, neque velle quoque vt in omnibus formicam imitemur, ſed in labore & prouidẽtia, & induſtria præcipuè. *Vtere laboribus* ait alibi; *ſed iuſtis.* *Quid per formicas myſticè deſignetur*

ALITER. Vade ad formicam, nempe ad populum vilem, & abiectum, & apud ſeculi huius principes contemptum: interim non in opibus, aut potentia, ſed in Christo ſpem ſuam collocatam habentem; & imitare illius vias, & ſtudia, pulchrãque eiuſdem politiam, ac honeſtam vitæ conſeruationem, & eſto illo ſapientior.

Digitized by Google

7. *Illa enim, cùm neque agriculturam exerceat; neque quemquam, qui ad opus compellat, habeat; neque ſub vllius imperio degat;*
8. *attamen æſtate victum parit, multamq; meſſis tempore annonam in penu recõdit.*

Deus bifariã conſideratur vt auctor naturæ, & largitor gratiæ & gloriæ.

POLYCHR. Qui nullum agrum colit, neque vllam in mundo hoc ſpem defixam habet, neque vllo vitiorum aut flagitiorum, quæ in mortali hac vita contingunt, ſenſu decipitur; neque vlla tandem vi vt credat, vel benè agat, compellitur: ſed ſponte liberaque voluntatis electione Deo per fidem adhæret, eidemque ſtudioſis actionibus ſeſe probat; huic propter bona opera, præparata eſt vita æterna. At quomodo, inquis, formica ſub nullo domino degit? an non ſubiecta Deo ſunt omnia? Sunt vtique, verum Deus vel Dominus bifariam animo concipitur. Vno modo, vt rerum omnium conditor & architectus eſt; altero modo per fidem, vel aliam viam cognitus eſt. Diuinæ cognitionis, finis eſt vita æterna, cuius cognitionis expers eſt formica: vtpote ratione deſtituta, adeoque à ſeruitute illa, quæ ob diuinæ cognitionis beneficium debetur, libera eſt.

Formicæ futura familiarius ſpectant quam præſentia.

ALIVS. Formicæ non ita ſpectant ad præterita vel præſentia, quemadmodum ad futura, horum enim peculiarem rationem & prouidentiam habere aſſolent. Quare æſtate conuehunt & præparant alimenta, quibus ſæuiente hyeme vitam tolerant. Non enim circa futurorum euentum deſides & ignauæ

ſunt,

ſunt, vt nos qui in lautis conuiuiis iocisque & nugis frequenter occupati, impendentium malorum & periculorum vix vllum ſenſum capimus.

ALIVS. Cerne, etiamque atque etiam perpende, vt tantillum animalculum de futuro rerum ſtatu impensè ſollicitum ſit. Tu igitur ſi in hac præſenti vita pace & tranquillitate potiris, diligenter proſpice, ne hyeme olim ingruente, domus tua vacua, omnique alimento deſtituta inueniatur: ſicuti fatuarum illarum virginum lampades vacuæ compertæ fuerunt. *Math. 25*

Aut vade ad apem, & diſce cuiuſmodi operaria ſit, quamque admirandum opus conficiat. Cuius quidem labores cum reges, tum priuati quoque homines ad ſanitatem depromunt. Et quamuis viribus inualida atque imbecilla eſt, apud omnes tamē inclyta, apprimeque grata habetur. Vtpote ad ſapientiam commendandam & excolendam in lucem edita.

Hæc in vulgata non ſunt, citat tamen ea B. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum, & in Enarratione 3. capitis Ezechielis.

DIDYM. Quemadmodum hircus, tanquam dux gregis, præit capellis, & aries ouibus: ita Rex apum cæteris imperat apibus. Res ſanè perpulchra in omni vitæ genere & ſtatu eſt ordo; ſapiens apis hoc loco nos hortatur, vt per diuinarum ſcripturarū prata *Pulcra res in omni vita ſtatus ordo.*

volitantes, nullaque non ex parte opportunum aliquid, & ad ſapientiã comparandam idoneum decerpentes, mellis fauos, nobis conficiamus, eoſdemque non abſque arte & dexteritate contextos, in cordis noſtri penetralibus, veluti in quædam aluearia ſeponamus & recondamus. Tum vt varias optimorum quorumlibet documentorum cellulas, quaſi diſtinctas quaſdam mellis fiſtulas in memoria noſtra, perinde atque in cera fabricemus, atque ita circa honeſtum caſtumque virtutis ſtudium iugiter negotiemur. Vera enim æterna bona ſibi comparat quiſque in honeſtis laboribus ſtrenuè & impigrè hic ſeſe occupat. Per *apem* ſapientiam hoc loco deſignat.

Verſandũ in Scripturis vt apes in campis floridis.

ALIVS. *Vade ad apem*, hoc eſt, confer te ad eccleſiam, & lucis opera, quæ in illa fiunt, ibi diſce, conſidera ſanctas illius functiones, ſobriamque & prudentem eiuſdem conuerſationem; illius labores & ſtudia ſacra, diuitibus & pauperibus ad ſalutem ex æquo proponuntur, & conferuntur. Et licet viribus ſit infirma, & qua ad externum ornatum ſpectat, ſimplex viliſque paſſim habeatur; attamen propter fidem in Chriſtũ, cæteris omnibus mortalium cœtibus præfertur. Adhæc adeſt illi lauta & opulenta menſa, quam ſuo, hoc eſt, oportuno tempore, familiaribus ſuis proponere conſueuit.

S. Eccleſia apum ſtudia æmulatur. Eccleſia lautam menſam familiæ ſuæ proponit.

9. *Quouſque ignaue iaces? quando tandem è*
10. *ſomno exſurges? modicum dormis, paululum*

lum ſedes, parum rurſum dormitas, manibuſq́; pectora complexaris: poſtea inopia 11.
veluti ingratus viator te obruet; & egeſtas tanquã expeditus curſor, te inuadet.

CHRYSOST. Somnus animæ eſt prauarum cogitationũ nequitia, earundemque ignoratio. Exponit hîc autem, vt difficilem malumque exitum ſortiatur deſidia. Conſectaris ſomnum, inquit, aſt id non quò poſt defatigationem à labore requieſcas, verùm quò laboris moleſtiam fugias: atque coacta egeſtate nihil eſt miſerius, nihil moleſtius, nihil infælicius. Quouſque igitur deſes hebeſque rebus vanis, inutilibuſque incũbis? Noſtine quantus honeſtæ actionis ſit vſus? quanta laus? quantaque cõmendatio? Quod ſi à formicis vel apibus, cæteriſque rationis expertibus erudiri non vis, diſce ſaltem ab ipſa rerum experientia. Patierisne te brutis animãtibus inſipientiorẽ haberi? Fuge proinde miſeriam & paupertatem. Moleſtum eſt operi intentum eſſe, at perpende honeſti operis fructum, ſuauis eſt deſidia, ſed ſpecta finem; neque rerum principia conſideres, aut hinc iudicium facias, ſed fines, indeque rem æſtimes.

Infelicem exitum ſortitur ſomnolentia.

Nihil miſerius coacta egeſtate.

Diſce, ſeduloque perpende iuſtam ſtudioſamque apiculæ operationem, neque enim illa aliena rapit, aut abligurit, vt formicæ ſolent: neque proprij rurſum cõpendij cauſa ſe affligit, aut labores ſubit, quemadmodum formicæ conſueuerunt; verum labores & mole-

Apis iuſtior eſt operaria quã formica: quia ſibi laborat, nec aliena rapit.

moleſtias penes ipſam ſolam hærent, laborum autem fructus totus in aliorum vſum cedit. Ita & hominem Chriſtianum comparatum eſſe oportet: ad eum modum Paulum quoque affectum fuiſſe conſtat, aiebat enim:
2.Tim. 2. *Omnia propter electos ſuſtineo*, vt ſalui fiant. Apis
Apis ſedula S. Paulus. itaque diligens & operoſa erat Paulus: vtpote à legis floribus, eiuſdem vmbris, & typis prædulces mellis fauos colligens, ſapientiæque ſtudium præ cæteris omnibus in honore habens. Cuius quidẽ mellis dulcedine, & reges & idiotæ, hoc eſt, illi, qui ex Iſraël, & illi rurſum, qui ex gentibus conuerſi erant, ad ſanitatem vſi ſunt. Idem ille licet viribus parum firmus eſſet, vt ipſe fatetur, in Chriſto
Philip. 4. tamen robuſtus erat, *Ego*, inquit, *in infirmitate & tremore: ſed omnia poſſum in eo qui me confortat.*

12. *Quod ſi impiger fueris, meſſis tua inſtar fontis proueniet; egeſtas autem tanquam ingratus curſor ſponte abs te recedet.*

Labore fugatur egeſtas: otio ignauia comparatur. *Formicæ & apis* paradigmate, omne honeſti laboris genus vtile & ſalutare eſſe Sapiens hactenus oſtendit: nunc bonæ operationis vſum denuò inculcans ait. Si impiger fueris, omnis boni copia, veluti fons quidam vberrimè ſcaturiens, obueniet tibi; è diuerſo verò omnis egeſtas, omniſque mali ſpecies vltro, nemine illud perſequente, aut profligante, abs te fugiet.

13. *Vir amens, legiſq́ue præuaricator, prauas vias ingreditur: idemq́ue & oculo innuit, & pede*

pede indictum facit, & nutibus, perinde atque digito annuit, & corde peruerſa 14.
machinatur, & nullo denique non tempore eiuſmodi homo turbas atque ſeditiones in ciuitate accendit.

Omnis ſtultus malus.

POLYCHR. Non contingit bonum eſſe illum, ait, qui ſtultus eſt, imo verò omnis omnino, qui ſtultus eſt, malignus quoque cenſendus eſt. Quicunque, inquam, excors & inſipiens eſt, idem etiam impius eſt. Qui verò Theoricam virtutis iacturam fecit, rerumque cæleſtium meditationem pro nihilo ducit, aut minus quam par eſt illam facit, iniqui loco habendus eſt, tandemque practicam facultatem negligit: is vtique apprimè deſes & ignauus exiſtit. Porrò autem per corporis motus, hominum cogitatus malignus Dæmon nonnunquam deprehendit. Nam cum cor immundum eſt, membra vicina coniunctaſque vires inquinare & ad malum incitare conſueuit, effundit enim virus, quo ſcatet ad ea, quæ extra ſe poſita habet.

Ex corporis motu dæmon de mentis ſtatu coniecturam facit.

Propter hoc ſubita in eum perditio inuadet; 15.
præſectio item & contritio immedicabilis.
Quia lætatur de omnibus quæ odit Dominus. Conteretur autem propter animi inquinationem & impuritatem. 16.

Quod præcipuũ Spiritus ſupplicium.

Spiritus ſupplicium eſt diuiſio vel ſectio à ſummo bono. Ille autem *immedicabilis* dicitur, qui à virtutis vſu & ſtudio prorſus abſtinet, modiſq; omnibus hinc ſe abſciſſum probat.

17. *Oculus flagitioſi, & lingua iniuſta, & manus*
18. *quæ innoxium effundunt ſanguinem, &*
cor quod improbas cogitationes machina-
tur & fouet, & pedes ad male faciẽdum
expediti, & celeres, internetioni dabũtur.

Qui ſenſu myſtico effundant ſanguinem iuſti.

BASIL. Hominis flagitioſi oculus, & lingua iniuſta & externæ hominis partes, quæ ordine hic exponuntur, ſignificant vires animæ: hæ enim per corporis membra ad malum feruntur. Nam quod in corpore eſt oculus, & lingua, & manus, hoc in anima ſunt ratio, appetitus, & iudicium. Inter cæteros autem illi effundunt ſanguinem iuſtum, qui fœdis operibus contaminati, ſanguinem Domini bibunt.

19. *Teſtis iniquus mendacio impetitum exurit,*
liteſq́; & controuerſias inter fratres ſerit.

Mendaciũ ſerit diſcordias.

Venuſtè dixit: *Teſtis falſus mendacem exurit:* ſiquidem mendacium eſt ignis quidã, adeoq́ue lites & bella inter amicitia coniunctos incendit & excitat familiarius quam pacem inter diſcordes conciliet. Videtur autem τὸ ψευδὴς *mendax*, paſſiuè hoc loco vſurpari, nẽpe pro eo, qui mendaciis oneratur, non pro eo, qui alterum iniuſtè onerat. Vtitur autem *inflammationis* voce interpres propter libidine incenſos cogitatus, inflammataſque animi perturbationes. Hæ enim & animum incendunt, & iram in odium conuertunt, & appetitum ad obſcænos motus & actus impellunt. Adhæc ægritudine quaquam inter fratres

vel

vel amicos oborta, mendax teſtis, ea mox di-
cta vel facta cõfingit, quæ neque dicta, neque
facta quoque aliquando fuerant: quæ altera
deinde pars audiens veluti infirma ira incẽ-
ditur, ſimiliaque & ipſa itidem diuulgat. Hinc
temeraria iudicia, lites atque contentiones.
Fratres autem hoc loco dicuntur, qui eandem
adoptionis gratiam adepti ſunt. Alio ſenſu
teſtis iniuſtus eſt, diabolus. Hic enim vnus
ille eſt, qui mortalium corda exurit, perque
vitæ huius illecebras incendit. Quæcunque
autem dicit mendacia ſunt. Nam & promiſſa
non præſtat, & efficit, vt fratres de tempora-
riis perinde ſentiant, atque de æternis.

Qua ratione mendax accēdat diſcordias.

Teſtis iniquus eſt diabolus, & quare.

Fili, patris tui leges obſerues, neque matris 20.
ſtatuta abs te repellas; alliga illa animæ 21.
*tuæ ſemper: & gutturi tuo, veluti tor-
quem circumpone.*

Circunda & alliga illa collo tuo iugiter,
inquit, hoc eſt ſedens, cubans, ſtans, ambu-
lans, aut aliud quiduis eiuſmodi agens ſem-
per illa animo pertractes, aſſiduoque in illis
mediteris, atque hoc, quæ mox ſubiungũtur,
clarius ediſſerunt: ſic enim habent.

Cum deambulaueris, legis decretũ aſſume, te- 22.
*cumq́ detine, vt cum lecto decubueris, te
cuſtodiat, & tecum rurſum vbi mane ex-
citatus fueris, loquatur verbaq́ faciat.
Quandoquidẽ vnum & idem legis man-* 23.
*datũ, & lucerna eſt, & lux eſt, & via vi-
tæ, & increpatio, & diſciplina eſt.*

POLYCHRON. Senſus eſt, quandocunque aliquid meditaberis, aut loqueris, aut operaberis, omnia ſemper ſecundùm legem à Chriſto præfinitam facito, & operare. *Ambulationis* enim vox, horum omnium vim & rationem in ſe continet. Qui enim legis myſteria ſtudioſè rimatur, vniuerſam legē, lumen quoddam eſſe deprehendit.

Lex lumē quoddam eſt.

Et increpatio & diſciplina, &c.

Duplex via vitæ: Per legem cognoſcitur bonū & malū.

ALIVS. Duæ hæ virtutes & functiones ſunt viæ vitæ, nempe redarguere malum, & declinare ab illo, docere rurſum bona & facere illud. Correptio enim malorum, doctrina bonorum eſt: per legem porrò & bonum & malum cognoſcitur. Notum eſt enim illud apoſtoli: *Per legem cognitio peccati:* ſerua proinde legis mandatum.

Rom. 3.

24 *Vt cuſtodiat te à muliere nupta, & à linguæ extraneæ calumnia.*

Linguam extraneam appellat, doctrinam aliter docentium, nempe hæreticorum, cauillatoriaſque eorundem rationes. *Mulierem* verò *nuptam* malitiam, vel hæreſim ipſam.

Hæreſis meretrix & adultera.

25. *Fili, caue pulchritudinis amor te vincat: tum ne tui te oculi capiant.*

GEORG. Senſus eſt. Fili, ne attendas ad mulierem nuptam, etiamſi ipſa te obſeruet: neque intendas rurſum illius cultui, aut eiuſdem quoque vultui, ne in ſui amorem te pelliciat.

Neque

Digitized by Google

Neque te abripiant illius palpebræ; pretium 26.
enim ſcorti vnius quaſi panis exiſtit: mulier autem precioſas virorum animas inſtar venatoris captat.

Ne venuſtæ orationis, aut formæ illius præſtigiæ in errorem te abripiant, inquit. Cæterum voluptatis breuitatem, mercediſque quæ illius rei gratia dependitur, exilitatem, vnius panis æſtimatione, hic exprimit. Non enim comparat hoc loco Venereum commercium pani: verum argentũ eo nomine ſolutum vnius *panis* precio æquiparat. *Pretium enim ſcorti, &c.*

Quam vilis co-empta libido.

C H R Y S. Conſidera ecquidnam ſit illud, hoc eſt, quam vile & propè nihilum, propter quod tantum ſæpe ſtudium adhibetur? Tropicῶs autem per ſcortum ſermonis nouitatem, quam nullo precio dignam cenſet, deſignat. Cæterum non dixit, precium mulieris eſt vnius panis: ſed dixit precium ſcorti. Siquidem non à natura, ſed à malitia denominauit illam, malitia autem nullo loco, aut precio haberi debet; vt quæ ſui ſcultoribus aliud nihil, quam dolorem & miſeriam adferat. Quo enim quiſque malitia magis excelluerit, eò vilior & cõtemptibilior apud prudentes omnes euadit.

Malitia nullius res pretij.

Inuoluétne quiſpiam ignem in ſinu, neque 27.
veſtimenta tamẽ exuret: aut gradieturne ſuper incenſos carbones, neque pedes 28.
tamen offendet?

Quis ignem ſinu foueat.

BASIL. Fouet ignem ille in ſinu illigatque in eo, qui immundum ſermonem auidè haurit, aut fædam cogitationem in corde ſuo immorari ſinit. Ambulat autem ſuper incenſos carbones, qui per opus peccati aut conſenſum in peccatum, animam ſuam perdit.

29. *Ad eum modum quicunque ingreditur ad mulierem nuptam, non erit inſons, neque vllus omnino, qui tetigerit eam noxa exors erit.*

Nequitiæ maritus eſt diabolus.

Mulier nupta myſticè eſt malitia, cui vir eſt diabolus, qui vna cum illa generat iniquitatis filios. Quicunque tetigerit illam, inquit, hoc eſt, Quicunque colloquiis illius fretus, aut familiaritate eiuſdem vſus fuerit, eſto, quod ad prauũ opus attinet, mundus euadat, intra ſe tamen iniquinabitur. Neque enim

Matth. 5. citra cauſam Dominus dixit: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, mœchatus eſt in corde ſuo.* Sapiens proinde Domini verba cõſentanea ſcribens, ne quis familiare colloquium cum muliere nupta ineat, ſeriò prohibet. Ex colloquio enim oriuntur prauæ libidines & cupiditates: & hinc rurſum alia & alia incommoda.

30. *Neque mirum, neque magnum, ſi quis furtum commiſiſſe deprehenſus fuerit. Furatur enim quo famelicam animam ex-*
31. *pleat. Quod ſi forte illum capi contigerit, exſoluet ſeptuplum, & quicquid in bonis habebat, id totum, vt ſe liberet, expẽdet.*

At

Digitized by Google

At mœchus propter mentis inopiam ani- 32.
mam ſuam perdit, doloremq́ue & ignomi- 33.
niam ſibi accerſit.

Aduerte hîc, vt inſana libido, immoderataque concupiſcendi vis puniatur, ſi fur, inquit, in furto fuerit deprehenſus, reddet ſeptuplũ; cunctiſque quæ poſſidebit, expoſitis, ſeſe liberabit. At verò de mœchi liberatione verbum nullum facit, quaſi peccatum hoc nullo precio, nedum aut à damnationis vinculo poſſit abſolui. Myſticè ad hunc modum expone. Si quis falſa doctrina imbutus in veritatis cognitionẽ forte inciderit, is omnem illam falſam notitiam mox deponet, munduſque & innocẽs declarabitur: vt qui prius propter mentis inopiam veræque notitiæ penuriam, alia ſcientia & ſapientia frueretur, quam Chriſtus Dominus noſter *infatuatam* prædicat.

Adulteriũ furto grauius.

Flagitij huius nota in æternum non expiabitur. Animus namque mariti eius zelo & 34.
indignatione plenus, in die iudicij & vl-
tionis non parcet, neque ob vllum omnino 35.
oblatum pretium inimicitiam in gratiam conuertit, neque multis muneribus ab ea quandoque labe ſe expediet.

Confirmatur hic quod antè dictum eſt, nimirum diabolum grauiſſimè eos in die iudicij de prauis operibus accuſaturum, qui illius ſuggeſtionibus morem geſſerunt. Sunt tamen qui locum hunc non ad Domini, ſed ad

Diabolus quos fraude circũuenit grauiter coram Deo perſtringit.

ad aliud iudicium referant, quod inter homines exercetur. Nam, vt ipſi credunt, Diabolus in poſtremo illo Domini iudicio, vel non aderit, vel non ea de cauſſa aderit, quo alicui patrocinetur, aut aduerſetur; verum prophetæ illud iam tum impletum iri: *Tollatur impius, ne videat gloriam Domini.*

An diabolus extremo iudicio præſto futurus ſit, incertũ eſt

CAP. VII.

1. *Fili, cuſtodi ſermones meos, meaq́; præcepta*
2. *apud te reconde: fili, honora Dominum & viribus valebis, præter eum autem, neminem timeas.*

Sacra nõ temere proponẽda

NOn hæc dico, ait, quaſi doctrinã meam ociosã apud te detinere debeas; verũ ne temere apud quoſuis promiſcuè illam effundas. Aſſerua illam tanquã precioſum aliquem theſaurum, interim tempore opportuno cùm nimirum neceſſitas id poſtulat, ex pectore veluti ex quodam promptuario liberaliter deprome, iuxta illud: *In corde meo abſcondi eloquia tua.*

Pſal. 118.

Præter eum autem, &c.

Hoc eſt. Nullum eo honore colas aut eo timore, quo Deum. Timetur autem & honoratur Deus, potiſſimùm per accuratam præceptorum obſeruationem. Non agit hic autem Sapiens de timore patibuli, qui alio nomine ſeruilis appellatur; ſed de illo, qui religionem & pietatem adiunctas habet.

Nemo timendus aut honorandus vt Deus.

Fili honora Dominum & valebis.

Vis

Vis ſeu robur de quo hic ſermo, non eſt corporum: ſed cæleſte, ad quod pertinet illud præualuiſti,& illud item: *Diligam te Domine fortitudo mea.* *Pſal. 17.*

3. *Cuſtodi præcepta mea, meoſq́; ſermones tanquam pupillam oculi,& viues. Circumpone illos digitis tuis, & in cordis tui latitudine deſcribe illos.*

Per *manum* plena, ſuiſque numeris & partibus abſoluta, operatio deſignatur. Per digitum autem ſimplex minuſque perfecta, ait ergo meis verbis, meæ doctrinæ obſecutus, cor ad virtutum ſuſceptionem diffuſum, capaxque & facile exhibeto. *Quid per manus & digitos deſignetur.*

4. *Sapientiam ſororem tuam dicito; prudētiam autem familiarem tibi reddito; quo te à muliere extranea & mala conſeruet, ſi blandis fortaſſe ſermonibus te adoriatur.*

POLYCHRON. Soror noſtra eſt rerum quæ productæ extant, Theoretica: quæ vna cum ſubſtantiis materiæ expertibus exorta, in quatuor ſpecies deduci ſolet, nempe in prudentiam, ſcientiam, doctrinam & intelligentiam. Porrò per mulierem malam & alienam ſublimiori ſenſu hæreſim vel idololatriam eiuſdemque culturam & propagationem, hoc loco inſinuat. *Contemplationis quatuor principia ſunt.*

Si te blandis.

Cum mulier hæc, inquit, ſic garrula & blāda docet ſuauia, nempe voluptatem & auaritiam, & id genus alia.

Etenim

6. *Etenim ex domus ſuæ feneſtra proſpectat in*
7. *plateas: ſi inter amentes mortalium filios,*
iuuenem quempiam videat, mente deſti-
8. *tutum; qui ad angulum, quo tranſitus ad*
9. *ædes eius patet, prætereat, vocemq́ in te-*
nebris veſpertinis, quando iam noctis ſilẽ-
tium & obſcuritas vbique obtinet, edat.

Hominis caro feneſtra vocari poteſt.

GEOR. Per *meretricis domũ* altiori ſenſu peruerſorum dogmatũ latitudinem denotat; per *feneſtram* autem, doctrinæ eiuſdem partem. Quin hominis quoque caro feneſtra dici poteſt, per eam namque inimicus errores & impoſturas in animum ingerit, per prætereuntem autem ad angulum, *hominem* prauis cogitationibus agitatum inſinuat.

Prudentes hæreſi nõ facile capiuntur.

BASIL. Oſtendit per hæc ſapiens, quomodo meretrix hæreſis, aut idololatria homines mente & ratione præditos iudicioque valentes in errorem non facilè inducat, ſed eos vel ſolum, vel potiſſimum, quos vltrò voluptatibus ſeſe dedere animaduertit. Eiuſmodi enim ſunt plerique omnes, quibus in meretricio habitu occurrit, ſuiſque laqueis irretire & circumuenire contendit.

OLYMP. *Angulus* eſt rectæ viæ anfractus: ſi ergo improba hæc mulier iuxta omnem angulum inſidiatur, & Chriſtus Dominus caput eſt anguli, conſequens fit, vt ibi quoque, ſi quem forte veritatis doctrinam non rectè ſecantem, aut interpretantem deprehenderit, inſidietur. *Caput* autem *anguli*, eſt vnio & colligatio duorum populorum ſuper Chriſtum,

ſtum, tanquam ſuper fundamentum exædificatorum. Per *nocturnum caliginoſumque ſilentium* fædam, inquinatamque animæ conſtitutionem autor deſignat.

Et ecce mulier meretricis ſpeciem præ ſe fe- 10.
rens, occurrit illi; cuiuſmodi iuuenum cor- 11.
da volare facit, elata & luxurioſa; cuius
pedas domi non quieſcunt, interdum nam- 12.
que extra vagatur, nonnunquam vero in
ciuitatis plateis diuerſatur; paucis circa
omnem angulum inſidias ſtruit.

Magis hæc inter ſe apta eſſent, ſi quæ præcedunt ad Salomonis perſonam referrentur, quò retulit illa vulgata editio: habet enim: De feneſtra domus meæ proſpexi, &c.

Cum inquit, ſeipſam tolerare, locoque conſiſtere omnino non poſſet, meretricio ornatu ſumpto, totam ſeipſam in luxuriam & intemperantiam effudit. Inſtabilia enim & incerta ſunt meretricum ſtudia; prophanæ quoque ſapientiæ theoremata & hæreticorum dogmata. Quod enim vno die docēt hoc altero ſæpe retractant.

Mox apprehenſum oſculata, procaciq; vultu 13.
eiuſmodi oratione allocuta eſt: Victimam
pacificam immolaui: hac luce perſoluo vo- 14.
ta mea, eapropter obuiam tibi prodÿ, fa- 15.
ciem tuam contueri expetens, Et ecce ar-
denter te comperi, opportunè.

Oſculum inſani, diabolicique amoris eſt argu-

Cuius rei argumentum sit oſculum. argumentum, incenſuſque & libidinoſus animi ſenſus ad obſcænum turpeque veneris commercium data opera inuitās hominemque prouocans. Cum autem dicit: *Victima pacifica eſt mihi*; apertè mentitur: ſiquidem malitia nihil habet verè pacatum, eadémque vultum noſtrum rubore magis perfundere, quam ſyncera dilectione recreare ſatagit. Quare externa perſona aſſumpta, multa quæ ad fraudem & impoſturam faciant, comminiſcitur.

QVÆ *hinc, amice Lector, vſque ad caput vndecimum conſequuntur, ea ex altera contractiore Græcorum Patrũ catena integrè petita ſunt: ſiquidem locupletior & quaſi primaria, mutila erat hoc loco.*

16. *Inſtitis diſtendi lectulum meum, tapetibuſq́;*
17. *Ægyptiis inſtraui. Aſperſi cubile meum*
18. *domumq́; meam cinnamomo. Veni proinde*
& indulgeamus amicitiæ. Agedum ad diluculum vſque volutemur in amore.

Quid per meretricia blandimenta deſignetur. Per *funes, tapetia*, crocum, aliaque eiuſmodi tropo quodam varia hæreticorum & idololatrarum dogmata fraudumque genera aut diuerſos certè animi morbos & ægritudines exprimit Sapiens. Ad literam autem varia meretricum blandimenta, & ad libidinem incitamenta per iſthæc deſignantur.

19. *Neque enim domi agit vir meus: ſacculo*
20. *argenti ad manum ſumpto, procul hinc*
abiit peregrè, poſt multos tandem dies
21. *domum denuo reuerſurus: prolixa garrulitate*

rulitate, ſeduxit illum; laqueiſq́; à labys profectis irretitum, proſtrauit illum.

Myſticè hæreſis, & idololatria, vt vana quoque & veſana philoſophia Deũ virum ſeſe habere confingit. Addit nihilominus peregre illum abiiſſe, adeoque eorum quæ hîc fiunt, nullam curam, nullamq́ue prouidentiã habere. Confitetur proinde aliquod iudicium: ſed non cuiuſmodi debebat. *Hæretici & Philoſophi diuinam Prouidentiam nõ prorſus abnegant.*

Ille autem libidine victus ſecutus eſt eam. 22.
Etenim ſicuti bos ducitur ad cædem: & canis ad vincula. Rurſum vt ceruus iecur 23.
ſagitta traiectus impetu fertur: & vt auis feſtinat ad laqueum ignara quòd de vitæ ſuæ curriculo agatur; ita miſer ille contẽdit ad mortem.

POLYCH. κέπφος, *larus* vel *fulica*, auis eſt ſtolida, & clamoſa, ſpuma victitans, & ad libidinem admodum propenſa. Ab hoc autem nomine deductum eſt verbum κεπφόω, quo hoc loco vſi ſunt Septuaginta interpretes. Cum huius autem auis natura, & qualitate, nonnullam affinitatem habet hæreticorum ſermo: videturis enim propter apparentem compoſitionis ſplendorem & venuſtatem vtcunque candidus & virilis, verum reipſa eſt ſtolidus, viribúſque deſtitutus, atque ideo captu perquam facilis. *Hæretici fulicis nõ abſimiles.*

DIDYM. Aſſignantur autem tres *erodiorum* ſeu *fulicarum* ſpecies, nimirum *Cepphus Leucus, & Aſterias*, hoc eſt, fulica ſeu larus;

Quæ ſint lari auis proprietates. ardea vel ardeola, & ſtellaris. Præ cæteris autem ad coitum propenſa eſt, *fulica vel larus*, interim congreſſus ſortitur admodum difficiles. Vociferatur namque, & vſque dum ſanguinē per oculos mittat, conatur: iacetque nonnunquam quaſi ſenſu deſtituta; ita vt laqueo, vel manu quoque facillimè capiatur, & parit tandem magna cum difficultate. Tali itaque aui propter libidinis ardorē Sapiēs hoc loco comparat illum, qui meretrices ſectatur, iis denique obſequitur.

24. *Nunc igitur audi me, fili; & attende ad verba oris mei, ne declinet cor tuum ad*
25. *vias illius; neque oberres per ſemitas eius,*
26. *multos enim vulneribus confectos deÿcit: neque numero comprehendi poſſunt, quos*
27. *interficit. Domus eius eſt via inferni; vt quæ ad mortis penetralia rectà abducat.*

Cur innumeri dicātur, qui lata via incedunt. POLYCHRON. *Innumeri* hoc loco dicuntur, qui per latam viam incedunt: ſiquidem tales non ſunt digni, qui aliquo numero, aut loco habeantur: ſunt itidem permultæ vitiorum & flagitiorum ſpecies, quæ flagitioſos ad inferos præcipites trahunt.

CAP.

CAP. VIII.

Tu ſapientiæ præconem agas, quo morem ti- 1.
bi prudentia gerat. Ipſa in collium verti- 2.
cibus, ipſa in medio ſemitarum conſiſtit,
ipſa rurſum ad dynaſtarum virorumq́; 3.
Principum portas aſſidet, & in ciuitatum
ingreſſibus celebratur.

TANTVM, inquit, inſiſte viis, quas quidem tibi præmonſtraui, & ipſa Sapientia vltro occurret, ſuamq; venuſtatē ſponte tibi oſtendet: poſſidet hæc enim in diſciplinarum veſtibulis. Dicitur autem Sapientia modo quidem in egreſſibus, modo rurſum in ingreſſibus decantari. Siquidē & extollitur ab iis qui egrediuntur è nequitiæ palaſtra, & ab iis itidem qui in ſcholam ingrediuntur virtutum. Ab habitibus namque ſuos illa denominat cultores & ſectatores.

Sapientia vltro vbique ſe offert.

Vos, ô viri, appello: ad vos, ô filÿ hominū, vo- 4.
cem meam dirigo, capeſſite ſimplices aſtu- 5.
tiam, voſq́ insipientes & rerum rudes cor
veſtrum ad vocem meam apponite.

Per *innocentes rerumq́ rudes* quoſdā rectos, fellisque exortes adumbrat hoc loco, quos hortatur, vt ſimplicitati & innocētiæ prudētiam operumque ſtudiū adiungant; eamque præcipuè, quæ ſecundum Deum eſt: neque ſola carnali ſapientia ſint contenti. nam etſi externa hæc ſapientia verba habeat, opera tamen habere plerumque non ſolet.

Carnalis ſapientia verbis, nō operibus abundat.

6\. *Audite me, dictura ſum enim magna, &*
7\. *depromptura è labijs recta. Veritatem meditatur guttur meum, & deteſtor labia*
8\. *vana, atque mendacia. Omnia verba oris mei ſunt iuſta, nihil in ijs eſt peruerſum,*
9\. *nihil tortuoſum. Omnia ijs ſunt obuia, qui iudicio & intelligentia valent; æqua rurſum & recta ijs, qui ſcientia pollent.*

Cuiuſmodi ſit Sapientiæ doctrina.

Senſus horum eſt: doctrina mea nihil cõtinet ſophiſticum, nihil perplexum, nihil tortuoſum. Omnia quæ tradit, ſunt recta & plana; omnia ſana & manifeſta, nihil illa cõtinet fucatum, nihil ſubdolum, nihil germana ſynceritate deſtitutum.

10\. *Capeſſite diſciplinam, & non argentum: ſciẽtiam maioris ducite quam aurum approbatum: præponite ſenſum, ſanumq́ iudiciũ auro puro: præſtat enim cuiuis lapidi*
11\. *pretioſo; nihil eius eſt pretij quod cum ea comparari queat.*

Doctrina cæleſtis auro puro præſtat.

Qui inſigni mentis acumine præditi ſunt, inquit, illi omni auro puro & examinato potiorem me ducunt; vt quæ nullam inanem, aut exoticam, doctrinam tradam, ſed ſcientiam verè cæleſtem vereque diuinam. Per *lapides* autem *pretioſos* deſignãtur bonæ caſtæque cogitationes.

12\. *Ego ſapientia verſer in conſilio, in cognitione & cogitatione, ego inuocaui.*

Per

Per *conſilium ſanum* voluntatis circa piacu- *Quid*
la electionem hoc loco inſinuat. Per *cogita-* *γνῶσις,*
tionem autem & *cognitionem accuratam* circa cæ- *ἔννοια*
tera conſiderationem. Eſt autem γνῶσις, vt *φυσική.*
quibuſdā placet, rectum circa vera dogmata iudicium. ἔννοια communis quædam rerum nótitia. φυσικὴ autem *ſcientia*, qua de ijs, quæ de rebus naturalibus tradita extant, rectè
iudicatur. Excedit autem hæc omnia Sapien- *Sapientia*
tia. Igitur quam propono notitiam & intel- *prima ha-*
ligentiam, eam omni re pretioſa anteferte. *bituum.*
Siquidem hic, nempe in cæleſtium meditatione, quaſi in propria ſede dego: ibique nimirum in rerum externarum cōſideratione, quaſi in tabernaculis habito.

Timor domini odit iniuſtitiā & ſuperbiam, 13.
& malignorum vias. Quin ego quoque peruerſas improborum hominum vias odi.
Meum eſt conſilium, mea eſt ſecuritas, 14.
mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.

Timor domini, &c. Vbi timor domini adeſt, *Timor*
ibi nihil eorum, quæ Deus odit, præſto eſt. *Domini*
Eſt autem duplex ſapientia. Vna diuina, & *fugat*
ſubſiſtens, quæ Chriſtus Dominus eſt: altera *peccatū.*
communicari nata, quæ in ſanctis reperitur. Quamobrem ſapientia hic non dicit: Ego ſum conſilium, ego ſum ſecuritas, ſed dicit: *meum eſt conſilium, mea eſt ſecuritas*, &c. Quæ enim ex me prodiit, ea certa & tuta eſt.

Per me reges regnant, per me potentes 15.
iuſta decernunt, per me magnates glo- 16.

 riantur,

Digitized by Google

riantur, per me tyranni terræ dominatum obtinent.

Qui reges magnates & ty-ãni. Reges myſticè ſunt ſancti, qui prauis animi affectibus & perturbationibus dominantur. *Reges* rurſum & *magnates* ſunt, qui opere & ſermone potentes ſunt. *Tyranni* tandem qui carnem laſciuoſque eiuſdem ſenſus acriter opprimunt, & edomant.

17. *Ego eos diligo, qui me amant, qui autem me*
18. *quærunt, inuenient gratiam, penes me*
ſunt opes & gloria, & multarum rerum
19. *poſſeſſio, & iuſtitia: præſtat meis fructi-*
bus potiri quàm vel aurum vel lapides
pretioſos poßidere: Mei enim prouentus
auro electo, multis partibus, præſtant.

Αγαπῶ *magis quiddam quàm* φιλῶ. Quando φιλῶ & ἀγαπῶ, non ſimul συνωνύμως ponuntur; ſed quaſi diſtincta inter ſe opponuntur; maius quiddam eſt ἀγαπῶ quã φιλῶ. Quamobrem cum Chriſtus Dominus ex Petro ſciſcitaretur, Petre ἀγαπᾷς με, *diligis me?* Petrus quocũ ſermo ipſi erat non ignorans, quod minus erat, vſurpauit: nempe illud φιλῶ σε, *amo te*. Cum verò tertio audiuiſſet Petre φιλεῖς με; *amas me?* contriſtatus eſt Petrus; animaduertit enim id ſibi à Chriſto tributum, quod minus erat. *Cur Petrus ter rogatus, An Chriſtum amaret, contriſtatus ſit.*

20. *In vijs iuſtitiæ obambulo, & in medio iuſta-*
21. *rum ſemitarum verſor, quo ijs opes im-*
pertiam qui me diligunt, eorumq́; theſau-
ros bonis cumulem.

Diui-

Digitized by Google

Diuiſiones gratiarum ſunt, diuerſæque à patre luminum chariſmata & dona impendi ſæpe ſolent, & ſubinde adhuc impenduntur: atque iſtud ex hoc loco diſertè cõfirmatur.

Si ea quæ vobis annunciaui quotidie ſiunt, & illa etiam quæ æterna ſunt, commemorare non grauabor.

Quæ dicit, huc tendunt; perexigua ſunt cum mea excellētia & dignitate collata, quæ hactenus expoſui, exempli cauſa reges per me regnare, iudiceſque iuſta decernere, & alia quædam eiuſmodi. Enimuerò ſi ea accuratè percenſere vellem, quæ ad me pertinēt, ab æternis vtiq;, quæ prædictis multo & grauiora & excellētiora ſunt, narrationis exordiũ facere deberē. Etenim vt illa, quæ Deus iam inde à ſeculo fecit numerum omnē excedunt: ita illa etiā, quæ mearum ſunt virium & partiũ. omnia namque quæ facta ſunt, per me facta ſunt, vt quæ ab æterno extiterim.

Dominus condidit me initium viarũ ſuarum 22.
inter opera ſua: ante ſæculũ fundauit me. 23.

OLYMP. Cum Dei ſapientia, Dei ſit ſubſtantia, citra omnem controuerſiam, ante omnia ſecula extabat, & ante omnem rerum procreationem abſolutè erat. At verò poſteaquam ad orta reſque productas principij habitudinē habere cæpit, tum demum viarum Dei, hoc eſt, eorum omniũ quæ ſub Dei prouidentiam & effectionem cadunt, *initium* rectè appellata eſt. Quamuis ergo ſapientia

Quo ſenſu Dei Sapientia ab initio condita.

pientia Dei,ſecundum ſe ſuamq; eſſentiam ſit æterna: vtpote ante omnem æternitatem ex Deo orta; attamen quod cauſæ ad effecta, ſiue ad eas res, quarum cauſa eſt, relationem ſortiatur, poſt res conditas, viarũ operúmue Dei initium conſtituta commode dicitur.

POLYCHR. Dominus *ἔκτισε condidit vel creauit me*. Hoc eſt Dominus conſtituit me

Pſal. 50. viarum ſuarum initium, iuxta illud; *Cor mundum κτίσον créa in me Deus*, hoc eſt cor mun-

Epheſ. 2. dum cõſtitue in me Deus. Rurſum, *vt condat* id eſt, conſtituat, *duos in vnum* hominem. Chriſtus & Deus & homo eſt, Scripturæ igitur quandoque loquuntur de illius diuinitate:

Ioan. 14. vt, *Pater eſt in me, & ego in patre*. Nonnunquã verò de eiuſdem humanitate: vt, *Dominus di-*

Pſal. 2. *xit ad me: filius meus tu, ego hodie genui te*. Quod hic ergo dicitur, Dominus creauit me, id ad illius humilitatem referendum eſt. Quod verò ſubdit, ante omnia ſecula generat me, illud ad eiuſdem diuinitatem ſpectat.

DIDYM. Dominus condidit me initium viarum ſuarum. Cum nomen hoc *ἀρχὴ* multa ſignificat, vt ſupra diximus, hoc loco effectricem cauſam denotat. Omnis cauſa alicuius effectus cauſa eſt. At non ſemper intrinſecam rei cauſam, vel rei eſſentiam ex-

Quid ἀρχὴ ſignificet. ponit, ſed interdum etiam quandam *χέσιν*, hoc eſt, rei affectæ ad ſuam cauſam habitudinem vel relationem oſtẽdit, vt enim dexterum & ſiniſtrum, aliaque eiuſmodi relata, hoc eſt, *Ad aliud* dicuntur, ita cauſa quoque & effectus. Cùm ergo Dei ſapientia Dei

ſit

Digitized by Google

ſit ὀυσία vel ſubſtantia, quæ ante omnem rem creatam & creationem ſubſtitit, non erit vtique intrinſecum rerum aliquarum principium. At verò quando per & propter rerum creationem & productionem ad res productas habitudinem adepta eſt, tunc demum viarum Dei, hoc eſt rerum & operum, quæ Deo auctore ſubſiſtunt, principium effecta eſt; nulla ex omnibus rebus productis, quidquam illi ad hoc conferente, vt eſſet velut ſapientia eſſet: ſed vnum hoc ſolum inde obuenit illi, vt principium, & rerum opifex vere eſſet, vereque dici poſſet.

Quamuis ergo creaturæ naturam & quidditatem in tempore acceperint, ipſa tamen Dei ſapientia quòd ſit æterna, non ſubiacet tempori. Nihilominus ſapientia, quæ Dei filius eſt, ante omnem rem creatā, & tempus exiſtens, in tempore ad creaturam relationem ſortita eſt. Qua de cauſa appellatur hic *initium viarum Dei*, Hoc eſt origo & cauſa eorum omnium, quæ ſub externam Dei prouidentiam & operationem cadunt.

Deus filius æternus in tēpore principij relationem ad creaturam ſortitus eſt.

ALIVS. Dici quoque queat, quamuis Dei filius vere ſit æternus, ſæculaque omnia, quatenus Deus Verbum eſt, anteceſſerit: attamen poſteaquam, ſerui forma aſſumpta, factus eſt homo, rectè *creatum* dici. Siquidem ortu ex *Maria Virgine* ducto, vere factus eſt caro; quò nimirum illis qui ſecundum Deum viuere, & ad Deum accedere vellent; vitæ optimæ inſtituendæ doctrinā, viuumque omnis perfectionis exemplum præberet. Quod

Chriſtus ſecundum naturam aſſumptā eſt creatura.

Digitized by Google

χτίζω quid deſi-gnet. autem τὸ ἔκτισεν condidit non denotet ſemper ὀυσίωσιν, hoc eſt partis vel totius ſubſtātiæ productionē, hoc propheta Dauid manifeſtè oſtendit, dum ait: *Cor mundum crea in me, Deus.* Nō enim petit vt cor, quo carebat crearetur: verum vt illud quod habebat, à ſordibus repurgaretur. Sic Paulus quoque quando duos in vnum hominem creari vel condi aſſerit, neutiquam aliquam hominis productionem exprimit, aut exprimere voluit; ſed quandam tantum vnionem, per animorum conſenſionem conſtitutam. Denique contextus Hebræus non legit, *Condidit me*, ſed, *poſſedit me.*

Pſal. 50.

GREGOR. NAZIAN. Quandoquidem ſapientia hoc loco dicit: *Dominus condidit me initium viarum ſuarum*, & paulò poſt: *Ante omnes colles generat me*: planum fit alterum ad illius humanitatem referendum eſſe, quæ cauſæ expers non fuit: alterum verò ad diuinitatē, quæ cauſam nullam agnoſcit. Deus enim nullam ſui cauſam habet.

BASIL. Si Dei filius carnem indutus aiebat, *Ego ſum via: & nemo venit ad patrem niſi per me*, indubitatè ille ipſe eſt, qui olim dixerat: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum.* Si autem Pater inter opera ſua condidit filium, vtique non propter filium condidit filium, ſed propter opera, quæ producturus erat. Quod autē non propter ſe, ſed propter aliud conditur, illud aut pars illius eſt, aut quiddam certè eo minus eſt, adeoque ſeruator noſter

Ioan. 14.

Propter quod conditur, illo eſt minus.

noſter, aut erit pars creaturæ, aut quiddam ea minus. Atque ita quod de creatione hîc dicitur, hoc neceſſario ad illius humanitatem referri debet. Dices forſan de ea ſapientia verba hoc loco fieri, de qua Paulus alicubi ait: *Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus, per ſapientiam Deum, &c.* Citra controuerſiam, de ſapientia quæ in mundo apparet, iſtud aſſertum eſt. Hæc enim per ea, quæ ſub aſpectum veniunt, tantum non clamat: omnia ſummo conſilio, ſummaque ſapientia à Deo facta eſſe, nihil autem caſu aut temerè: ſiquidem ſapiētia quæ in rebus, quæ productæ exſtant, ſeſe oſtendit, eſt ſumma. Illa igitur vel tacēs ſuum conditorem & dominum prædicat, nempe vt per ipſam in ſolius ſapientis cogitationem aſſurgamus. 1. Cor. 1. 21.

CYRILLVS. Si illud: *Dominus condidit me initium viarum ſuarum*, ad Verbi diuinitatem retuleris, idem eſt, quod Dominus conſtituit me, initium viarum ſuarum. Nam hoc modo creationis vocem quandoque vſurpari patet, ex illo Dauidis: *Cor mundum crea in me Deus,* Pſal. 50.
& ex illo Apoſtoli, *vt duos condat in vnum.* Non Epheſ. 2.
enim vult, vt ſecundum ſubſtantiā condat, qui iam extabāt, ſed vt conſtituat. Conſtituit itaque me principum viarum, hoc eſt operū, quæ produxit, producitque ſubinde & moderatur. Qui apud Dauidem quoque dicit: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Pſal. 2.

EPIPHAN. Dum ait: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum.* Illorū errori occurrere voluit,

voluit, qui ſuo poſtea tempore arbitraturi & dicturi erant, Dei filium meram creaturam eſſe, vitæque principium ex Maria ſuſcepiſſe. Quo igitur planũ faciat, id ſe non eſſe, ſubdit: *Ante ſæcula fundauit me, in initio antequam terram faceret*: ſignificat, per hæc enim ante omnem creaturam ſe extitiſſe, ortuſque omnis expertem eſſe. Quemadmodum Propheta quoque de eo canit: *A ſeculo & vſque in ſeculum tu es.*

Quo ſenſu Patris Sapientia ante omnem creaturam cõdita.

ALIVS. *Principium viarum Dei* ſe aſſerit Dei Sapientia: nam quomodo homines, qua ratione ſuam ipſi vitam inſtituere Deoque placere & illi ſeſe aſſimilare deberent, doceret, ante omnẽ creaturam viſum eſt præpotenti Deo filium humanæ naturæ conſociare; licet ipſe, in fine tandem ſæculorum in ſenſilem noſtræque ſimilem carnem deſcenderit, & huc pertinet illud Petri: *Scientes quòd non corruptibilibus auro & argẽto redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati: præcogniti quidem anti mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos.* quaſi dicat, Quamuis Dei Filius poſtremis temporibus in carnem ſeſe demiſerit: attamen veluti reliquorum omnium baſis & fundamentum ante omnes & omnia incarnari præuiſus & præordinatus eſt.

1. Pet. 1.

EVSTACHIVS. Chriſtus homo factus optimarum viarum initium nobis extitit. Nam & optimis ſtudiis & grauibus præceptis viam nobis præmonſtrauit: & Spiritu ſancto con-

coniunxit, & in paradiſum tanquam in propriam poſſeſſionem reduxit. Quare ipſe quoque de ſe ipſo aiebat: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Nomine viæ, humanæ naturæ indumentum adumbrat. Eſt enim hoc quiddam corporeum, in oculos incurrens; ſicut via quoque eſt aſpectabilis pars terræ, vtpote pauimentum pedibus ſubſtratum. *Veritatis* autem & *vitæ* vocabulo patris naturam delineat: veritas enim eſt res, quæ ſenſu comprehendi non poteſt, ſed ſola mente & intellectu: *Vita* quoque ex ſolo motu & externa operatione deprehenditur.

Christus optima via.
Ioan. 14.

Ab initio priuſquam terram, & abyſſos feciſſet, antequam aquarum fontes promanaſſent & montes facti conſtitiſſent; ante omnes denique colles progenerauit me. 24. 25.

POLYCH. *Ab initio, priuſquam terram.* Horum omnium ſenſus eſt: Totius vniuerſi principium & fundamentum me conſtituit. Aut obſcurè & velut ænigmaticè per hoc indicat, Dei Verbum ab initio, & ante ſecula à Deo & Patre carnem in tempore ſe ſuſcepturum præuiſum præcognitumque fuiſſe; aut Verbum menti paternæ, non vt reliqua, ſed inſtar fundamenti firmiſſimè adiunctum eſſe per hæc ſignificat.

Quo ſenſu Sapientia ante omnia generata.

Dominus fecit regiones & inhoſpita, & quæcunque ſub cælo inhabitantur terræ faſtigia. 26.

OLYMP.

OLYMP. Per *colles* ſublimiori ſenſu non tam montium cacumina deſignat hoc loco, quã præcellentes illas ſublimeſque ſubſtantiarum corporis expertium naturas. Per regiones fructiferas animas. Per *inhoſpita* ſenſa diuina, quæ homini loqui nõ licet. Per *ſumma* quæ inhabitantur incõprehenſa Dei myſteria; cuiuſmodi eſt Sacramentũ Trinitatis. Per *ventos* ſpiritus intelligentes, per *nubes* angelos adminiſtratorios, qui homines cæleſtes cæleſti pluuia perfundũt. Per *fontes* denique, diuinos doctores & magiſtros, qui ſolida Dei fundamẽta, ſolidamque de Trinitate doctrinam obtinent, & alios docent. Filius autem paterno nutu & voluntate hæc omnia efficiens patrẽ effeciſſe aſſerit. Omnia enim quæ filij ſunt, ſunt etiam patris; & vice verſa omnia patris, ſunt etiam filij.

Quid myſticè illa ſignificent, quæ poſt Sapiẽtiam condita ſunt.

27. *Quando cælum præparabat, vna cum ipſo eram: quando thronum ſuum ſublimem*
28. *ſuper ventos collocabat; Quando orbis partes, quæ nubes excellunt, nempe firmamentum, conſolidabat: Quando ſublunaris regionis fontes firmabat: Quando*
29. *terminũ ſuum mari præfiniebat, & aquis, nę os eius, hoc eſt legis ſibi præfixæ metam, excederent, mandabat. Quando terræ fundamenta firma ſolidaq́; faciebat, apud*
30. *illum denique eram omnia ſimul cum eo concinnè componens & digerens, ego inquam eram, cui blandè arridebat.*

Quando

Quando præparabat: Hoc eſt cælum ſtellis ornabat, vnà aderam; non dicit παρήμην, ſed συμπαρήμην: nempe quo per hoc indicet, in gloriæ & maieſtatis ſolio ſe Patri aſſidere, eiuſdemq; virtutis, honoris & poteſtatis cum illo eſſe: quando ἀφώριζε, *ſeorſumq;* ab aliis ſedem ſuam ponebat, aderam, operamq; conferebam: egebat namque latio illa ad ſumma rerum faſtigia, poteſtate virtuteque Deo digna. *Dei Sapientia pari cum Deo poteſtate.*

ALIVS. Poſteaquam ornatum concinnum, ordinemque aptum rebus omnibus adiunxerat, rerumque conditarũ cauſas accuratè perſpexerat; tunc demum regale ſolium ſuum condidit, ſupraque omnes cælos collocauit: nec hoc tantum, verũ in circuitu quoque per terræ alas, hoc eſt montium vertices & ſummitates muniuit; has enim alarũ nomine alicubi deſignat. Myſtice autem per *thronum* regnum ſuum ſignificat. *Thronus regnũ Dei denotat.*

Eram apud illum, &c.

Verbum *eram*, cum ad Deum refertur, non exprimit tempus, ſed æternitatẽ: Tũc autem temporis notionem includit, quando adiungitur alicui, quod ſub tempus cadit.

Cui blande arridebat, hoc eſt cui adblãdiebatur, vel cum quo iucũdè lætabatur: *Vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & ecce bona valde.* *Geneſ. 1. 31.*

Quotidie citra vllam intermiſſionem, coram illo me oblectabam.

Hoc eſt, ex quo tempora, temporũque vices ire cœperunt, dieſq; exorti ſunt, iugiter,

nullo

nullo penitus interuallo interiecto, ſummã apud illum voluptatem capiebam.

31. *Quando terrarum orbe abſoluto lætabatur,*
32. *& in filiis hominum oblectabatur. Nunc ergo, fili, audi me: beati qui cuſtodiunt*
33. *vias meas. Audite ſapientiam, capeſſite prudentiam iam, neque obſtruatis illi aures veſtras.*

Deus in Adamo omnes cernebat. Cùm Deus omnia, antequam fiant, in ſua præmotione contineat, & videat, cernens Adamum & Euam, ſimul videbat & cognoſcebat omnes ſanctos, qui olim ex illis naſcituri erant, videndoque oblectabatur.

34. *Beatus vir, qui me audit, & homo qui vias meas obſeruat, & peruigil ad meas portas excubat, & ingreſſuum denique meorum postes ſtudioſè cuſtodit.*

Eph. 6. 18 Colo 4. 2. 1. Theſſ. 5. 17. Huc ſpectat Apoſtolus Paulus, dum citra intermiſſionem orandum admonet: per *fores* autem & *poſtes*, per exitus rurſum & introitus

Dei voluntas in eius præceptis cõtinetur. Dei præcepta, diligentemque eorundem obſeruationẽ inſinuat, in iis namque expreſſa Dei Opt. Max. voluntas continetur.

35. *Nam exitus mei, exitus ſunt vitæ.*

Ioan. 16. Cognitum huic eſt illud Chriſti: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Rurſum: *Veni vt vitam*
Ioan. 10. *habeant, & abundantius habeant.*

36. *Qui in me peccant, in animas ſuas impiè agunt; & qui me oderunt, mortem diligunt.*

Et

Etſi bona voluntas non aliunde proueniat quàm à Deo, Dominus tamen liberæ voluntatis fecit hominem, quo nimirum paratus idoneuſque ſit ad faciendum ea quę oportet. Impij porrò in animas ſuas impiè agunt. Quandoquidē conciliant illis eiuſmodi mortem, quæ nunquam habitura eſt finem.

Bona volūtas eſt à Deo, ſed nō ab ipſo tantum.

CAP. IX.

Sapientia ædificauit ſibi domum; fulſitque columnis ſeptem. 1.

PER *domum*, carnem ex ſacra Virgine ſuſceptam aut eccleſiam deſignat. Per *ſeptem* autem *columnas*, quibus eam firmauit, ſeptem dona Spiritus ſancti, vel ſeptem Sacramenta Eccleſię, vel ſeptem certè, hoc eſt multos eccleſiæ ſpirituales doctores. Ponitur enim hic numerus certus pro incerto.

Et immolauit victimas ſuas, &c. 2.

Per *victimas*, diuina myſteria, ſecretaque, eorundemq; ſenſa; nec nō ſanā ſynceramque ſacrarum literarū interpretationē denotat.

Miſcuit vinum ſuum in cratere, menſamq; ſuam inſtruxit ornatè. 3.

Rectè *miſcuit*: ſiquidem hiſtoria miſcetur cum anagoga, & hæc rurſum cum illa. Cum enim diuina myſteria ſacræque fidei dogmata, nudè ſummatimque propoſita ſint eiuſmodi, vt à rudibus capi facilè non queant,

Sapientia quā ratione promat vinum miſtum.

Digitized by Google

quò talibus cæteriſque omnibus, qui in illis erudiuntur ſpirituale alimentum præſtent, vt in ſua membra parteſque ſecta, ſuiſque coloribus exornata, & interpretationibus elucidata proponerentur, operæ pretiũ videbatur. Vt ergo res diuinæ commodius vulgo percipiantur, humanis vocibus, hoc eſt, humana doctrina & ſapientia miſcentur & temperantur.

Cur myſteria ſacra non nuda proponantur.

ALIVS. *Miſcuit in cratere vinum, &c.* probè illud. Nam primò Chriſtus Dominus ſeipſum Deo Patri in hoſtiam & ſacrificium pro omnibus obtulit. Mox Apoſtolos, alioſque & alios mortis ſuæ imitatores fecit. Per craterem autem eccleſiam, accipere licet: hæc enim ſanguinem qui pro ea effuſus eſt in vſum ſuſcepit, ſanctèque cuſtodit, atque diſtribuit. Quem etiam ſanguinem arcaniori quadam ratione vinum hoc loco appellat, ſicut menſam in ipſa inſtructam paratamque dominici corporis eſcam. Poſſunt etiam per hæc vaſa, ad myſticam oblationem deputata vt ſunt altaria, calices, aliaque eiuſmodi accipi, alio, hoc eſt, ſenſu anagogico. per victimas, menſam & vinum æterna bona inſinuantur, per ſeruos Prophetæ, Apoſtoli, & Doctores, quos in orbem, vt pœnitentiam prædicarent miſit, mittitque ſemper. Per inſipiẽtes ſenſuque deſtitutos peccatores omnes, hos enim Dominus præcipuè ad pœnitentiam vocatum venerat. Per *panem* tandem *& vinum*, recta & ſolida de ſacra Trinitate doctrina, quæ cor Eccleſiæ, in qua Chriſtus degit,

Quid ſit vinum & crater ſapientiæ.

degit, mirificè confirmat & recreat, aut diuiniſſimum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum.

Miſit ſeruos ſuos, vt excelſa ſonoraq́ prædicatione ad vini craterem inuitarent, eiuſmodi vſa oratione. 3.

Miſit ſeruos, nempe Prophetas, Apoſtólos, Doctores atque Paſtores, vt paulo antè indicatum eſt, aut doctrinam ſanè de corporatarum corporiſque expertium rerum iudicio & prouidẽtia, nihil humile, aut humi repens proponentem; ſed quiddã ſublime & graue ſonantem. *Ad vini craterem*, &c. Per hunc craterem vel Chriſti ſanguinem, aut ſpiritalem diuinarum literarum doctrinam innuit.

Cuiuſmodi ſeruos mittat ſapientia ad inuitandum.

Quiſquis eſt inſipiens, declinet ad me. 4.

Vt ægri & debiles egent medicina, ita ſtulti & inſipientes, ſapientia. *Declinet ad me*. Qui Chriſti mentem necdum obtinet, ait, is virtutis initium capiat, hoc eſt à malo declinet & bonum faciat.

Aegri medicina, ſtulti ſapientia indigent.

Ad mente porro deſtitutos dixit: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis. 5.

Ad eos autem, qui Spiritus ſancti vim necdum experti ſunt, inquit; *Venite, comedite, & bibite*, hoc eſt, adeſte, veritatemq́ue capeſſite, & viam legemque diuinam cognoſcite, & facite.

Qui ſpiritualiter ſtulti dicantur.

Digitized by Google

6. *Miſſam facite inſipientiam, & viuetis. Quærite prudentiam, vt vita potiamini, & per cognitionem intellectum corrigite.*

Miſſam facite, &c. Confirmatur enim & emendatur præfatus ſtudioſus per diuinæ Sapientiæ ſermones, diuinaque myſteria, ſi ea admiſerit. *Quærite, &c.* Quod æquum & iuſtum
1. Theſſ. 5. eſt, vos iuſti ſequamini: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete; vitam æternam cognoſcite.*

7. *Qui erudit improbum, ignominiæ notam ſibi accerſit, & qui corripit impium, vituperationis periculo ſeipſum exponit.*

Fruſtrà admonentur à diuina lege alieni.

Per *malos & improbos homines* hîc denotat, qui ad ſummum nequitiæ faſtigium iam deuenerunt, ait ergo: *Ne proijciatis margaritas veſtras ante porcos. Qui arguit impium, &c.* Senſus huius
Matt. 7. 6 loci eſt, Qui corrigit eum qui à diuina doctrina prorſus alienus eſt, calumniæ notæ fruſtra ſe obiicit.

8. *Ne arguas obſtinatè malum; ne odio te habeat; argue ſapientem, & te diliget.*

Per *malos* non accipit hic promiſcui nominis peccatores. Nam ad ejuſmodi, quo à peccatis deſiſtant; de Dei timore, aliiſque ſimilibus verba facere opportunè & importunè oportet: ſed obſtinatè improbos & ſceleratos; cuiuſmodi ſunt, qui à peccatis ad pœnitentiã redire omnino nõ volunt. Cum igitur tales ſe offerunt, patientiam habe, inquit, neque de quolibet lapſu acrius illos obiur-

Digitized by Google

obiurges, ne prima ſtatim fronte exaſperati in tui odium exardeſcant. Expecta autem tantiſper, dum obſtinatam illam cordis duritiam, duramque obſtinationem abiicere inceperint, paulatimque ſobrij, prudenteſque euaſerint. Nam & Chriſtus quoque diſcipulos, dum noui rudeſque adhuc erant, non ſemper reprehendebat; ſed multa ſæpe illorum errata clementer diſſimulabat; allegans inter cætera, *vtres vetuſtos nouum vinum facilè ferre non poſſe.*

Cum ſcele ratis prudenter agendum.

Luc. 5. 37 Mat. 9. 17 Marc. 2. 22.

Aut certè *malos* appellat homines ſtultos, ſenſuque rationis prorſus deſtitutos; vtpote à diuina doctrina omnino auerſos. Fuerunt ſanè Achab & Herodes, tametſi inſigniter improbi, reprehenſi, verum illi diuinam legem profeſſi in legem manifeſtè præuaricabantur. Quare tales reprehendere & obiurgare licuit. *Argue ſapientem, &c.* Hoc eſt eum qui in ſapientia nonnullos progreſſus habet, eamque deguſtare jam cæpit, & diliget te, hoc eſt admonitionem tuam æquo animo concipiet.

Aliter cũ progreſſis, aliter cum rudibus agendum.

Da ſapienti occaſionem, & ſapientior euadet, indica iuſto ſapientiæ vias; & adiunget animum vt ſuſcipiat. 9.

Iuſtum vocat hîc hominem erga diuina benè affectum, doctrinæque auidum; Tali itaque, ait, patefac vias iuſtitiæ vel ſapientiæ, & cum omni voluptate & gratitudine ſuſcipiet.

Digitized by Google

10. *Initium ſapientiæ eſt timor Domini: ſanctorum autem conſilium eſt Prudentia. At verò legis cognitioni incumbere eſt probæ*
11. *mentis. Hunc igitur vitæ modum ſi tenueris, longo viues tempore, vitæq́ tuæ anni prorogabuntur.*

Præcipuũ Sãctorum ſtudium cognoſcere voluntatẽ Dei.

CHRYSOST. *Conſilium ſanctorum,&c.* Nihil aliud ferè eſt ſanctorum conſiliũ, quam prudens & ſagax de rebus, quæ in praxim veniunt, iudicium. Sed & nihil quoque æquè ſtudent & deſiderant iidem illi prudentes & ſancti, atque diuinam voluntatẽ cognoſcere. *Hoc enim vitæ modo*, hoc eſt, ſi Deum timueris, ſanctorumque iudicium ſecutus fueris, & diuinæ legis cognitioni intenderis, longo viues tempore: ſiquidem bonarum actionum fructus (vt Spiritus ſancti chariſmata quoque ſunt immortales) nam Spiritus ſanctus animæ vita eſt, eiuſdemque dona ijs præcipuè adiunguntur, qui Deum timent, legemque eiuſdem obſeruant.

12. *Si ſapiens fueris, fili, in rem tuam ſapiens eris: ſi autem nequam & improbus euaſeris, tu ſolus incommoda inde nata hauries.*

Mendaciũ inconſtans eſt.

Qui Dei ſapientia non vtitur, ventos paſcit, aueſque volantes, hoc eſt literarum & ſcripturarum principia, quæ non ſubſiſtunt, conſectatur. Mendacium enim ſua natura eſt res euanida, & inconſtans. Qui igitur natiuo illo, primoque veritatis fundamento (quod Dei

Dei ſapientia & Veritas ipſa eſt) deſerto, aliò ſe conuertit, ille paſcit ventos; de quibus Apoſtolus alicubi in hunc modum ſcribit: *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes; & circumfera-* Ephes. 4.
mur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Idem ille perſequitur aues volantes, quæ affinitatem habent cum rapacibus illis volucribus, quæ ea intercipiunt, quæ circa viam ſeruntur, quæ Christo Domino interprete, ſunt Luc. 8. 12
maligni ſpiritus. Vineam autem ſcripturæ doctrinam, vitæque inſtitutum appellant juxta illud; *Vineam meam non cuſtodiui.* Cant. 1.

Mulier fatua & temeraria ad fruſtuli pa- 13.
nis inopiam redigitur.

POLYCHR. Hæc mulier ſublimiori ſenſu eſt hæreſis, aut falſi nominis ſciētia. Eiuſmodi enim non habet panem diuinum, quo ſe alat, famemque, qua laborat, ſedet: ſed eſt quaſi terra arida, & ſitibunda, quæ nullum ſpiritualis ſtructuræ ornatum, nullam cæleſtem ſapientiam, nullam tandem aquam potabilem, cujuſmodi fructiferis terris Domini libertate obuenire ſolet, poſſidet: imò verò præ ſiti contracta, manibus ſterilitatem colligit, ſpinaſque & tribulos progignit; paucis ad fructum faciendū prorſus inepta exiſtit, nempe inſcitia & malitia inſanabili laborās.

Pudoris omnis exors, iuxta domus ſuæ fores 14.
ſedet ſuper ſellam, idq; in conſpicua ciui-
tatis platea, quo illas ad ſe pelliciat; qui 15.
ſecus viam tranſeunt ſuumq; iter carpunt.

Digitized by Google

EVAGR. Non dicit hæc mulier verecũdiam, neque nouit ſalutarẽ doctrinam, nullo timore Domini tangitur, de quo Dauid ait: *Timorem Domini docebo vos.* Et quidem timor & pudor ſecundũ ſe abſolutè naturales ſunt animi affectiones, at nõ ita timor Domini. Hic omnino circa Chriſti doctrinã occupatus, docet bonũ facere, & à malo declinare. Cæterũ vt peccator timore Domini correptus declinet à malo: ita ſalubri verecundia tactus, trahitur ad pœnitentiam ſalutaremq; peccatorũ deteſtationem. *Sedet pro foribus ſuper ſellam.*

Pſal. 33.

Quid interſit inter timorem Domini, & timorẽ paſibilem.

Non ſedet in ſolio, vel throno, quod dominatus & poteſtatis eſt ſymbolũ, neque doctorũ more in cathedra (nam cum effeminata & indocta ſit, cathedræ præeſſe, haud nouit) ſedet autem in molli ignauaque ſella, ſedẽſque aduocat, nõ quoſque: nõ enim vocat ſtabiles, ſed inſtabiles & iuxta viã, non etiam per rectam ſemitã incedentes, ſed ſuum proprium iter cõficiẽtes. Promittit porrò myſticæ doctrinę theſauros, verũ nihil prorſus, quod vllius ſit momẽti pręſtat. Aſt vera ſapiẽtia, licet primo incipiẽtibus videatur inamæna, & laborioſa, fructus tamen fundit amæniſſimos. Præterea mulier hæc nõ dicit: Venite, comedite panem meũ, ſed dicit: Venite, attingite vel guſtate panes meos, ſiquidẽ placita illius faſtidium & ſatietatẽ ſtatim generant. Adhæc aquam ſuã dulcem vocat, quia nõ adfert laborem, vt virtus ſolet. At quamuis ſuauiter illabatur, & temporariam voluptatẽ adferat, adeo tamen viuifica non eſt, vt certam quoque mortem vtentibus inferat.

Quid interſit inter veram & falſam doctrinam.

Quiſquis veſtrũ fatuitate excellit, is ad me 16.
declinet: amentes autẽ non abſque imperio
ad hunc modum compellat, Agedum panes 17.
abſconditos ſuauiter attingite, dulcemq́;
furto ſubductam aquam bibite.

Cum ipſa ſit inſipiẽs,& ſtulta & temeraria, *Qualis*
ſui ſimiles amat & quæritat.Siquidẽ incertas *ſit hæreti-*
& fabuloſas ſentẽtias, falſas rurſũ, ineptaſq; *corum do-*
interpretationes & explânationes pro veris *ctrina.*
ſolidiſq; obtrudit. Hoc ipſo autẽ quod dicit,
Attingite, Theoremata ſua eiuſmodi eſſe haud
obſcurè inſinuat, vt palato ſano nauſeã potius
moueant, quã oblectationem. *Aquã dulcem bibite. Dulcẽ* ſanè at minimè ſanã, minimeque
viuificam, ad multitudinis rurſum guſtũ attemperatã,
at adulterinam & toxico infectã.

Ipſe autem non animaduertit Gigantes, ter- 18.
ræq́; filios apud illam interire, præcipiteſque
ad inferni barathrum deferri.

DIDYM. Etenim viã, quę ad domũ eius ducit, recta ad infernum mortiſq; barathrũ tẽdit. At ille interim luxu occæcatus carnique & gulæ deditus, haud conſiderat non modo pygmæos, ſed Gigantes quoque, apud illam perire. Siquidẽ qui illius moribus atque cõſiliis obſequuntur, prorſus terreni atque carnales efficiuntur, totique in carnem verſi, ad ſempiternum tandem interitũ abducuntur.

* Etſi Septuaginta interpretes τὸ πέταυρον, pro *loco profundo* hic vſurpaſſe videntur, potuit tamen per *laqueum* quoque reddi. Meretrix *Meretrix*
namque (vt hæreſis quoque) orationis ſua- *eſt hæreſis.*

 uitate

uitate & blandimentis, & ſuam vitam diuendit, & aliorum rurſus animas irretit, irretitaſque in inferni laqueum coniicit. Quemadmodum autem aues prius auolant, quàm ad eſcam, quam reti vel laqueo adiunctam animaduertunt, contingant, (alioqui enim capiuntur) aut non multum certe eo in loco dimorantur; ita tu quoque ab aliqua illa aliena fuge, & abſtine; vt quæ non viuificet, ſed præfocet. Deuita itidem doctrinam omnem erroneam, & à recta via abducentẽ, fructum autem ſalubrem nullum prorſus adferentẽ.

Vt apud Deũ fons vitæ, ita apud diabolũ fons mortis eſt.

Aduerte hîc tandem, vt apud Deum extat fons vitæ, ita apud diabolum extare venam vel fontem mortis. Rurſum vt fons Dei eſt virtutis & agnitionis, ita venam vel fontem diaboli eſſe nequitiæ & inſcitiæ. Et quod de fonte hic dicitur, hoc ipſum de fluuio, puteo, & pluuia dictũ quoque accipiatur, & hæc de primo Prouerbiorum Salomonis ſegmento.

CAP. X.

1. *Filius ſapiens lætitia afficit patrem: filius autem ſtultus mœrore conficit matrem.*
2. *Iniquitatis theſauri nihil profũt iniquis:*
3. *Iuſtitia autem liberat à morte. Dominus fame non enecabit animam iuſtam: at impiorum vitam euertet.*

Quo ſenſu opes liberent à morte.

IVſtitia liberat te, &c.* Opes propriæ liberant animam à morte, non quando in terra detinentur, vel defodiuntur, ſed quando inter egenos

egenos liberaliter diſperguntur. *Theſauri iniquorum* ſunt illorum vita & ſcientia. Verum licet hæretici & impij omnes vitam & mortem habeant, nihil tamen hæc illis proſunt. Alio ſenſu iuſtitia peccatis, quæ ad mortem præcipitant adueniens liberat à morte.

Paupertas hominem abiectũ humilemq́; reddit; manus autem virilium locupletant. 4.

Quæ dicit, huc tendunt. Doctrinæ penuria virum ante robuſtum & virilem à ſapientiæ culmine prolapſum conſternatum, timidum itidem & contemptibilem reddit.

Filius eruditus inter ſapientes cenſebitur, vteturque mente deſtituto, tanquam miniſtro. 5.

Senſus eſt. Vir diuinã legem edoctus, nec non in ſacris literis verſatus, vtetur externa ſapientia, tanquam miniſtra.

Filius intellectu valens, conſeruatur à ſolis ardore: filius autem iniquus ventorum vredine corrumpitur in meſſe. 6.

Vir intelligens, qui per cruces & calamitates non ſecus excoctus & probatus eſt, atque aurum per incenſam fornacem probari ſolet, lætos iuſtitiæ fructus edit: Contrario vir iniquus ab iis etiam rebus, per quas melior alioqui euadere debebat, ſæpe corrumpitur, & deprauatur, & omnino etiam perditur.

Cruces & calamitates patiẽti animo acceptã vitã impatienti autem mortẽ adferũt.

DIDYM. Qui naturali ſapientia & intelligentia valet, illum neque ſol exurit per diem,

diem, neque luna per noctem. Per ardorem vitæ huius curas & moleſtias deſignat. Illos verò qui propter iſtiuſmodi rebus deiiciuntur, & quaſi deficiuntur fænũ vocat. Chriſtus ſeruator noſter afflictiones & perſecutiones illas, quæ propter Dei verbum interdum eueniunt, in Euangelica parabola *æſtum* appellat.

Quid ſint ardor & æſtus myſticè.

7\. *Benedictio Domini ſuper caput iuſti; luctus autem intempeſtiuus impiorum obſtruit ora.*

† *Hic verſus in emendatioribus exemplaribus deſideratur, quare Græci interpretes nullam eius mentionem faciunt: redditur autem per hunc ex obliquo ratio ſententiæ proximæ præcedentis.*

ORIGEN. Iuſto, prudenti & ornato res quoque difficiles & afflictæ, faciles euadunt; aſt aliter affecto etiam leuia & conſolationem quandam adiunctam habentia, difficilia videntur.

8\. *Memoria iuſti viget cum laude, at impij nomen extinguitur & obſcuratur.*

Sermone de iuſto in medium adducto, ille quidem laudatur & celebratur: impij vero nomen ſiletur & obliuioni traditur.

9\. *Vir cordatus & ſapiens ſuſcipit mandata; at qui patulis eſt labijs peruerſeq́; agit, euertetur.*

Eum ſapientem hic vocat, qui ex ortu quoddam ſapientiæ ſemen, & quaſi initium ſortitus

ſortitus eſt, labiis autem apertum, vel dete-
ctum illum, qui dictum illud: *Quod audiſti, id
tecum moriatur*, vel non nouit, vel non rece-
lit, vel eum certè: qui ſiue hoc, ſiue illud lo
quatur, ſemper impingit.

Qui temere quiduis effundit, ſemper ferè impingit.

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confiden- 10.
*ter: qui autem vias ſuas peruertit, non
latebit.*

Qui proximo ſuo nullum dolum, nullas
inſidias machinatur, is nullis viciſſim aliorũ
inſidiis impetetur aut capietur. Contrà verò
qui clauculum inſidiatur vel conuitiatur, &
palam laudat, ille etſi ad tempus latere vi-
deatur, tandem tamen deprehendetur.

ALIVS. Qui duplicis eſt animi, & verſi-
pellis, & candoris expers, ille tandẽ redar-
guetur. Redargutio autem falſitatis manife-
ſtatio. Duplicis itaque animi & inconſtans
redarguetur, hoc eſt condemnabitur.

Fraus & impoſtura tandem patefit.

Qui fraudulenter oculo annuit, ille homini- 11.
*bus accumulat triſtitias; qui autem auda-
cter corripit, pacem conciliat.*

Qui *ſapiens eſt corde*, inquit, ille per incre-
patoriam orationem hominem alioqui obſti-
natum cordeque grauem ad frugem ſæpe
peccatorumque ſenſum & pœnitentiam ad-
ducit; at fraudulentus nihil ferit niſi dolo-
rem & inimicitiam.

Fons vitæ exiat in manu iuſti; perditio au- 12.
tem operiet os impÿ.

Actio-

Digitized by Google

Actiones iuſti pariunt ſalutem & vitam æternam: impiorum autem ſermones aliud nihil progignunt & promerentur, quam ſupplicium & pœnam.

13. *Odium ſuſcitat contentionẽ, homines autem à litibus & contentionibus alienos, tegit caritas & amicitia. Qui è labijs depro-*
14. *mit ſapientiam, virum excordem quaſi verbere cædit.*

Odium, ait, & ſimultas mouent pugnas, & contentiones aliaque eiuſmodi. Pacis autem ſtudium generat gratiam & amicitiam. * *Verſus qui conſequitur in Commentarijs deſideratur, neque plenus quoque videtur.*

15. *Sapientes abſcondunt ſenſum & intelligentiam; os autem procacis, & temerarij vicinum eſt contritioni.*

Nõ quouis tempore aut loco prudentes veritatis ſenſum depromunt.

Indicat per hæc Sapiens viros cordatos veritatis ſenſum, neque ſemper, neque temerè quoque proferre, licet illum teneant, ſed interdum apud ſe premere, & ad tempus abdere. Nam quæ dicturi ſunt, ea prius ruminant, & in pectore diligẽter verſant, quam inde in medium depromant.

16. *Opes diuitum ſunt quaſi vrbs munita, paupertas autem contritio eſt impiorũ. Opera*
17. *iuſtorum pariunt vitam; impiorum autem fructus ſunt obnoxij peccatis.*

Homines ſtudioſi & virtutibus dediti (iuſti namque

namque bonis operibus abundare ſolent) cæleſtem Ieruſalem, quæ eſt ciuitas præ cæteris munita, per virtutem ſibi comparant; impij verò, qui nullum bonum opus poſſident, ſempiterni ſupplicij reatu ſeſe obligant. Nam per *contritionis* nomen hoc deſignauit: ſicut per *bonorum operum penuriam* mortem ipſam. *Iuſti bonis operibus abundant.*

Diſciplina probata vias vitæ cuſtodit, quæ autem examinata & explorata non eſt, in errorem inducit. 18.

Diſciplina, inquit, quæ nullam adfert probationem, neque vllum ſubiit examen, facile errat alioſque in errorem præcipitat. Quia praua quoque conuerſatio animæque politia & conſtitutio clancularios nonnunquam errores proſeminare ſolet.

O l y m p. Quæ hoc loco præponuntur, ad iuſtos & peccatores ex æquo ferè ſpectãt. *Vias vitæ* diuina præcepta appellat, ſecundum hæc enim viri iuſti vitæ ſuæ rationes inſtituunt. Qui autem iuxta illa non docent, nec neceſſario conuerſantur, errant. Siquidem doctrinam Chriſto contrariam omni reprehenſione ſuperiorem neceſſario falsò affirmant. Vocant autem illam *irreprehenſibilem*, quaſi nihil quod merito reprehendi poſſit dignum in ſe contineat, ſed illud vanè & iniuſtè. Nam licet pietatis ſpeciem alicubi præ ſe ferat, attamen nec pia, nec verè quoque ſana eſt, nec iuſto quoque examine cribrata & approbata eſt.

Qui

Digitized by Google

Qui igitur aliis ſua ſenſa ſuaſque cogitationes liberè aperire non audet, neque ſeſe redargui patitur, ille opinione ſua ſeducitur, certoque errat.

19. *Labia iuſtorum inimicitiam tegunt; qui autem per conuicia illam produnt, extremè inſaniunt.*

Inimicitiam vocat hoc loco malitiam, propter hanc enim Dei inimici conſtituimur. Vt autem malitia Dei inimicitiam; ita virtus Dei amicitiam numiniſque cæleſtis notitiam includit. Per hanc namque illius amici efficimur; nec illius tantum, ſed ſanctarum quoque Virtutum & poteſtatum, hoc eſt angelorum. Per hanc autem *amicitiam*, qui Dei amici ſunt; inter ſe inuicem quoque amici affecti ſunt.

* Sunt qui hunc locum ἀποφαντικῶς *negatiue* legunt & interpretantur, ad hunc modum: *abſcondunt odium labia iniuſta*, hoc eſt, iniuſtorum ſermones inimicitiam callidè diſſimulant: nam licet occultum odium intra ſe foueant, amicitiam tamen ſimulant.

20. *In multiloquio non facilè declinabis peccatum: parcius autem labijs vtens prudens cenſebere.*
21. *Lingua iuſti eſt veluti argentum in igne explicatum. Cor autem impij defectionem patietur.*

ORIGEN. Iuſtorum oratio probatur, vt quod rebus ipſis fidem faciat: deficit autem

cor

Cor impij, quia perpetuo mutatur & fluctuat.

Labia iuſtorum norunt ſublimia; inſipientes autem in inopia, vitæ finem faciunt. 22.

Iuſti, inquit, orationem ſublimium rerum norunt: inſipientes autem nihil ſublimè ſapiunt, aut quærunt.

Benedictio Domini ſuper caput iuſti: hæc ditat, nec vllã adiunctã habet cordis triſtitiã. 23.

Si vnuſquiſque Domini benedictionē potitus, & in lege verſatus eſt, diues; prophetæ autē in lege Domini incedebant verſatique, diuites ergo erant. *Prophetæ diuites erant.*

Non adiunctam habet cordis triſtitiam, & opes quæ ex Chriſti benedictione & liberalitate obueniunt, ab omni moleſtia & triſtitia immunes ſunt, ipſoque ſtatim acceſſu, priuſquam plenè percipiantur, animam ſpiritali lætitia perfundunt.

Per riſum ſtultus improbè agit: ſapientia autem homini conciliat prudentiam. 24.

Gaudent enim ſtulti; hoc eſt, impij cũ malefecerunt; ſicut è diuerſo ſapiẽtes exultant, cum bene fecerunt, neq; enim ſat eſt vt quis multa bene dicat; ſed opus eſt præterea, vti quæ recta, & conuenientia ſunt, benè quoque faciat. Sapientia parit prudentiam, hoc eſt practicam virtutem. Cum autem ſapientia pariat prudentiam, hoc eſt, boni & mali, & mediorum itidem cognitionẽ, pariet quoque reliquas virtutes. *De alio ſtulti de alio prudentes gaudent.*

Digitized by Google

25. *In perditionis fouea volutatur impius; iuſti autem deſiderium Deo eſt gratum ſeu acceptum.*

In perditione impius volutatur; quandoquidem tentatione aliqua ingruente abſque omni timore ſtatim peccato ſeſe dedit; cum è diuerſo per patientiam & tolerantiam, tentationi, quæ aduenerat, debuiſſet reſiſtere.

26. *Ingruente tempeſtate euaneſcit impius: iuſtus autem inde declinans ſeruatur in æternũ.*

27. *Sicut vua acerba dentibus noxia eſt, & fumus oculis; ita iniquitas peſtem adfert ſuis cultoribus.*

Iniquitas cultoribus ſuis noxia. Iniquitas noxia eſt ſuis auctoribus; nam & ſenſum adimit, & mentem grauiter offendit, nec ſemel exorſa finem facilè facit.

28. *Timor Domini adiungit dies, anni autem impiorum ſunt breues & pauci.*

Eſt hic Timor ſanctus, qui permanet in ſeculum ſeculi. Porro autem timor Domini, vt hic docetur, vitæ dies auget, *Principium autem ſapientiæ eſt timor Domini*, fit vt dies illi ſunt pars ſapientiæ à ſole iuſtitiæ confecti: adiungit namque quotidie nouas illis notitias & illuminationes qui proficere contendunt. Hæ enim per dies illos qui per ſolem iuſtitiæ Chriſtum abſoluuntur & conficiuntur, denotantur: pro quibus Dauid quoque orabat dicens: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum.* Quibus diebus plenus erat Abraham antequam finem faceret.

Prou. 1. *Quales ſint dies quos adiungit Timor Domini.* *Pſal. 101.*

Apud

Apud iuſtos moratur lætitia; impiorum au- 29.
tem ſpes interit.

Perit ſane impiorum ſpes, quia tota affixa & innixa eſt iſtis præſentibus, quæ ſua natura fluxæ & inſtabiles ſunt. *Præſentis vitæ res inſtabiles.*

Firmamentum & robur viri ſancti eſt, timor 30.
Domini; contritio autem eorum eſt merces, qui operantur mala.

Sanctus is rectè habetur & dicitur, qui in iuſtitia, quæ ſecundum Deum ſeſe exercet, progreſſuſque in ea facere quotidiè contendit.

Iuſtus in ſæculum nō mouebitur, impij autem 31.
ſuper terram non habitabunt.

Eſt enim iuſtus ad eum modum in gratia Dei firmatus, vt per vitæ viam incedens, turbari, aut de bono in malum tranſmutari non facilè valeat. *Iuſtus eſt conſtans.*

Os iuſti diſtillat ſapientiam; lingua autem 32.
iniuſti interitum parit.

Iuſtorū ſermones ita ſunt apti & concinni, vt gratiis referti videantur: ita rurſum firmi, vt ſolui nequeant. Impiorum autem oratio perimit, & auditores peruertit. *Quid diſtet iuſti oratio ab iniuſti.*

Iuſtorum virorum labia gratā fundunt ora- 33.
tionem, os autem impiorum veluti peruerſum faſtidium mouet.

CAP. XI.

1. *Dominus ſtaterā doloſam apud ſe execratur: pondus autem æquum & iuſtum acceptat gratumq́ habet.*

STatera ſublimiori ſenſu, eſt vis diſcernēdi & iudicandi; quæ cùm à natura in nobis exiſtat, ab omni praua affectione, & animi perturbatione aliena eſſe debet.

2. *In quemcumque inuadit ſuperbia, illum occupat & ignominia: os autem humilium meditatur ſapientiam.*

Qui per faſtū contumelia digna deſignat, contumelia iure meritoque afficitur. Non ita autem qui cōtumelioſè ab alio proſcinditur. Siquidem per ὕβριν deſignat hoc loco verius *ſuperbiam & arrogantiam* quā contumeliā. Nam omnis omninò ſuperbus vt eiuſmodi, indignus eſt honore, dignus verò confuſione. Omnis è diuerſo humilis, ſicut omnis quoque ſapiens honorandus eſt: huius enim *os meditatur ſapientiam.*

3. *Rectarum perfectio recta deducet eos, peruerſitas autem illorum, qui præceptum aſpernantur, abſumet eos.*

Perfectio, inquit, *rectarum*, hoc eſt virtutum, proſperè deducet iuſtos: fraus autem & ſupplantatio eorum qui Dei vel ſapientiæ leges euertunt, deuaſtabit illos. Iuſti ſcopus & deſiderium fertur in futura, & circa illa occupatur. Quapropter vt primum vitæ finem fe-

cerit

Digitized by Google

cerit, ſtatim recepit, quę expectauerat. Atque huc ſpectat hoc quod loco dicit *Perfectio rectarum*, hoc eſt virtutũ *deducet illos*, nempe iuſtos in vitam æternam. ὑποσκελισμὸς autem ſupplantatio aſpernantium, hoc eſt, praua rerum operatio, qui Dei legem eiuſdemque præcepta contemnunt, libereque in illam præuaricantur, deprædabitur eos, quia ad vnum omnes ad ſupplicia factis illorum digna tranſmittet. *Iuſti ſcopus in futura.*

Non proderunt opes iniuſto, in die iræ, iuſtitia autem liberabit à morte. 4.

Per *diem iræ* accipit diem iudicij, iuſtitiam autem eam intellige, quæ per eleëmoſynam comparatur, ſcriptum extat enim. Eleëmoſyna cum ieiunio liberat à morte. Eſt autem hic ſermo non de corporis morte, quam natura adfert; ſed de animæ interitu, quem peccatum generat. *Eleemoſyna liberat à morte. Tob. 12.*

Iuſtus vita decedens mœrorem & luctum alijs deſerit; impiorum autem interitus, omnibus gratus & iucundus accidit. 5.

Nihil enim habet iuſtus, poſteaquã obiit, quod ipſum mordeat: impius verò poſt mortem pœnitudine quidem ducitur; quia grauiter punitur, ſed fruſtra.

DIDYM. Quemadmodum iuſto extincto omnes tanquam communi patrono & benefactore orbati mœrent: ita iniuſto & impio demortuo omnes gaudent, tanquã communi

peſte & corruptore è medio ſublato. Quia verò in Eccleſiaſte dicere viſus erat, idem occurrere iuſto & iniuſto, eundemque interitum vtrique euenire; ideo orationem illam hic opponens, docet mortem quidem amborum vnam eſſe, interim quæ mortem conſequuntur, admodum diſparia vtrique contingere: ſiquidem iuſtorũ memoria manet cum gloria & laude; nomen autem impiorum vna cum illis extinguitur & aboletur. Atque huc referri poteſt, quòd paulo antè de iuſti vita defuncti pœnitentia dictum eſt. Relinquit enim ille hactenus pœnitentiã, quatenus omnes de illius interitu lugent ac dolent.

Iuſtus moriens deſerit dolorẽ, iniuſtus poſt mortẽ auſpicatur pœnã.

6. *Iuſtitia inculpati viri, vias rectè moderatur; impietas autem impingit in iniuſtitiam. Iniuſtitia virorum rectorum liberat illos: iniqui autem ſua temeritate capiuntur & irretiuntur.*

Viri recti in vtraq; vita felices.

Viros rectos vocat hoc loco veraces, vitãque inculpatam ducentes, qui tempeſtate quapiam ingruẽte ab omni aduerſæ fortunæ procella eripiuntur, non ſolum in vita hac præſenti, verum etiam in altera, futuroque iudicio. Horum autem oppoſitum patiuntur & experiuntur iniqui.

7. *Vir iuſtus vbi vita hac perfunctus fuerit, ſpem non amittet; impiorum verò iactantia & gloriatio poſt mortem interit.*

En hic rurſum iuſtorum ſpem non interire confirmat. Quo autem modo? obſerua vberem

rem ſpei huius fructum, exemplo namque vno aut altero planum id facit. Sperabat iuſtus venuſtam ex legitima vxore prolem ſe ſuſcepturum,& ecce ſuſcipit:ſperabat ſuſceptam magnis honoribus multiſque opibus potituram & ecce potitur, idem ſtatuam de cæteris ſimilibus. Quin ad futuram quoque vitam & reſurrectionem ſermo hic trāsferri poteſt.Subindicat enim iuſtū bonis omnibus hic vſum futurorum quoque bonorum ſpe neutiquam fruſtratum iri. Aut poſt mortem non modo in ſe, ſed in ſuis quoque liberis, glorioſum & celebrem futurū; at impiorum gloria,qua inaniter ſæpe gloriati fuerant, & in qua ſinem ſuum tantum non collocauerant,vanam & momentaneam fore. *Iuſtorum ſpes non fallit.*

Iuſtus ne prædatorum præda ſiat, liberatur; pro eo autem in captionem traditur impius. 8.

DIDYM. Iuſtus diuinam legem animo ſemper verſans,ſeſeque in illa oblectās,& à mortis laqueis eripitur,& à venatoribus dæmonumque inſidiis liberatur,&ab omni tandem ſeditioſo & turbulento ſermone cuſtoditur. Traditur autem & coniicitur in illa incommoda impius.Quod ſi vir iuſtus vt homo quandoque conciderit,ſtatim rurſus conſurgit,atque emergit. *Iuſtus per infirmitatem lapſus reſurgit.*

Pro eo autem traditur impius.

IDEM DIDYM. Non eſt hoc ita accipiendū,quaſi impio ea imponatur pœna,quam iuſtus iuſtè promeretur; ſed quòd inſidias, quas impius iuſto iniuſtè ſtruxerat; iuſtus

Quo ſenſu pro iuſto impius tradatur ſupplicio. per Dei prouidentiam nonnunquã euadat. Impius autem eadẽ illa Dei cura & prouidentia deſtitutus, in illas ipſas imprudens incautuſque incidat. Aut ideo hoc dicitur, quia iuſtus vt homo ſubiacebat quibuſuis noxiis, quę impius per vexationem iniuſtè illatam in illo punit & quaſi extinguit; adeoq́ue iuſtũ à pœna, quam in altero ſeculo ſubiturus erat, liberat; ſeipſum verò propter iniquam vexationem certæ pœnæ reatu, obſtringit: obiicitur autem huic pœnæ impius non ab alio, quàm à ſe ipſo ſuaque propria malitia, vt qui iam ante in reprobũ ſenſum ſponte ſeipſum conieciſſet.

9. *In impiorum ore ciuibus poſitus eſt laqueus:*
iuſtorum autem ſenſus felix, fauſtuſq́; exi-
ſtit. In proſpero iuſtorum ſucceſſu ciuitas
10. *promouet & floret; in impiorum autem in-*
teritu exultatio & plauſus exoritur. In re-
11. *ctorum benedictione & opulentia, ciuitas*
exaltatur, per os autẽ impiorum euertitur.

Iuſtorum ſenſus. Per *ſenſum* notitia arte & ſtudio comparata hoc loco deſignatur, quæ proſperè fortunateque ob id procedere aſſeritur, quod in ciuium vſum conuertitur. In ore autem impiorũ, ciuibus laqueus poſitus dicitur, quia obſidione, aut alia clade ciuitatem premẽte ab impiis ſępe traditur. Aut *impij* appellantur hic dæmones; *ciues* verò, qui ſecundùm animum rectè diuiniſque legibus conſentaneè ambulant. Hi autem capiuntur ab illis. Nam vt apud Iob videre eſt, per os

Quomodo in impiorũ ore ciuibus poſitus ſit laqueus. Dæmones grauiter & iniuſtè accuſant iuſtos.

illorum

illorum iniuſtè & grauiter accuſantur & traducuntur. Conſtat enim Satanã, cum ſanctus & iuſtus ille à Domino cõmendaretur, odioſè & amarulenter, hæc ſubieciſſe: *Pellis pro pelle.* Item: *Nunquid Iob gratus ſeruit Deo?* Hoc autem os impudens & iniuſtum, per iuſtorum patientiam ſubuertitur & tandem obturatur omnino. *Iob 1. & 2.*

Mente captus ciues ſubſannat; vir autem prudens ſilentium quietemque agitat. 12.

Subſannat, hoc eſt, mordet & inſectatur: *vir autem prudens ſilentium agit.* Nam cum peccatũ ſit inconcinnus & inordinatus quidã animi motus; fit vt virtus, quæ illi aduerſatur, rectè res pacata & quieta dicatur. Vnde ad Cainum qui inordinatè turbateq; mouebatur, dictum fuit: *Peccaſti, quietus pacatuſq; eſto.* *Geneſ. 4.*

Peccatum eſt inordinatus animi motus.

Vir bilinguis ſecreta cõſilia in hominum cœtu aperit: fidelis autem ſpiritu, quæ tegere iuſſus eſt, celat. 13.
Qui gubernatione deſtituuntur, cadunt vt folia; in multorum autem conſilio ſalus eſt poſita. 14.

Qui intemperantis eſt linguæ, aliudque in corde, aliud in lingua promptum habet, is in virorum conſeſſu, quod quiſque conſilium dederit, temerè effundit. Qui autem fidus eſt ſpiritu, hoc eſt, qui ea cuſtodit & in animo abdit, quæ oportet, vt ſunt ea quæ ſecreto tenere iuſſus eſt, ille ſermonem ritè diſpenſat, recteque adminiſtrat. Siquidẽ talis loquitur, aut

Quid diſtet inter intemperantis linguæ hominem ab homine fideli ſpiritu ornato.

aut tacet, prout neceſſitas poſtulat, vel tempus ſuadet. Aut fidus ſpiritu dicitur, qui ex corde & profundo animi ſenſu talis eſt; aut qui in arcanorum occultatione, verax & fidelis eſt.

15. *Improbi inter iuſtos immiſti faciũt improbè, ſermonemq́ de ſalute & ſecuritate inſtitutum deteſtantur.*

Improbi aliterque docentes tepidis per adulterinam doctrinam & iuſtitias inſidias ſtruunt.

Verba, inquit, tuta & ſalutaria audire detrectat malignus: vt qui ſalutis doctrinã odio habeat (hoc enim nomine *ſecuritates* appellauit) inſidiatur autem iuſto, quia malitiæ ſuæ admiſcet quandam fucatam & adulterinam iuſtitiam, quo ſpiritu tepidis, ſalutaremque ſermonem pauim facientibus, ea ratione & miſtione imponat.

16. *Mulier gratioſa ſuſcitat marito honorem & gloriam: mulier autem æquum & bonum exoſum habens, ſedes eſt ignominiæ.*

Ignominia naſcitur ex malitia, hæc ex peccato.

Mulier benigna & gratioſa, ſublimiori ſenſu; eſt ſententia mitis, grataque auribus, cuius vir eſt mens vel animus. Thronus autẽ ignominiæ idem eſt, quod vis vel poteſtas infamiæ. Nam vt homo, in quo peccatum regnat, & veluti rex in ſolio ſuo ſedet, vocatur *ſedes iniquitatis*; ita homo probro & ignominia copertus, appellatur *ſedes ignominiæ*. Ignominia autem naſcitur ex malitia; hæc autem ex peccato. Quod autem ex aliquo natum eſt, hoc pars illius eſt: vt lapis ex ſaxo, & ceſpes ex terra,

terra, aliaque ſimilia: atque ideo ignominia eſt ſpecies, vel proles peccati.

Pigri opum inopes euadunt; robuſti autem & impigri diuitijs cumulantur. 16.

Vir fortis & animoſus edomat & ſubiugat corpus ſuum, laſciuus autem & intemperans, vnà cum anima, ipſum quoque corpus corrumpit, & perdit. *Vir fortis corpus ſuum ſpiritui ſubijcit.*

ALITER. Vir bonus & fortis, corporis illecebras fortiter contemnit; totus autem in eo eſt, vt animæ ſuæ benè ſit, Qui verò alio modo affectus eſt, is præterquā quòd animæ ſuæ non parcit, ſuum quoque corpus corrumpit & interimit.

Vir miſericors animæ ſuæ benignè facit: aſt immiſericors quoque corpus ſuum perdit. 17.

Vir benignus & liberalis éx inſtituto deditus eſt animæ; auarus autem & tenáx, nec animæ nec corpori parcit: quippe quod non nutrit, nec tractat, vt oportebat. Aut certè, in egenos crudelis & parcus eſt: ſe autem immodicè ſaturans, in aduerſam valetudinem & paupertatem paulatim deflectit, & tandem omnino perit. *Auarus nec corpori nec animæ ſuæ parcit.*

Impius deſignat opera iniuſta: iuſtorū autem ſemen mercedem ſortitur veritatis. 18.

Hoc eſt, ferenti iuſtitiam merces obtinget certa & fidelis. Qui iniuſta iniuſtis ſemper accumulant, quique in iniuſtitia & iniquitate continuo ſeſe exercent, hos ſcripturæ impios vocant. Illorum verò merces, qui iuſtitiam *Qui in ſcriptura vocentur impij.*

tiam perpetuo ſeminant, infallibilis & certã eſt in illo.

19. *Vir iuſtus progignitur in vitam: perſecutio autem impij tendit ad mortem.*

Totũ impij ſtudiũ tendit ad mortem.

Senſus eſt, Totum impij ſtudium, omneque eiuſdem inſtitutum tantũ fertur in mortem. Nec enim ea exercere, aut diligere ſolet opera, quæ tẽdunt in vitam æternam, aut quæ ad illam conferunt; ſed ea ſolum quæ ſpectant ad mortem.

20. *Dominus execratur vias peruerſas: acceptat autem omnes qui inculpatè ambulant.*

Hæc ſe mutuo conſequuntur: ſi enim vitæ inculpatæ; hoc eſt, homines, qui inculpatam vitã ducunt Deo ſunt grati, adeoque ſpe certa iam beati, non poſſunt profecto eidem exoſi non eſſe omnes, quotquot vias vitæque ſuæ rationes peruerſè præpoſterumque inſtituunt.

21. *Qui manum manui iniuſtè inſerit, pœnæ expers non erit. Qui autem ſeminat iuſtitiam, fidelium accipiet mercedem.*

Munerum venatio iure prohibita.

EVAGR. Per iniuſtam manuum in manus iniectionem munerũ venationem iure prohibitam hoc loco ſignificat. Qui igitur aliter affecti, hoc eſt, à vitio illo alieni ſeminant iuſtitiam, illi accipient mercedem fidelem veram & certam, vt qui auaritiæ non attendant vt illi. Quia verò, qui iuſtitiam operatur

tur, ex Deo natus eſt; Deus autem vita eſt; fit vt ille iuſtitiam ſeminare rectè dicatur, qui de Dei cognitione virtutumque ſtudio alios inſtruit. *Quis iuſtitiam ſeminare rectè dicatur.*

Quod auris aurea eſt in ore ſuis, hoc pulchritudo eſt mulieri fatuæ. 22.

Nam cum hæc pulchritudinis vſum ignoret, fit vt ſordibus obſcænoque cœno illam contaminet. Cur ſui, inquis, illam aſſimilat, & non potius alteri cuipiam animanti? Quia vt ſus naribus cænum ſurſum deorſumque verſans, aureum illum ornatum corrumpit, planeque deformat; ita ſtulta mulier, ob innatam fatuitatem, prauoſque mores, ſuam venuſtatem deturpat, non illuſtrat.

CHRYSOST. Cur naturæ autor mulierem mente deſtitutam, ſpecie effingit venuſta? Aut cur cum venuſta condita eſſet, effecta eſt ſtulta? Deus mulieribus natura ſtolidis formæ pulchritudinem nonnunquam indulget, ne prudentes ſagacique ingenio præditæ liberalis formæ gratiam plus æquo mirentur, verum prudentiam & intellectum formæ venuſtati anteponant, illudque conſectentur, quod verè bonum & pulchrum. Sic fatuis quoque hominibus magnas quandoque opes concedit & facultates: quò prudentes intellectus donũ, quod ſtultis deeſt, conſiderantes & admirantes, propter opum *Cur Deus mulieribus ſtultis formæ gratiam indulgeat. Cur diuitiæ ſint nonnunquã fatuis.*

penuriam animo non concidant; ſed illud quod verè bonum eſt ſtudioſe perſequātur.

23. *Omne iuſtorum deſiderium & bonum & honeſtum: ſpes autem impiorum intercidit.*

POLYCHR. Diſcis hinc, concupiſcere, ſecundum ſe non eſſe malũ, ſed illud demum concupiſcere vel appetere malũ eſſe, quod vero bono aduerſum eſt, cuiuſmodi, eſt ſolum peccatum. Spem autem iniqui eam vocat, hoc loco, quæ fertur in res vanas & momentaneas carnis illecebras, & non in Deũ.

24. *Sunt qui propria diſpergunt & opibus augētur: ſunt contra qui aliena coaceruant, & detrimentum patiuntur.*

POLYCHR. Qui pecunias ſuas inter egenos diſpergunt, bona illa quæ benignis in pauperes promiſſa ſunt, certè hereditabunt: ſed & illi quoque qui in ſpiritu ſeminant, vitam æternam metent.

BASIL. Quæ dicit huc tendunt. Vidi proprij peculij inter inopes diſtributionem incrementi cauſam extitiſſe: vidi è diuerſo iniuſtam rei alienæ occupationem detrimentum peperiſſe. Quòd ſi qui ſunt, qui oppoſitum interdum accidere contendunt, cum illis equidem non pugno. Nam & ego fateor, non ſemper nec omnibus illud vſu venire, fit autem hoc, ne virtus coacta videatur. Quandoquidem ſi Deus omnes auaros ad paupertatem redigeret, omnes contra miſericordes & in pauperes liberales, diuites efficeret,

Cur non omnes diteſcant, qui ſua in pauperes erogant.

ceret,omnes habendi cupiditate acti & quaſi compulſi huc accurrerent. Non omnia itaque facit Deus,ne res violenta videatur,nec omnia rurſum permittit,ne excitentur bella.

Quæuis anima benedicta eſt itidem ſimplex: vir autem iracundus eſt incompoſitus. 25.

Non dicit omnem animam ſimplicem eſſe benedictam,ſed contra,omnem animam benedictam ſimplicem eſſe. Indicat per hæc autem,omnem omnino animam,ſiue ſapientem eam dixeris,ſiue aliud quodcunque eiuſmodi, quæ à peccato repurgata non eſt, non eſſe benedictam.

Anima peccatis obſtricta non eſt benedicta.

Qui frumentum detinet , gentibus & infidelibus illud relinquere compellitur. Fauor autem & benedictio deſcendet ſuper 26.
caput diſtribuentis. Qui in pectore ſuo 27.
verſat bona, bonam quærit gratiam. Qui autem intentus eſt ad mala , à malis comprehendetur.

Frumentum,ſenſu myſtico ,eſt Dei verbum, maximè verò Teſtamentum : quod dum Iudæi abdere contendunt , reliquerunt illud Gentibus. Ablatum eſt enim ab ijs regnum Dei, & datum eſt Gentibus,facientibus iuſtitiam eius.

Frumentũ myſticè eſt Verbum Dei.

ALITER. Etſi iniuſta frumenti detentio autori ſuo non pariat interitum,aut internecionem, parit tamen illi maledictionem : relinquitur enim inimicis,ita vt ipſe illo pacatè frui non queat. Conatur autem per hoc oſten-

Iniuſta frumenti detentio.

oſtendere, iſtiuſmodi detentionem, rem eſſe apprimè grauem & perniciosam. Ad hunc modum Apoſtolus Paulus, quoque quoſdam alicubi execratur: *Vtinam*, inquit, *abſcindantur, qui vos perturbant*. Quod autem populares eos execrántur, qui frumenta detinent, non eſt mirum: nam dum communem victum vi occupant, famem conciliant, & tandem non comparant. Paucis nihil abſurdius, nihil eſt execrabilius, quam Deum rogare, vt rerum copiam ſubminiſtret, & operā interim dare, vt fames, publicaque penuria creſcat.

Galat. 5.

ALIVS. Qui virtutum interitum moliuntur, detrimentum capiet; aut planius, qui doctrinam, quam communicare debebant, non communicant, ſed inuidioſè apud ſe detinēt, condemnationi obnoxios ſe reddunt. Per *Gentes*, ad quas deueniunt, *dæmones* accipere licet. Qui autem legem Dei obſeruant, & alios ea quæ ad ſalutem faciunt, edocent, illi benedictione digni cenſebūtur, & ab omni aduerſitate liberabuntur. Per eos autem qui bona in corde fabricant, illos deſignaſſe videtur, qui ea ſuggerunt, quæ ad bonum inducunt, & illos rurſum, qui diſciplina indigentes incitant, vt eam capeſſant. Tales enim accipiūt gratiam à Domino; illos porro, qui oppoſita docent, retributio factis ipſorum digna comprehendet.

28. *Qui in opibus ſpem ſuam collocat, grauiter corruet: qui verò rebus iuſtis adhæret, florebit, & creſcet.*

Rectè

Rectè hoc; ſiquidē in rebus humanis nulla eſt conſtans felicitas. Exorietur autem & ſurget, vel in futuro ſæculo, aut quando lux diuina ad illum accedet.

In rebus humanis nulla conſtans felicitas.

Qui domui ſuæ ſe facilem commodumq́; & comem non exhibet, ille poſſidebit ventos; qui autem mente caret, ſeruiet prudenti. 29.

Qui de quolibet domeſtico incommodo incenditur, extorris tandem à patria fiet, & ab auræ intemperie humiliabitur. Debet autem commodus frugique paterfamilias, omnibus, quoad eius fieri poteſt, ſeſe accommodare. Debet, exempli cauſa, vxori tanquam vaſi infirmiori nonnulla indulgere, illique in quibus licitè valet gratificari: debet ne leui de cauſa filios in iram aut animi triſtitiam coniiciat, ſummopere cauere: debet fratres egeſtate preſſos ope & auxilio ſubleuare: debet ſeruis iuſtitiam & æqualitatem adminiſtrare: debet denique omnibus quod ęquum & iuſtū eſt præſtare, enixeq́ue, vt omnia hæc faciat, contendere. Per *ventum* autē accipere licet animi ægritudinem ex intempeſtiua ira natam. *Stultus autem ſeruiet prudenti*: nam prudentia valens dat operam vt inſipientes ad ſe attrahat, & in ſuum vſum conuertat.

Cōmodus Paterfamilias debet toti familiæ ſe accommodare.

De prouentu iuſtitiæ naſcitur arbor vitæ: animæ autem iniquorum intempeſtiuę è medio tolluntur. 30.

Finis virtutum eſt iuſtitiæ fructus, harum autem perfectio eſt notitia Dei, quæ *lignum vitæ*

Virtutum finis eſt Iuſtitia: harũ autẽ perfectio eſt notitia Dei.

Nõ omnes iniqui immatura morte interibunt.

interdum appellatur. Animæ iniquorum immaturè è medio tolluntur, ait. Aſt hoc non eſt perpetuum; ſæpe namque oppoſitum accidere videmus. Alij enim ad maturam ſenectam attingunt: alij in ipſo vitæ veſtibulo adhuc conſtituti, hinc abripiuntur. Ne autem fluctuemus aut hæreamus, rei huius cauſam diſcamus. Cur ergo contrarium ſæpe accidit? Ne virtus coacta videatur, ſed modis omnibus ſua libertate potiatur. Verum licet ſint, qui hic iuſtam iniquitatis ſuæ pœnam non pendunt, in altero tamen ſæculo multiplicatam exſoluunt.

31 *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi apparebunt?*

Cur homo in hac vita frequenter prolabatur

Perdifficile eſt hominem etiam iuſtificatum ad ſalutis portũ peruenire.

Aduerte, vitam hanc longam, diuturnamque in hoc ſeculo moram eſſe. Multas adhæc inſidias in mortali hac vita & tentationes occurrere, adeoq; multas quotidie impactiones cõtingere. Aduerte præterea ſapientem non dicere poſt officium præſtitum magnam adhuc difficultatem ſupereſſe, vt ſerueris, ſed abſolutè, difficile eſſe vt ſerueris, etiam ſi iuſtus ſis, quamquam ſi hoc quoque dixiſſet, non omnino male dixiſſet. Si enim ſeuera de iis omnibus, quæ Deus Opt. Maximus nobis concredidit, adminiſtrandaque tradidit, examinatio futura eſt; &, de iiſdem rurſum, quæ his minus conſentaneè deſignauimus, nihil nobis reſiduum erit, de quo gloriemur: *Neque enim iuſtificabitur, in conſpectu eius, omnis viuens,* vt eſt apud prophetam. Eapropter licet quiſ-

piam

piam ſole ipſo mundior exiſtat, adhuc ita comparatus ex ſolis operibus ſuis ſaluus fieri non poterit. *Stellæ*, inquit alius, *in conſpectu illius non ſunt mundæ.* Hinc autem ſummam Dei beneficentiā ſummamque eiuſdem clementiam cognoſcere licet. Siquidem nullū opus bonum in medium adferentes, gratis ſæpenumero ſaluat. Deoque & patri reconciliat.

Iob 25. Nemo ex ſolis ſuis operibus ſalutē poteſt conſequi.

Impius & peccator vbi apparebunt?

Vocat enim impium qui Deum odit, peccatorem autem, qui circa operationes improbus eſt? Iuſtum qui cum ratione & ſcientia operatur, magnam enim iuſtitia diligentiam depoſcit.

Quid interſit inter impiū & peccatorem.

CAP. XII.

Qui diligit diſciplinam, diligit ſenſum : qui autem odit increpationes, mentis expers eſt. 1.

NON vno modo, vt ante diximus, *diſciplinæ & ſenſus* vocabulum vſurpatur: quare vt ſupra ad increpationem, vel corporis caſtigationem relatum eſt, ita hic quoque ea referri debet.

Nomē ſenſus & diſciplinæ variè vſurpantur.

Præſtantior eſt, qui gratiam inuenit apud Dominum, quam qui honoratur apud homines: vir autem iniquus, legiſq; præuaricator ſilentio obruetur. 2.

Melior vel *præſtantior*, vt quidam opinantur, non accipitur hic comparatiuè, ſed poſitiuè:

Digitized by Google

at falluntur; nam aliâs quod proximè ſubiicitur, redundaret.

DIDYM. Obſerua hic autem, vt Sapiens modò quidem à Dei ſententia, modo rurſum ab hominũ iudicio & æſtimatione orationem inducat: poſuit hæc autem in comparationis bilance. Etenim comperiuntur quidam boni, boniſque actionibus intenti, ſoli Deo noti. Hos autem illis præfert, qui apud homines honorantur, magnique fiunt. Qui enim apud homines commendantur, ſæpenumero eiuſmodi laudem & commendationem in ſuperbiam vertunt: at qui ſoli Deo cogniti probatique ſunt, illi virtutẽ vſque ad finem incontaminatam conſeruant, nec iniuria: verum apud homines iniquos & improbos nihil eiuſmodi locum habet: quandoquidẽ apud illos omnia ſunt peruerſa & diſtorta.

Multi reperiuntur boni ſoli Deo noti.

3. *Ex iniquo homo nec proſperatur nec promouet: iuſtorũ autem radices non euelluntur.*

Quanquam iuſtus iis iudiciis & rationibus, quas nouit oculus ille qui intuetur omnia, è medio interdum abeat; attamen radix illius manet firma. Nec ea tantũ, ſed bonæ quoque laudabileſque actiones, ſanaque conſilia, quæ inde prodierãt. Quamobrem, ne ea curioſius obſerues, quæ in oculos incurrunt: ſiquidem præter alia hoc illis adhuc reſiduum eſt, quod denuo ad vitã aliquando redituri ſunt.

Quomodo iuſtorũ radix non euellatur.

4 *Mulier virilis & generoſa marito ſuo, eſt inſtar diadematis: at improbitati dedita,*

eiusum

virum ſuum haud ſecus abſumit, atque teredo lignum ſolet.

Moralis diſciplinæ amans, cognitionis eſt auidus. Ea autem imbutus, ſenſus ad diſcretionē exercitatos mox obtinet. *Quemadmodum teredo lignum, &c.* Senſus eſt, vt virtus mentem exornat, ita malitia eandem profanat & perdit: prauamque & inſolentem cōuiciatricem reddit. *Mulier* porrò *virilis* eſt anima iuſti, hæc enim viriliter contra vitia & animi perturbationes decertat. Et vt quauis aduerſitate ſuperior euadat ſtrennuè laborat. *Malitia mentem profanat.*

Cogitationes iuſtorum ſunt iudicia; impij autem dolos animo verſant. 5.

Iuſti Dei iudicia, eiuſdemque præcepta non modo oratione vſurpant, ſed continua quoque meditatione verſant, cordeque & animo iugiter ea pertractant. E diuerſo impij dolos machinantur & fabricant. Aut illi certè iudicia exercent, qui ſecundū rationis dictamen aſſiduo operantur. Mens enim noſtra iudex eſt: ſedens ergo quamlibet virtutem ſeorſum diiudicat, diiudicatamque cum vitio illi oppoſito comparat, & hoc quidem condemnat: illud verò iuſtificat & prædicat. *Alia iuſti alia iniuſti animo verſant.* *Mens noſtra iudex eſt.*

6. *Impiorum verba non abſque dolo tendunt in ſanguinem: os autem rectorum liberabit illos, nempe iniuſte ad aduerſarijs oppreſſos.*

Virtus ſeipſam & alios quoque propugnat.

Exponit hic falſas impiorũ accuſationes & cauillationes contra inſontes; quas viri iuſti facili negotio diluunt atque diſſoluunt. Enimuero virtus earum eſt virium, vt non modo ſeipſam adiuuet atque defendat, ſed alios propugnet, opéque ope deſtitutis ferat.

7. *Quocumque impius ſe vertit, quaſi fumus euaneſcit, iuſtorum autem domus perſiſtunt.*

Omnis impiorũ conatus fruſtraneus.

Vtcunque, inquit, impius cogitatione ſe vertit, omnis illius conatus & cogitatus, omneque ſtudium atque conſilium fruſtaneum eſt. Per *domus* autem iuſtorum, bonas cogitationes hoc loco exprimit, Quandoquidem bonæ ſententiæ, bonaque & ſalutaria cogitata, haud ſecus ex illorum animo prodeunt, atque ex diuite quodam penu. Sunt hi enim, vt illorum quoque domus ſupra petram ædificatæ.

Matt. 7. 24. Luc. 6. 48

8. *Viri prudentis os vulgo laudatur: qui autem hebetis ignauiq́ cordis eſt ab omnibus ſubſannatur.*

Homo rudis & operoſus præſtat homini ignauo & diſerto

Vir operoſus, boniſque actionibus ex inſtituto deditus, tametſi rudis, & idiota ſit, melior honoratiorque eſt ignauo, diſerta comptaque oratione vtente.

9. *Vir qui honore contempto commodis ſuis ſeruit, præſtat homini gloriam aucupanti, neque panem tamen, quo veſcatur, habenti.*

BASIL

BASIL. Satius, inquit eſt, ſuis commodis operam dare, etiamſi ea de cauſa contemptui apud nonnullos habearis, quam re ipſa egere, & velle nihilominus inter diuites cenſeri. *Satius eſt laborare quã fame perire.*

CHRYSOST. Quandoquidem multi laborem detrectant, non ſolum tanquam moleſtum: verumetiam tanquam parum honeſtum; primum quidem per exemplum à formicæ induſtria & labore petitum eximere ſtuduit: (ad hos enim pigros omnes ſuprà amandabat.) Hic verò alteram illam ſuſpicionem è medio ſubmouere contendit, qua quis imbutus dicere fortè poterat: Heus tu, quid de labore concionaris? laborare res vilis & probroſa eſt, vtpote mancipiorum propria? Ad hæc autem ille; Et quanto ſatius eſt hoc qualecumque probrum ſufferre, & lautè viuere, quam fame tabeſcere? Qua, quæſo, de cauſa laborare dedecoroſum ducis, nec enim alteri ſeruis vt probrum deuites, ſed tibi ipſi; & id quidem ſponte? Niſi enim teipſum ab inediæ incommodo liberare velles, nullam penitus aliorum rationem haberes: eapropter tute ipſe es, qui ex tali ſeruitute fructum capis, adeoque non tam alteri, quã tibi ipſi ſeruis. Aduerte milites, nonne vnuſquiſlibet illorum ſibi ipſi ſeruit? nonne qui manuum opera vitam tolerant; pari modo ſibi ipſi ſeruiunt? Ne igitur ob laborem ſuccenſeas, tu tui namque ipſius dominus es, & non alius quiſpiam. Nonne, cernis egenos, qui victum oſtiatim queritant, nulli ſeruire? Ergo illi quoque ſibi ſeruiunt. Qualis, obſecro, *Quicũq; laborat ſibi ipſi laborat.*

 honor

honor eſt illis pane, quo paſcantur, egere?

10. *Vir iuſtus iumentorum ſuorum animas miſeratur: at impiorum viſcera ſunt crudelia, omniſq; commiſerationis expertia.*

Deus peculiarẽ curam iumentorum haberi voluit, & quare.

CHRYSOST. Quid audio? Nunquid iuſtus iumentorum ſuorum animas miſeratur? Vtique; erga illa quoque magnam humanitatem & clementiam oſtendamus oportet, idque cum ob alia, tum ob id maximè, quo ea ratione & occaſione illis compati & condolere diſcamus, qui eiuſdem nobiſcum ſunt generis. Nec enim Deus citra cauſam in lege præcepit, vt iumentum prolapſum erigamus, & errabundam ouem ad viam reducàmus; neque bouis triturantis os obligemus. Vult itaque vt magnam in bruta quoque animantia miſericordiam exerceamus, primo quidem propter nos ipſos, deinde verò, quo ad neceſſaria miniſteria obeunda magis ſint idonea: poſtremò autem vt curam & humanitatem in illa exercere aſſueti, quę ſua nobis miniſteria præſtant, erga proximos paulatim benigni & miſericordes euadamus. Qui enim exterorum miſeratur, multo magis familiarium & domeſticorũ miſerebitur. Et qui miſericordiam exercet in iumentum, magis exercebit illam in fratrem conſanguineum. Sed dices forſan, iumentũ miniſterij vſum adfert, frater autem nullum omnino? imò verò magnum: cõciliat tibi enim æternã apud Deum mercedem. Ecce qualem curam & ſeruitutem iumentis impendimus, vt benè ſit illis, neque turpe,

turpe, aut ignominioſum hoc ducimus; & hominibus ſeruire turpe ducemus? Tropicῶs autem per *iumēta* indociles & rationis luce penè deſtitutos, diſcipulos hoc loco ſignificat.

Qui ſuam exercet terram, abundabit pane; qui autem vana conſectantur, mente indigent. 11.

P O L Y C H. *Terram* hîc vocat animā, in qua bonæ & malæ cogitationes generantur, *Panes* verò diuini verbi pabulum, ſtultos autē eos dicit, qui circa vanam doctrinā occupantur. C H R Y S O S T. Non quia operandum & laborandū dixi, iniuſte quoque diteſcendum dixi. Bona ſanè & honeſta eſt operatio, ſed ea, quæ cum iuſtitia eſt coniuncta, cuiuſmodi eſt agricultura. Ignauia enim malitiam parit, & fouet, non etiam rem familiarem auget.

Ignauia rem familiarē non auget, ſed malitiam fouet.

Qui lætus in vini ſympoſijs immoratur, in munitionibus ſuis ignominiam relinquet. 12.

Adfert hic aliud vitium, quod frugalitati, victuſque neceſſarij cōſeruationi plurimum aduerſatur, nimirum ebrietatem. Enimuero ebrietas & crapula res eiuſmodi eſt, quæ cum vitæ honeſtate non minus pugnat, quam quoduis aliud flagitiū. Ecquid enim prodeſt, ſi ignauus non ſis, neque iniuſtitiā exerceas, ſi ea quæ honeſtè congregaueras, turpiter effundas? Venuſtè autem dixit *in munitionibus ſuis ignominiam relicturum*. Quandoquidèm non propter domus infirmitatem iſtud patitur, ſed propter priuatam leuitatem. Cernimus hinc

Ebrietas probroſa, & rei familiari noxia.

 temu-

Digitized by Google

temulentiam ſæpe in cauſa eſſe, vt munita quoque loca capiantur & deripiantur. Non dicit autem hominem temulentum paupertatem in munitionibus relicturum; ſed id, quòd omni rerum penuria multo peius eſt, nempe ignominiam.

13. *Deſideria impiorum ſunt improba: at piorum radices quaſi vallo cinctæ ſunt firmæ.*

Epheſ. 3. *Pietas ab omni aduerſitate liberat.*

Et Paulus quoque Apoſtolus pietatem & charitatem *radicem & fundamentum* appellat: *In charitate* ſcribit *fundati, & radicati.* Sunt autem eiuſmodi in tuto collocati; ſiquidem pietas ab omni aduerſitate liberat. Aut ob id certè iſtud dicitur, quia illorum ſententiæ & cogitatus ſupra petram, quæ Chriſtus eſt, fundati ſunt.

14. *Propter labiorum lapſum peccator incidit in laqueos; iuſtus autem eiuſmodi laqueos facile declinat.*

Temerè quiduis effundens ruinæ vicinus eſt.

Qui, inquit, citra vllum delectum quicquid in buccam venit, temerè effundit; nihil decernens, quid dictu vtile & ſalutare ſit, quid rurſum noxium vel inutile, & labiis peccat, & magnæ ruinæ patet.

15. *Qui placido miſericordique oculo intuetur, & ipſe miſericordiam conſequetur; qui autem in portis ſe obuiam fert, animas exterit.*

Quid per eum intelligatur, qui in portis occurrit.

Placidè cernentem eum vocare videtur: qui nulla neque inuidia, neque auaritia laborat, neq; quid diſcretio exigat, ignorat: per eum autem, qui *in portis occurrit*, auarum deſignat, aut

aut illum ſanè qui proximo inſidias parat, eidemue aduerſatur; aut hominem eiuſmodi, qui illis, qui controuerſiarum cauſa, in tribunal ingrediuntur, in ipſo ſtatim introitu ſeſe obiectat: aut eum denique qui à viis, quæ ad vitam ducunt, ad malas ſemitas eos abducere conatur, quibus mala machinatur.

OLYMP. Qui non videt aſperè, hoc eſt qui recta placidaque mente ornatus eſt, is (vtpote nihil aſperitatis ex peccato reliquũ habens) Deum videbit. Qui autem in portis occurrit, eſt auarus: ſiquidem quærens quem exterat & conſumat, quaſi in portis, vbi olim ius dicebatur, occurrere & inſidiari dicitur.

De fructu oris anima cuiuſq; replebitur bonis: 15.
proq́; labiorum ratione vnicuique obtinget merces.

CHRYSOST. Ne arbitreris, inquit, in operibus tantum virtutem conſiſtere: nam perſæpe quoque conſiſtit in verbis. Quare ſubdit: Retributio labiorum eius tribuetur illi, atque huc quoque ſpectat illud Domini: *Ex ore tuo iudico te, ſerue nequam.*

Virtus non tantum in operibus, ſed in verbis quoque conſiſtit.
Lucæ 19.

ALIVS. Virilis animæ ſermo ad virtutem tendit: & quidem bonus bonos generat fructus, ſicut è diuerſo malus malos. Dominus autem tanquam benignus & liberalis dator liberalem mercedem perſoluit bonis. Supplicia autem ex inſtituto non irrogat, verum mali ſibi ipſis illa adſciſcunt.

Sermo bonus bonos, malus autem malos fructus generat.

Viæ ſtultorum in illorum oculis apparent rectæ 16.
ſapiens autem audit conſilia.

Stulti

Stulti, inquit, opera ſua Deo accepta exiſtimant, atque ideo ſapientum conſiliis non parent: at viri prudentes ſana conſilia audiũt, feruntque fructum in patientia.

17. *Inſipiens ipſo ſtatim die iram ſuam prodit: aſtutus autem ignominiam ſibi illatam diſſimulat.*

Quid interſit inter Sapientem & ſtultum iratum.

Abiecti ingenij homo & leuis, præ animi impatientia non fert iram; ſed fœde ab illa ſuperatus, effundit ſtatim quæcumque in linguam veniunt, etiamſi quæ effundit, ad ſuum ipſius probrum & ignominiam faciant. At vir ſapiens licet natura ſua bilioſus fuerit, tegit tamen illa quæ dedecus aliquod ſibiipſi adferre poterunt. *Callidum* autem vocat hoc loco prudentem.

18. *Iuſtus demonſtratam certoq́ compertam fidem annunciat: at teſtis iniquus & mendax dolo agit.*

Hæreticorũ ingenium & mores, & qualia illorum ſtudia.

CHRYS. Senſus eſt: Quicquid vir iuſtus & fidelis aſſerit, id ſtatim tanquam verum recipitur; aut iuſtus ea tantum narrat quę certo explorata habet: at homo doloſus, qui mendacium texere, aut iniuſtitiam perſuadere nititur, fidem haud temere inuenit. *Iniuſtorum* autẽ nomine deſignat hoc loco *hæreticos*. Nam licet hi contra veritatem armati inſurgant, & falſitatem vrgeant, fidem tamen apud ſapientes nullam obtinent. *Doloſi* quoque dicuntur iidem, quia nihil recti, aut ſani in pectore gerunt.

Sunt,

Digitized by Google

Sunt, qui oratione ſua non ſecus vulnerant, atque enſe: linguæ autem ſapientum ſanitatem adferunt. 19.

Venuſtè ſapientum linguæ ſanandi vim tribuit. Nam quamuis hi dum iniuſtos redarguunt, quouis gladio acutius ferire videātur; attamen myſtica illa ſectio vitā veriùs quam mortem adfert.

Prudentium reprehenſio ſanat verius quam vulneret.

Labia veracia ritè moderantur teſtimonium: teſtis autem præceps iniuſtā habet linguam. 20.

Hic planius & accuratius exponit veracis hominis linguā veritati patrocinari, ſuoque teſtimonio fidem facere & veritatis ſtudioſos dirigere: at vero præcipitis incontinentiſque linguæ hominem veritati adeò non fauere, vt contra veritatem quoque linguam ſuam armare non dubitet.

Præceps lingua veritatē oppugnat

CHRYS. Vtrobique eſt lingua; ſed ibi vulnera, hîc pharmaca. Quid hoc autem adferri poteſt admirabilius? Cernis hic linguam ſua natura non eſſe malam: ſiquidē vſus illius ad oppoſita ſeſe extendit, nempe ad bonum & malum.

Lingua ſua natura non eſt mala, ſed media vtpote bonū & malum vſum ſortita.

Dolus in illius corde verſatur, qui machinatur mala: qui autem ad pacem ſpectant, lætitia perfundentur. 21.

Qui, inquit, à virtute aliena ſectātur & operantur, illi intra ſe dolum contra proximum perpetuo verſant: at qui pacem cōſectantur, lætantur in illa; Per *pacem* autem hoc loco Chriſtum intelligas, notum enim illud Pauli: *Chriſtus eſt pax noſtra.*

Pacis ſtudioſi lætitia perfundūtur.

Epheſ. 2.

Nihil

22. *Nihil quicquam iniuſtum placebit iuſto: impij autem replebuntur malis. Dominus labia mendacia execratur: qui autem bona fide agunt, accepti ſunt apud Deum.*

Aliter & aliter iudicat de eadem re iuſtus & iniuſtus.

CHRYSOST. Quemadmodum quod iniuſtum eſt, iuſto non placet: ita nec iniuſto quoque iuſtum. Non prouenit hoc autem ex rerum natura; aut inde certè non tantum, verùm à diuerſa eorum opinione & iudicio, qui de iiſdem aliter & aliter ſtatuunt & ſentiunt. Quamobrem ne dixeris mihi, Iſte vel ille veritate offenditur: iſte rurſum vel ille veritati non credit. Ab ipſis enim iudicibus vitium hoc naſcitur, non à rebus quæ iudicantur. Vt enim ſol hic corporeus nullam radiis ſuis vtilitatem aut ſuauitatem illis adfert, qui oculorum infirmitate laborant, ſed damnum potius & pœnam: ita manifeſta quoque veritas nullum peruerſæ animæ commodum aut gaudium parit.

Non placebit iuſto vlla iniuſtitia.

Cur iuſto nulla placeat iniuſtitia.

ALIVS. Cur ita? Quia virtutes omnes inter ſe ſunt connexæ, omneſque ſibi mutuo cohærent, & in vnum ſcopum tendunt omnes; omneſque adeo ab vna aliqua excellentiore ſæpe denominari ſolent. Quare homo ſtudioſus, omnibuſque virtutibus excultus, iuſtus hoc loco appellatur. Ad peccata verò tanquam diſparata, ſibique inuicem diſſentania ſingula per ſe impium denominant. Fieri enim vix poteſt, vt omnis malitia, totaq; peccatorum colluuies ſimul in vnum coeat.

Vir

Vir prudens intelligentiæ ſedes exiſtit: cor autem inſipientis, execrationibus obnoxium erit. 24.

Vir prudens, &c.

OLYMP. Vniuerſus enim illius ſenſus propter prudentiam, qua pollet, in eo conquieſcit. Aut ob id virum prudentem ſenſus iudicij vel intelligentiæ thronum vocat, quia ſenſuum omnium regina, & quaſi caput eſt Prudentia. Denique, vt is, qui plenus eſt malitia aut inſcitia, ſedes malitiæ vel inſcitiæ appellari ſolet: ita qui omnia nouit, rectè ſenſuum vel ſcientiæ ſedes vocatur. Vocatur quoque Prudentia principium ſenſus, quia imperium obtinet in illo. *Senſuum regina Prudentia*

CHRYSOST. Vir prudens thronus vel ſedes ob id dicitur ſenſus, quia eſt ſapientiæ cathedra, ſenſuſque atque iudicium ad eum modum in illo quieſcunt, vt nunquam inde recedant. *Cur inſipientis cor execrationi obnoxium*

Cor autem inſipientium execrationibus, &c.

Vnde hoc? quia, vt quidam ex ſapientibus dixit: viam perſequitur, quæ maledictioni & execrationi ſubiacet, ſed & omnis quoque iniquus apud dominum execrabilis eſt: ſicut omnis etiam inſipiens propter iniquitatem ſuam deteſtabilis eſt.

Electorum manus citra difficultatem rerum potietur: viri autem doloſi in direptione erunt. 25.

Nihil beatius, nihil facilius, nihil ad quidquis *Virtute nihil potentius.*

uis conficiendum & impetrandum potentius eſt virtute.

26. *Sermo terribilis conturbat cor hominis: aſt fama vel ſponſio bona lætificat illud.*

Labor hominem deijcit, merces excitat.

Qui vitam circa actionem occupatam primo aggrediuntur, illos moleſtiæ, quæ paſſim occurrũt, earundemque cõmemoratio nonnihil conturbant: interim promiſſorum bonorum merces, eorũ animos denuò ſolatur, & excitat. Siquidem perfectè iuſtus *non timebit ab auditione mala*: munitus eſt enim timore Domini, qui ſuperat hæc omnia.

Pſal. 111.

27. *Iuſtus, cordatus, & ſui ipſius, & proximi quoque amicus eſt. At impiorum viæ in errorem deducunt illos.*

Impij gaudent vbi dolendum

Obſerua hic, iuſtus ad vtramque fortunã commodum & beneuolum ſe præbeat. Etenim ſi quid boni de proximo audit, nõ dolet, nec inuidet, ſed ex animo gaudet: contra verò ſi quid mali illi accidiſſe intellexerit, animo conturbatur & cõtriſtatur. Veruntamen tam dolor quam gaudium illius ſunt moderata. Apud impios autem diuerſa affectio obtinet: nam vbi eos ob terrificas comminationes meritò formidare & conterreri oportebat, ibi lætantur & aſpernantur. Contra vbi propter bona, quę alicui obuenerunt, gaudere debebant, ibi propter inuidiam tabeſcunt, oppoſita nimirum affectione ducti & incitati.

ALIVS. Qui ſecundũ Dei imaginem ſeſe conditum agnoſcit, ille ſecum habitat, modeſteque

deſteque de ſe ipſo ſentit: nec nō ne aliquid, quod ad inimicitiam vel malitiam faciat deſignet, diligenter cauet, neque bonorum tandē cogitationes perturbat aut pia ſtudia infeſtat. *Iuſtus aliorum ſtudia nō infeſtat.*

ALIVS. Vir prudentia & iuſtitia excultus, amici cōmoda perpetuò ſpectat & curat, obſeruatque quonam modo ſingula ritè adminiſtret. Et ſi quod erratum amicum cōmittere contigerit, illud diſſimulat & ignoſcit: impij autem contrarium planè iter ingreſſi omnia in deteriorem partem rapiunt.

Fraudulentus, quam ſectatur prædam, non conſequetur: vir autem ſyncerus, ſceleriſque purus, precioſum eſt peculium. 28.

Non aſſequetur doloſus quod venabatur. Quandoquidem cogitatio noſtra ſimul venator & piſcator eſt qui doloſus eſt, inquit, cogitationum virtut. contrariarum, prædam non aſſequetur; ſed ipſe ab illis capietur. *Cogitatio praua venator eſt.*

In vijs iuſtitiæ conſiſtit vita. Via autem hominum qui iniuriarū memoriam retinet, tendit ad mortem. 29.

Per *Iuſtitiæ vias*, ſalutaria præcepta hoc loco denotat: viæ autem μνησικάκων, hoc eſt dæmonum aduerſariarumque poteſtatum, tendunt in mortem. Rectè autē dæmones μνησικάκους malorum memores vocat: ſiquidem iam inde ab initio tali ſtudio & malitiæ incumbunt. *Dæmones μνησίκακοι, & quare.*

CAP. XIII.

1. *Filius prudens obedit patri, refractarius autem & inobediens in perditionem tendit.*
2. *De iuſtitiæ fructibus comedit bonus; animæ autem impiorum intempeſtiuè intereunt.*

Fructus Iuſtitiæ honeſtæ ſunt actiones.

PER *aſtutum*, vt ante quoque indicatum eſt, deſignatur hoc loco prudens, ſicut per inſipientem ille, qui contumacis inobedientiæ morbo laborat. Hæc enim, vt ſalutarium quoque dogmatum contemptus, præcipitant in mortem: Fructus autem iuſtitiæ bonæ honeſtæque ſunt actiones, quas iuſtus tanquam eſcam palato gratam, iugiter edit. At *impij & iniqui*, vt Dauid teſtatur, *non dimidiabunt dies.*

Pſal. 54.

3. *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam. Qui autem præcipitis eſt labij, ſeipſum exterrefacit.*

Cur lingua præceps ſeipſum conturbat.

Præceps lingua, inquit, exterret ſeipſum; quia non inuenit viam, qua ea, quæ præcipitanter depromp ſerat, ſtatuat; adeoque ſeipſum neceſſariò conturbat.

4. *Deſiderijs agitatur omnis piger, robuſtorum autem manus ſedulæ ſunt in opere.*

Labor omnis nō prohibitus eſt honeſtus.

Ecquid prodeſt, opulentia, inquit, ſi quis ignauia victus opes omnes paulatim abſumat? Labor itaque omnis eſt honeſtus & vtilis, niſi forſan talis quiſpiã extet, qui vel omnibus vel aliquibus ſit prohibitus.

Sermo-

Sermonem iniuſtum deteſtatur iuſtus: impius 5.
autem confunditur: neque loquendi fidu-
ciam habet. Iuſtitia cuſtodit illos qui inno- 6.
center gradiuntur: peccatum autem impios
nequam & improbos reddit.

Quandoquidem extat pudor quidam honeſtus & bonus, non de eo hîc ago, ait ſapiẽs, ſed de eo, qui præ turpitudine, omni fiducia, fiduciæque fundamẽto deſtituitur. Quamuis enim quiſpiam rex ſit: attamen ſi fuerit iniuſtus; iuſtus ſuam aduerſus illum libertatem imperterritè oſtendat neceſſum eſt. Impius autem iſtud facere non valet: vt qui omnis libertatis præſidio careat.

Duplex pudor eſt: alter honeſtus, alter turpis.

Sunt, qui ſeipſos divites venditant, cum re- 7.
ipſa nihil habeant: ſunt è diuerſo; qui ſub-
miſſe ſe gerunt, cùm multis tamen diuitÿs
affluant.

Hoc ſanè illo melius eſt. Diſcimus hinc autem opes inſolentiæ, aut ſuperbię malum per ſe neceſſariò non parere, & humilitatem rurſum paupertati neceſſariò coniunctam eſſe.

Opes ſuperbiam per ſe non pariunt.

Animæ cuiuſque redemptio ſuæ ſunt opes. 8.
Mendicus autem interminationem haud
facilè ſuſtinet.

CHRYSOST. Quid dicis? quid facis? cur pecunias vſque adeo extollis? Non quaſuis pecunias vel opes eam vim habere dixit; ſed proprias, hoc eſt, iuſtis laboribus partas, non vi aut fraude raptas: hæ enim nõ ſunt proprię.

Pecuniæ iuſto titulo comparatæ propriæ ſunt.

Digitized by Google

Mendicus autem non ſuſtinet minas. Nunquid res mala eſt paupertas: an hoc forſan quod mox ſequitur, dicere voluit? Ecce egeſtas res vſq; adeo ſecura & tuta eſt; vt ne minari quidem ſpoliationem quis pauperi valeat, nedum ſpoliare, illum enim, qui nihil omnino habet, quomodo quis exterrere queat? Huiuſmodi enim vita, quod ad curas attinet, eſt prorſus ſecura & otioſa. Poſſunt hęc ad ſuppliciorum quoque metum referri; qui enim aduerſa fortuna premuntur, ſuppliciorum interminationem non formidant.

Paupertas interminas tuta eſt.

9. *Lux iuſtorum ſplendet ſemper, lux autem impiorum extinguitur.*

Iuſtos lux comitatur.

Viris iuſtis, inquit perpetuo lumen adeſt: lux autem impiorum ſiue in bonis, ſiue in malis verſentur, ſtatim extinguitur. Nec enim rerum penuria eſt propria iuſtitiæ cauſa; neque opulentia rurſum lætitiæ radix eſt; verum tam huius quam illius iuſtitia vel iniuſtitia parens eſt. Quod ſi iſtud credere nolis, videas quot diuites ſe ipſos execrati, vitæque pertæſi, ſe ipſos peremerint miſereque perierint. Quot è diuerſo pauperes læti hilarique animo vitæ finem fecerint. Iuſti proinde & iniuſti non eiſdem commodis potiuntur: ſiquidem iuſti in lætitia & animæ iucunditate ſemper verſantur; iniuſti contra in dolore moleſtiſque curis & tenebris aſſiduè iacent.

Copia, & inopia per ſe non ſunt cauſſa triſtitia vel lætitia, ſed iuſtitia & iniuſtitia.

ALIVS. Hæc vt certò ſibi conſtent, ad

futuram

futuram vitam ſunt referenda. Nam ad præſentem vitam quod ſpectat, contrarium ſæpe accidere ſolet. *Lux iuſtorum* eſt certa notitia; & nunc quidem illi verſantur in notitia, paulo poſt autem transferentur in eiuſmodi lumen, quod finiri vel extingui omnino neſcit. Sed & ipſa quoque iuſtorum opera lumen quoddam ſunt; ſemper enim bona opera viros iuſtos comitantur. *Iuſtorum opera lumē ſunt.*

Animæ doloſæ oberrant in peccatis, iuſti autem commiſeratione tanguntur, & miſerentur. 9.

Doloſi, inquit, errant, alioſque ſeducunt; nam cùm iuſtè conuerſari videantur, multis ſubinde vitiis & flagitiis & ſe & alios quoque contaminant.

Improbus cum ſuperbia patrat mala; qui autem ſui ipſorum notitia pollent, ſapientes 10.
ſunt. Opes præpoſtere & cum iniquitate 11.
paratæ paulatim decreſcunt. At qui piè ac iuſtè diuitias ſibi congregat, bonis cumulatur.

Qui præceps in verba vel opes fertur, is virtute caret. Hæc autem ad illos referas, qui malis artibus diteſcere feſtinant. *Præceps virtute caret.*

Iuſtus miſeretur & commodat; honeſtum autem deſiderium eſt arbor vitæ. 12.

Iuſtus opẽ fert exteris, dat autem mutuo notis. Miſeretur opemque fert exteris & ignotis: mutuat autẽ notis & paribus. Vt enim opem illis fert, ita viciſſim ab illis expectat. Aut commodat verba, & repoſuit facta. Per deſiderium autem bonum, inſinuatur hic vitæ conſuetudo, quæ ſecundum Deum inſtituta eſt. Hanc enim vitam lignum & arborem appellat, & meritò, quia vitam verè generat.

13 *Melior eſt qui ex corde & reipſa iuuat, iuuareque incipit, quàm qui ſe adiuturum promittit, & in auxilij ſpem erigit.*

Natura virtus inchoanda quod vita ſit incerta Pulchrum eſt maturè virtutem auſpicari, neque de die in diem expectando ſpe vana Deum homineſque lactare. Qui enim ſperat cras ſe exordium facturum, quid craſtina lux adductura ſit, prorſus ignorat. Hoc enim ſignificat, dum ait: *qui incipit corde iuuare.*

13. *Qui deſpicit mandatum, deſpicietur viciſsim ab eo: qui autem præceptum reueretur, is mente præditus eſt ſana.*

Virtus ſe contemnentẽ contemnit. Senſus horum eſt, qui virtutem contemnit, ac malitię patrocinatur, paria referet; quia viciſſim ab illa contẽnetur: in ea autem intricabitur: nec iniuria, rei enim natura hoc erigit.

14. *Filio doloſo nullum obtinget bonum: prudenti autẽ famulo proſperè ſuæ ſuccedent actiones, ac viæ eius feliciter dirigentur.*

Iſrael filius doloſus, gentes conuerſæ *Filium doloſum* appellat hoc loco Iſraëlem: *ſapientem* autem *ſeruum* illos, qui ex gentibus conuerſi in Chriſtum crediderunt quorum

ille

Digitized by Google

ille viam tanquam fidelium ſoſpitat, ritéque dirigit. *ſerui prudentes.*

Lex ſapientis eſt fons vitæ. Demens porrò 15.
laqueo interceptus morietur. Aliter. *Mentis inops in amentia deprehenſus, laqueo*
finiet vitam. Intelligentia bona largitur 16.
gratiam: legem autem perſpectum habere mentis eſt honeſtæ & probæ. Illorum denique viæ, qui legem contemnit, ad perditionem inclinant.

Legem naturæ, legem ſapientis hoc loco vocat; ex ea enim dimanat vita, mentis autem exors ſuppliciis mancipatur: at verò fontem vitæ præceptorum opera hic appellat. *Lex naturæ.*

Vir prudens non operatur abſque cognitione: 17.
fatuus autem ſuam malitiam pandit, latéque
diffundit. Rex temerarius in mala ſe deijcit, legatus autem ſapiens liberat eum. 18.

Per πανόυργον hoc eſt, *aſtutum*, prudentem vbique deſignat ſapiens. *Stultum* autem hic eum appellat, qui amentiam ſuam in apertum profert, deque ea, & in ea gloriatur. *Regem* verò temerarium, mentem elatam, faſtuque turgentem, *legatum* tandem ſapientem illum, qui iuſta & ſapientia conſilia ſubminiſtrat. *Sapiẽs per πανούργον prudentes deſignat.*

Paupertatem & ignominiã è medio profligat 19.
diſciplina; qui autẽ increpationes obſeruat, magnique facit, gloria patietur.

Diſciplina eſt magni momenti.

En vt magnum & honoratum peculium eſt *diſciplina*, qua etiam nihil extat vtilius. Nam & illos qui ea vtuntur ditat, & venerandos præterea & glorioſos efficit. *Redargutionem* autem *cuſtodes* eos vocat, qui & bonis conſiliis obſequũtur, & ſalutaribus rursũ monitis ad bona impellunt, quos in præcipuo quoque honore habere & magnifacere debemus, tanquã qui gloriæ & honoris auctores nobis exiſtant.

20. *Piorum deſideria oblectant animã: impiorum autem opera procul abſunt à cognitione.*

Æterna fruitio animo cõcepta ſpiritum recreat.

Per *piorum deſideria* futurorum bonorum fruitio denotatur: hæc enim vel animo tantũ concepta ſpiritum mirificè recreat. At *impiorum vota & opera* plena ſunt turbatione & tumultuatione, & à vera ſciẽtia prorſus aliena. Iniiciunt enim animæ tenebras, neque facilè quoque deprehendi poſſunt.

21. *Qui frequenter cum ſapientibus verſatur, in virum ſapientem euadet, qui autem cum ſtultis volutatur, ſtultitiam induet.*

Vſus iuſtorum iuſtũ facit, ſtultorum ſtultos.

Hoc loco *iuſtos ſapientes* vocat, qui igitur cõſuetudinem cum iuſtis inierit, familiariterque cum illis vixerit, aut diſſeruerit, euadet ipſe itidem iuſtus.

Iter cum ſapientibus facere ſapientiam conciliat.

OLYMP. Non paruam vtilitatem adfert familiaris cum ſapiẽtibus vſus: imo verò ſola itineris communicatio fructu ſuo non caret. Huius enim ſolius vetuſtiora exempla mentionem faciunt: nec enim illa legunt ὁ συμπεριφερόμενος σόφοις, qui ſapientibus adeſt, vel fre-

frequens apud ipſos eſt, ſapiens erit, verùm ὁ ζυμπορευόμενος, hoc eſt, qui iter cum ſapientibus fecerit, aut itineris comites illos habuerit, haud exiguũ in ſapientia operæpretium facturus eſt. Nec iniuria iſtuc aſſeritur: ſi enim viri ornatus, & riſus dentium, & pedum inceſſus, aliaq; eiuſmodi haud vulgare de ijs rebus quæ in homine exiſtunt, indiciũ faciunt; multò magis profectio, etſi illa non admodũ longa extiterit, cum ſapiente ſuſcepta, qualis is ſit, prodet. Diuerſum autem experietur, qui cum ignaris & ingratis ſocietatem inierit, ſed nec huius quoque ingeniũ diu latere poterit, vt maximè illud celare voluerit.

Ex externo hominis cultu motibus & geſtibus coniectura fit de interiori illius conſtitutione.

22. *Peccantes perſequentur mala: iuſtos autem excipient bona.*

Peccatores, inquit, inuadẽt mala & incommoda. Eſt autem hic ſermo de malis pœnæ, cuiuſmodi ſint, quæ animo vel corpori, vel vtrique ſimul cruciatum adferunt: hæc namque tanquã lentiora peccatores quaſi à tergo inſequuntur. At verò iuſtos bona comprehendent, hoc eſt, ſubitò corripient, vel quàm citiſſimè illis obuenient. Significatur per hęc enim retributionis celeritas.

Pœna & cruciatus excipiunt peccatores, gaudia autem & oblectamẽta iuſtos.

23. *Vir bonus hæredes relinquet filios filiorum: impiorum autem opes aſſeruantur iuſtis.*

Eiuſmodi *bonus vir & pater* fuit Paulus: generauit is nmaque multos Chriſto & per Chriſtum filios. Aut pater eſt mens: Filij autem filiorum ſunt honeſtæ cogitationes, probęque actiones. *Hæreditabit filios filiorũ.* Atque iniquis extrema execratio & infelicitas eſt filiorum

Bonus pater fuit Apoſtolus Paulus. Bona mens bonus eſt Pater.

hæreditatem adire, nedum nepotũ. Non hoc ſenſu, τὸ κληρόνομα exponi debet, ſed potius contrario. Prædicatur enim iuſtos opes ſuas ex filiis aut per filios in nepotes tranſmiſſurum, aut per continuam ſucceſſionẽ de hoc in illum traiecturum, id quod ingentis felicitatis eſt argumentum.

24. *Iuſti multos annos cum voluptate in diuitÿs tranſigunt, iniuſti autem citò intereunt.*

Spirituales opes voluptatẽ adferunt animo.

Qui ex impietate ad piam doctrinam & vitam conuertuntur, opibus ſpiritualibus cum voluptate fruuntur. Tales namque cum ante impiorum hominum peculium fuiſſent, proborum Doctorũ theſauri effecti ſunt. Aut eſt hic ſermo de iis diuitiis, qua Gentibus ex Baptiſmatis ſacramento obuenerunt. Iniuſti autem, quod nihil habeant, quod in futurum adſeruent, ſubitò intereunt.

25. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit, accurate caſtigat & erudit illum.*

Eiuſmodi leuis parens erat ſacerdos Heli:
1. Reg. 2. *Filÿ*, aiebat, *non eſt bona fama, quã audio.* Erat enim verbum illud ſimplex tantũ admonitio: non etiã iuſta quoque increpatio, aut ſæua reprehenſio, atque iſta apud Deum ſat non fuit.

26. *Iuſtus cibum capiens implet animã ſuã: impiorũ autem animæ ſemper fament, & egent.*

Spiritales opes ſatiãt & recreãt: tẽporaria non item.

Qui ſpiritualibus opibus familiariter fruitur, ſemper exſatiatur: qui illis autem orbati ſunt, ſecundum animam ſemper fament, & ſitiunt.

CAP.

CAP. XIV.

Mulier ſapiens ædificat domũ: fatua autem extructam proprÿs manibus demolitur. 1.

ECCLESIA per patientiam & ſynceram in Chriſtum fidem myſticam *domum* exædificauit; ſiquidem qui per fidei doctrinam ſe illi adiunxerunt, eos erexit & inſtaurauit. At *mulier inſipiens*, cuiuſmodi citra vllam controuerſiam eſt hæreſis) æternæ mortis cauſam vltrò ſibiipſi aſciſcens, domum hanc Eccleſiaſticam per orthodoxam fidem fundatam ſuffodit, locoque mouit, & quod in ſe eſt, funditus euertit.

Mulier inſipiẽs hæreſis: quæ vltro ſibi mortem aſciſcit.

Qui timet Deum, ambulat rectè; qui autem tortuosè per viam incedit, inglorius erit. 2.

Timor Domini non id tantùm efficit, vt per viam mandatorum eius rectè incedamus: verum etiam vt Deum religiosè colamus. Quemadmodum enim *impius, cum in profundum venerit, contemnit*: ita è diuerſo pius & religioſus animus ſemper pauet & formidat: quapropter vita variis virtutibus ornata, hac etiã ratione laudabilis eſt, quod per timoris acceſſionem melior & religioſior ſubinde euadát.

Qui Deũ timet, eũ religiosè colit.

Prou. 18.

In ore ſtultorum ſuperbiæ & contumeliæ virga extat: labia autem ſapientum cautè obſeruant eos. 3.

Stulti,

Aliter ſtulti, aliter ſapientes reprehendunt.

POLYCH. *Stulti*, inquit, feriunt lapſos, & non abſque contumelia inſultant errãtibus. Siquidẽ quos reprehendunt, non tam emendare, quàm cõfundere ſtudent. Sapiẽtes verò cauta & modeſta increpatione vti ſolent.

CHRYSOST. Ante dixerat: *Qui è labiis depromit ſapientiam, virga percutit virũ excordem.* Quo ergo modo aut ſenſu homini vecordi & ſtulto iſthuc hoc loco tribuit? Nõ par vtrobique eſt ratio, neque eadẽ tendet vtriuſque fuſtigatio vel correctio. Altera enim ſpectat ad iniuriæ notam. Altera ad modeſtam vitæ correptionẽ & inſtitutionem. Hinc fit vt ſtultus ſua obiurgatione generet contumeliam: ſapiens verò vitæ correctionem. Stulti namque tanquã qui feriunt, obiurgato ſunt infeſti: ſapiẽtes autem licet peccatores reprehendere & obiurgare ſoleant; attamẽ quia prudenter hoc eſt cum ſcientia & ſapientia id agũt, homine dignum officium præſtant: neque enim quod cum ſobrietate & modeſtia fit, id viro ſobrio & modeſto ingratum, aut moleſtum eſſe debet: neque rurſum quod cum furore & veſania fit, id leue aut ſuaue videri valet. Quamuis ergo ſtultus laudet, non minùs tamen lædit, quàm ſi conuitium inferret. Contrà verò, licet prudens obiurget, non minùs tamen confert, quàm ſi laudaret. Quin quidam quoque è ſapientibus dixiſſe fertur: *ſtulti encomium, tametſi voce magna deprompt um, probri loco habendum eſt.*

Quod cũ modeſtia id modeſto ingratum eſſe nequit.

4. *Vbi non ſunt boues, ibi præſepia apparent inania, & à pabulo munda; vbi autem multa*

agrorum

agrorum extant germina, ibi bonis fortitudo eſt manifeſta.

Videtur per hæc indicare hominem ignauum & deſidem, magnæ penuriæ periculo expoſitum eſſe. Quod ſi huc non tendit, inſinuat hominem ſupinum & negligentem iacere poſſe nullum fructum, ne dum redundans aliquid ſeponere. Aut certè qui inopia premi non vult, eum boues bene tractare, remque familiarem diligenter curare, & peculiarem agriculturæ curam habere debere. Myſticè, vbicunque doctores nulli ſunt, ibi diſcentium pectora, & animi receptacula inania, & vacua maneant neceſſe eſt. At virtus docentis ibi conſpicua eſt, vbi multa ſunt genimina, hoc eſt, doctrinæ fœtus & ſemina.

Qui inopia premi non vult, boues bene tractet, oportet.

Teſtis fidelis non mentitur; teſtis autem iniuſtus mendacia incendit. 5.

Teſtis iniuſtus & infidelis eſt diabolus: hic enim cùm temporariȩ voluptatis vſum inſipientibus promittat, aliud nihil, quàm ſempiterni ignis ſupplicium præſtat. *Teſtis* autem *fidelis* eſt Dominus: quippe qui in omnibus dictis & promiſſis ſuis ſit fideliſſimus, neque vnquam mentiatur aut fallat. *Incendit* porrò teſtis iniuſtus mendacium; quia quod extinctum iacebat, vel noua accuſatione, vel falſa teſtificatione denuo exſuſcitat.

Teſtis fidelis Chriſtus infidelis diabolus.

Quæres ſapientiam apud improbos, nec inuenies: at verò apud prudentes ſenſus & intelli- 6.

7. *telligentia inuentu ſunt facilia. Viro ſtulto omnia cadunt aduerſa; labia autem ſapientis organa ſunt iudicij & ſenſus.*

Stulti ſalutaria contemnunt.

Viro ſtulto nihil ex iis omnibus, quæ ad animæ ſalutem conferunt, acceptum eſt: ſiquidem tota illius voluntas, omniſque eiuſdem conatus & ſtudiũ rebus ſtultis & temporariis intentum eſt. At verò ſapientũ labia idonea, iudicij & ſenſus ſunt organa, vt quæ inſipientiam auertunt, & malitiã o[illegible] opera inſectentur: quandoquidem malitia cum vera ſapientia nihil commune habere poteſt.

Malitia cum vera ſapientia nihil habet commune.

8. *Sapientia prudentum vias illorum intelligit: ſtultorum autem amentia in errorem illos inducit.*

Amentes ne tum quidẽ cùm errant errorem agnoſcunt.

Prudentes ſapientia ſuã opportunè & exquiſitè vtuntur; omneſque actiones & vias ſuas prudenter inſtituunt. Amentes autem aliter comparati, ne tum quidem, cùm errant, errorem ſuum agnoſcunt, ſed in obſcuris ignorationis & inſcitiæ tenebris nunquam non verſantur.

9. *Iniquorum domus egent expiatione; domus autem iuſtorum apud Deum ſunt acceptæ.*

Anima expiatur per cruces & per pœnitentiam.

Domus, inquit, hoc eſt, corda iniquorum egent expiatione: ea nimirum, quæ per ſpontaneam pœnitentiam fit, aut ea certè quæ per calamitates & clades, cruces & afflictiones diuinitus immiſſas adhibetur. Contra verò iuſtorum domus apud Deum ſunt acceptæ; vtpote

Digitized by Google

pote propter pœnitentiã, & bona opera iam repurgatæ, & intrinſecus exornatæ.

Cor viri peccati vim ſentientis, mæſtam illius reddit animam: cum autem lætitia perfunditur cum ſuperbia non miſcetur. 10.

Mens peccati ſenſum capiens, contriſtat animum: qui enim boni viri nomen obtinere, eiuſdémque rationem tueri deſiderat, peccata quæ admiſit recolẽs, non poteſt non intra ſe commoueri, admiſſaque ex corde deteſtari. Ad lætitiam porrò quod attinet, de ea hoc loco ſermo eſt, quæ ſecundum virtutem ſuſcepta eſt. Pari modo non de quauis iniuria vel inſolentia hic agitur, ſed de ea quæ cum malitia coniuncta eſt. Nec enim contraria ſimul in vnum coire poſſunt.

Boni viri eſt peccata quæ admiſit recolẽda ex animo deteſtari.

Domus impiorum delebuntur; tabernacula autem rectorum immota conſiſtent. 11.

Tabernaculum minus quiddam eſt quàm domus: domus enim fixe manentium ſedes eſt: tabernaculum vero tranſeuntiũ vel in motu exiſtentium. Quamobrem per hoc cogitatus adhuc vagus & inſtabilis deſignatur: per illam autem habitus firmatus, ſi ergo impiorum domus deſtruuntur, multo magis eorundem tabernacula euertentur. Apud iuſtos autem contrarium eſt receptum. Aut certè per iniquorum domos ſignificantur prauæ, vſuque firmatę illorum actiones: per tabernacula autem rectorum liberæ eorundem electiones.

Domus eſt ſedes fixe manentiũ: tabernaculũ autem tranſeuntium, per hoc cogitatus vagus, per illam, firmatus deſignatur.

Digitized by Google

12. *Eſt via quæ hominibus videtur recta; interim nouiſſima eius ad inferorum fundum deducunt.*

Mẽs libidine occæcata bonis veris apparentia, ſtabilibus fluxa, æternis temporaria anteponit.

Via hoc loco eſt mens aut voluntas humana, quæ libidine occæcata bona apparentia veris bonis anteponit: temporaria rurſum & fluxa fixis & ſtabilibus; interitui tandem obnoxia ſempiternis & immortalibus.

13. *Plenæ lætitiæ nullus admiſcetur mæror, extrema autem gaudij luctus excipit.*

Sapiens de ea hic agit lętitia, quæ in futuro ſæculo iuſtis obtingit: illa enim omnis prorſus mœſtitiæ exſors erit. Gaudij autem extremum præſentis vitæ iucunditatem appellat, quam Chriſtus Dominus miſeram infelicemque prædicat. *Væ vobis*, inquit, *qui ridetis, quia plorabitis.* Eapropter in præſentem vitam non cadit purum ſummumue gaudium: ſiquidem nullum eſt tantum, quod triſtitiam aliquam admixtam non habeat, vel certè cui triſtitia aliqua ſuccedere non queat. *Beati*, itaque, *qui hic lugent, quoniam ibi conſolabuntur.*

Lucæ 6. *In præſenti vita nullum purũ gaudium.* *Matth. 8.*

14. *Animi temerarij vir viæ ſuæ exatiabitur fructibus: vir autem bonus & frugi, ſuis item cogitationibus.*

Quod hic docetur, ſimile eſt Apoſtoli illi ſententiæ; *quod quiſque ſeminat, hoc & metet. Vnuſquiſque enim ex ſuis operibus iudicabitur*, hoc eſt, pro operum ſuorũ ratione iuſtificabitur vel condemnabitur, gloria vel ignominia afficietur.

2. Cor. 9. *Galat. 6.*

Sim-

Simplex credit omni verbo: quin aſtutus quo- 15.
que qui citius, quàm oportuit, credidit, pœnitudine ducitur.

Ergo omni verbo credere amentia eſt? eſt omnino. Qui, ait, conſilio & ratione omnia agit, is detrimenta illa, quæ incautis & præcipitibus accidere ſolent, facilè euadit. At vir ſimplex (cuiuſmodi eſt, qui poſt primã imaginationem ſtatim concludit, aut quæ ſuperficie tantum tenus audiuit, eueſtigio credit) leuis & imprudens eſt. Imo verò prudens quoque, ſi primæ impreſſioni fidem mox habuerit, non raro decipitur, adeoque pœnitentia ducitur. Aquila illud: *Prudens in pœnitentiam venit*, vertit, *Aſtutus intelligentia vtitur*, quæ verſio contextui Hebræo eſt affinior.

Stultũ eſt omni verbo fidem habere.

Sapiens timore impeditus declinat à malo: 16.
ſtultus autem, qui ſibi confidit, iniquitate polluitur.

Qui, inquit, ſibiipſi confiſus ſpem ſuam in Dominum non reiicit; cuiuſmodi inter cæteros eſt, qui ex praui hominis ſocietate, aut fœdi operis communicatione, nullum ſeſe detrimentum accepturum credit, verùm omnes conatus ſuos vtiliter, & ex animi ſententiæ ſucceſſuros confidit, ille iniquitati, vel iis certè malis, quæ iniquos opprimere ſolent, inuoluetur.

Qui proprijs viribus nimium tribuunt, in varia incõmoda incidunt.

Homo præceps iraq́ impatiens cum temeritate operatur: vir autem prudens multa diſſimulat & ſuſtinet. 17.

Grande malum eſt temeritas & animi excandeſcentia.

Exponit hoc loco ſapiens, quantum malum ſit temeritas, & animi excandeſcentia: vir enim inconſultus & temerarius nō aliis tantùm obeſt, ſed ſibiipſi quoque frequenter nocet. Quare hoc quoque inſipientiæ eſt argumentum. Concludit autem virum prudentem publici boni cauſa, & quò cū bonis omnibus pacificè viuat, multa ſufferre & diſſimulare, per quæ ſubindicat virū perfectum animi patientiam, quæ virtutem coronis eſt, oſtendere debere.

Sapientes communis pacis cauſa multa diſſimulāt

18. *Stulti malitiam inter ſe partiuntur: prudentes autem ſenſum obtinent.*

Malitia opponitur virtuti.

Opponit malitiæ ſenſum: malitia autem opponitur virtuti: ſenſus itaque hoc loco ſignificat virtutem. Malitiam, inquit, quaſi quoddam delicatum obſonium inter ſe diuidunt ſtulti: nec non in partes & ſortes diſcindunt, Vel diuidunt inter ſe nequitiam ſtulti. Nam qui temerarius vel plus iuſto audax eſt, is formidoloſus non eſt: neque qui palpo vel adulator eſt, is quoque ſuperbus eſt.

Quo ſenſu ſtulti malitiā inter ſe partiuntur.

ALIVS. Idem ſtatuatur de cæteris ſimilibus oppoſitis vitiis. Inſipiētes diuidunt inter ſe malitiam, quaſi communem theſaurum: quandoquidem & ſeſe mutuo odio habent, & ſe inuicem mordent, & iniuria afficiūt, & ſibi mutuò inuident: & ita malitia ex æquo quodammodo inter ſe partita contra ſe inuicem inſurgunt. Iuſti autem ſenſum obtinent, quia omnibus ſenſibus imperant, eoſdemque in officio accuratè continent, ne videlicet per viſum

Iuſti ſenſus omnes in officio continent, ne Deum offendant.

Digitized by Google

viſum vel auditum, aut olfactum, aut guſtum, aut tactum, aut per verba, aut facta, aut cogitata, aliquid committant, quod Deum offendat, adeoque cœleſti regno indignos ſeſe reddāt.

Mali proſtrati iacebunt ante bonos: impij 19.
autem iuſtorum portas obſeruabunt.

Corruunt mali ante bonos: ſiquidem malitia tanquam virtuti contraria non poteſt ſimul cum virtute conſiſtere: cùm virtus ergo adeſt, vitiū cadat neceſſum eſt. Impij colunt & obſeruant iuſtorum portas; quia pœnitentia tandem ducti illorū doctrinę ſe ſubiiciunt.

Quid ſit malos corruere ante bonos.

Etiam amici & familiares exoſos habent a- 20.
micos pauperes: diuitibus autem multi ſuppetunt amici.

Sunt qui per amicos pauperes abiectioris humilioriſue phraſeos ſermones deſignatos hîc putant: per diuitū autem amicos ſublatæ orationis ſectatores.

Qui probro afficit pauperē, peccat: ter autem 21.
beatus cenſendus eſt, qui eſt in egenos miſericors. Homines impoſtores & ſeductores 22.
moliuntur mala: miſericordiam autem &
veritatem moliuntur boni. Malorum ar- 23.
chitecti miſericordiam & fidem ignorant.
Vtrumque autem, miſericordiam nimirum 24.
& fidem, inuenias apud eos, qui fabricantur bona.

Iniuſti nolũt haberi iniuſti, iuſti autem honeſtas actiones norunt, & conſectantur.

Iniuſti, inquit, tametſi contraria, hoc eſt, à ratione & virtute aliena faciant, iuſti tamen& tanquam ij, qui recta operentur, haberi volunt. Iuſti autem vt honeſtarũ actionum rationes exquiſite norunt: ita eaſdẽ quoque citra intermiſſionẽ conſectantur. Ad eum itaq; modũ cǫparati ſunt operarij mali: iuſti autem miſericordiã & commiſerationem exercent.

25. *Omni ſeduio atque ſollicito adeſt abundantia: qui autem ſuauiter, curæq; & doloris expers viuit, conflictabitur cum egeſtate.*

Qui virtutũ ſtudio ſerio incumbit in actione & cognitione excellat, oportet.

Qui virtutum ſtudio ſeriò incumbit, is cùm in actione tum in cognitione quoque excellat, neceſſum eſt. Fieri enim vix poteſt, vt ille qui circa earum rerum conſiderationẽ, quæ ſub actionem veniũt, perpetuò occupatur, in vtroque nõ abundet. Verùm qui diuerſo modo affectus eſt, virtutis labores, & moleſtias auerſetur, omnino conſentaneum eſt.

26. *Corona & gloria ſapientum ſunt illorum diuitiæ: ſtultorum autem conuerſatio eſt*
27. *mala. Teſtis fidelis liberat animam ex malis: teſtis autem doloſus & verſipellis accendit mendacia.*

Quo ſenſu opes dicantur & ſint gloria ſapientum.

Opes vel gloria ſapientium illorum ſunt prudentia. Ecquid, ais, opeſne ſapientum eorum ſunt corona vel gloria? Sunt vtique: at non ob id, quòd per ſe gloriã ipſis adiungant, ſed quia in commodum vſum illas exponere, fructũque ex ipſis, & per ipſas facere norunt.

Quare

Digitized by Google

Quare quidam haud inconcinnè aiebat: vt quid ſtulto cum diuitiis? innuebat ſoli ſapiẽti vtiles eſſe pecunias. Liberat autem ex malis, & periculis animam teſtis fidelis, quandoquidem veritate à viro bono patefacta; ſoluitur omnis controuerſia, & dubitatio: & qui condemnationi obnoxij tenebantur, à doloſo & verſipelli liberantur.

In timore Domini fortitudinis ſpes ſita eſt: etenim filijs ſuis pacis firmamentum relinquit. 28.

In timore, inquit, *Domini fortitudinis ſita eſt fiducia*. Nam qui in hac vita viriliter decertat, ex parte quidem prophetizans, ex parte autem cognoſcens, ſpem in futurum repoſitam habet perfectam illam ſuo tempore accepturus. Timor autem Domini pios parit, qui *timoris filij* appellantur & ſunt, ſicut *filij lucis* interdum quoque *lux* vocantur. Firmamentum itaque illis relinquit, lucis & pacis appellationem.

Timor Domini pios parit filios.

Timor Domini eſt fons vitæ: abducit enim & declinare facit à laqueo mortis. 29.
In populo numeroſo poſita eſt Regis gloria: in plebis autem infrequentia & paucitate principis contritio latet. 30.

Hic rurſum *Timorem Domini fontem vitæ* appellat: nam & vitam æternam conciliat, & mortem profligat: Regis autem gloriam erectum de hoſte triumphum vocat. Porrò quod de Regis gloria hic dicitur, hoc myſticè ad

Timor Domini mortem profligat, & vitam æternã conciliat.

Ieſum Chriſtum iuſta ratione refertur: ſiquidem multa credentium multitudo illi adhæret. Adiunxerunt ſe enim ad illum iam olim ex omni gente & natione. Per plebis infrequentiam vel diminutionem Iudaici populi defectionem inſinuat. Deſciuerunt enim à recta fide Iudæi, & legitimum Dominũ ſuum ſpreuerunt, & reiecerunt, ſpretumque & reiectum in crucem egerũt. Contritionem tandem dynaſtæ vel Principis diaboli coniurati aduerſarij noſtri, deiectionem vocat.

Iudæi à recta fide deſciuerũt

31. *Vir patiens & longanimis multa valet prudẽtia: impatiens autem, vt & puſillanimus magna excellit ſtultitia.*

Euidens amentiæ argumentum eſt ſupina animi deiectio: illuſtre rursũ prudentiæ indicium excelſa in aduerſis patientia.

Obſerua in vtroque membro intenſionis vocabula: in altero enim habetur *multus*, in altero verò *magnus*. Siquidem nullum euidentius amentiæ eſt argumentum, atque abiecta puſillanimitas, ſupinaq; animi deiectio. Nullum rurſum æquè clarũ perfectæ prudentiæ indicium, atque in rebus aduerſis patientia animique fortitudo. Tum ſi quis vniuerſa exactè nouit perueſtigare, accurateq; diiudicare.

32. *Vir manſuetus cordis eſt medicus: cor autem mœroris ſenſu ſaucium, oſſium eſt tinea.*

Oſſiũ tinea eſt aſſidua rei moleſtæ conſideratio.

Medetur enim ardẽti, iraque incenſi animi affectioni. Cum enim iram contineat & comprimat, fit vt cor ab illa accenſum & conturbatum ſedet & ſanet. *Oſſium* autem *tinea*, eſt aſſidua rei cuiuſpiam moleſta conſideratio, potioribus animæ partibus infixa. Aut cor intẽsè ſen-

Digitized by Google

ſenſile, eſt immoderata animi triſtitia cordi altum infixa. Nam exceſſus vbique malum parit. *Exceſſus omnium malum parit.*

Qui calumniatur pauperem, ad iram prouocat Dominum, qui fecit eum: qui autē egenum miſericordia proſequitur, honorat Deum. 33.

CHRYSOST. Duo peccata hoc loco aſſignat, nempe pauperum calumniam & Dei offenſionem. At quomodo conuitiator pauperum iritat Deum, qui fecerat illum? quia Deus non modo ſecundùm animā & corpus condidit illum: verum etiam condidit talem nempe pauperem & miſerum, eoque modò comparatum, qui lingua maledica facilè capi carpique poſſet. Dices rurſum: ſi Deus quoſdam creat inopes, inopemque & miſeram vitam ducere illos pro ſua ſapientia ordinat, quorſum nos eorum miſeremur? etenim audiui nō paucos qui ita dicerent. Quo iure obligamur nos in pauperes, liberales & miſericordes eſſe? ſi enim Deus illos amaſſet, pauperes non feciſſet: quouſque contra ſalutem noſtram ludimus? quouſque de his ridemus, propter quæ meritò nos tremere, formidare, & horrere oportebat? ſordidumque ac mille malis repletum ludibrio habemus? vtrum Deus magis amabat Lazarumne mendicum, & vlceroſum; an verò diuitem epulonem? Nimirū hoc nos perdit, quod diuina quoque eloquia in facetias & dicteria vertamus.

Qui cōuitiatur pauperē iritat Deum & qua de cauſſa.

Ridemus ſæpe vbi flere deberemus.

34. *Impius propter malitiam ſuam expelletur, & proſcribetur: qui autem iuſtitia & ſanctitate ornatus ſperat in Dominum, iuſtus cenſebitur.*

Impius, inquit, ob ſuam malitiã expelletur & eradicabitur è terra, expulſuſque in anguſtum locum demergetur, atque ibidem perpetuo cuſtodietur & obſeruabitur. *Qui autem confidit in Dominum, &c.* Pulchrũ ſanè & tutum eſt confidere in Dominum: ſi quis tamen bonis operibus inſtructus fuerit, ſiquidem talis iuſti ſanctique viri nomẽ apud illũ promerebitur. Fruſtranea enim & temeraria eſt ſpes, quæ bonis operibus prorſus deſtituitur.

Temeraria eſt ſpes bonis deſtituta operibus.

35. *In probi viri corde requieſcit ſapientia: in ſtultorum autem corde non cognoſcitur, neque inuenitur.*

Sap. 1. 4. Neque enim in *corpore peccatis ſubdito* diuina habitabit ſapientia.

36. *Iuſtitia auget & exaltat populum: peccata autem tribus & familias diminuunt.*
37. *Miniſter intelligẽs acceptus eſt regi: ſua namque verſutia & agilitate è medio tollet ignominiam.*

Iuſtitia exaltat hominem: peccatum contra exaltatum deprimit.

Quemadmodum iuſtitia exaltat & auget, ita peccatum deprimit & diminuit. Per *iuſtitiam* autem hoc loco accipe fidem in Chriſtum: hæc enim eſt, quæ à rebus terrenis, ad cęleſtia nos ſublevat & trãsfert. *Intelligens miniſter, &c.* Talis εὐστροφίας hoc eſt facilis feliciſque conuerſio.

uerſionis miniſter erat Paulus; ſiquidem zelum, quo flagrabat, ſed non ſecundum ſcientiam, cœleſti numine tactus, repente permutauit in eum, qui erat ſecundum ſcientiam. Talis etiam miniſter erat Petrus. Nam Dominum ter inficiatus toto animo rurſum ad pœnitentiam conuerſus à fœda illa negationis labe non modo ſeſe expediuit, verumetiam illuſtrior, Deoque quam antea erat, carior euaſit.

CAP. XV.

Ira prudentes quoque viros perdit: reſponſio 1.
ſubmiſſa auertit furorem: ſermo autem te- 2.
tricus exuſcitat iram. lingua ſapientum
callet honeſta: os autem amentium annun-
ciat mala.

VTRVMQVE ergo in nobis poſitū eſt, & iram ſuſcitare, & ſuſcitatam ſedare. Cæterùm cùm Dominus nobis iraſcitur, ipſe illius iræ non eſt cauſa, ſed nos, qui ad iram illum prouocamus. Submiſſa reſpōſio ea eſt, quæ ex humili manſuetoque pectore profecta nihil aſperitatis præ ſe fert. Hanc autem ſubmiſſionem efficit interior dicentis conſtitutio.

In nobis eſt iram ſedare & excitare.

Reſponſio ſubmiſſa qualis ſit.

In omni loco oculi Domini contemplantur bo- 3.
nos & malos. Sana lingua eſt arbor vitæ:
quiſquis eā cuſtodierit, implebitur ſpiritu. 4.

O 5 Eſt

Eſt autem duplex linguæ ſanitas: vna quæ ſanat, altera quæ ſanatur. Ea lingua meritò vocatur ſana, quę verbo non peccat: morbus enim linguæ eſt peccatum per illam admiſſum. Impletur autem ſpiritu, qui lingua non peccat, non quouis, ſed ſancto. Exhortatur infrà quoque ſapiens ad cautam linguæ cuſtodiam. Ait enim: *fauus mellis ſunt boni ſermones: dulcedo autem illius ſanitas eſt animæ.* Doctrina de rebus vtilibus & ſalutaribus germinat ſcientiam: hæc autem eſt lignum vitæ.

Morbus linguæ eſt peccatum per illam admiſſum.

Prou. 16. 24.

5\. *Stultus patris diſciplinam ſubſannat: qui autem præcepta cuſtodit, prudentior euadet.*

6\. *In abundanti iuſtitia magna vis ſita eſt: impij autem radicitus de terra interibunt.*

Niſi, ait Dominus, *iuſtitia veſtra abundauerit plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Impietatis radix eſt malitia, quæ in futuro ſæculo interitura eſt. Simile huic eſt alterum illud: Et radix tua interibit de terra viuentiũ: nam hîc quoque malitiam per radicem denotat.

Matth. 5.

6\. *Iuſtorum domibus plurima adeſt fortitudo: impiorum autem fructus interibunt.*

Eccleſia, iuſtorum domus.

Per iuſtorum domus accipe hoc loco Eccleſias, in quibus Dei fortitudo per Spiritus ſancti præſentiam exiſtit. Per fructũm autem impiorum, praua illorum opera, propter quæ olim certò interituri ſunt.

Sapien-

Digitized by Google

Sapientum labia iudicio & ſenſu ligantur: ſtultorum autem corda ſunt lubrica & inſtabilia. 8.

Sapientum ſermo, inquit, iudicio & ſenſu munitus eſt; at peruerſi qui ex abũdanti cordis agitatione linguam mouent, eorum quæ dicuntur, vim non percipiunt.

Sapientum ſermo nititur iudicio.

Dominus impiorum victimas execratur: aſt illorum preces, qui vitæ rationem rectè inſtituunt acceptæ ſunt apud eum. 9.
Idem Dominus impij vias deteſtatur: complectitur autem eos, qui iuſtitiam conſectantur. 10.

Sapiens diſertis verbis hoc loco aſſerit, Deum impiorũ victimas & ſacrificia deteſtari: nec illorũ victimas tantùm, ſed eorundem quoque vias, hoc eſt, ſtudia & actiones. Rectorum autem rectè ue, hoc eſt, ſecundum virtutem incedentium preces & vota acceptat. Per *recte* autem *incedentes* eos accipe, qui ex puro corde vota preceſque offerunt: neque quicquam prauum aut tortuoſum contra proximum moliuntur.

Deus impiorũ vias & victimas deteſtatur.

Simplicis doctrina à tranſeuntibus dignoſcitur: qui autem exoſas habent increpationes, turpem vitæ finem faciunt. 11.

Qui ad notitiam & virtutem progreſſus faciunt, illi ſimplicis malitiaque adhuc deſtituti doctrinam & inſtitutionem facile agnoſcunt: ſimplicium autem doctrina ea dici cenſerique poteſt, quæ necdum profundas egit radi-

Qui iuſtas repreHenſiones nõ ferunt turpiter moriuntur.

radices: ſiquidem per tranſitũ & obiter tantum illam attigiſſe ponuntur. Qui autem oderunt reprehenſiones, iuſtaſque ob admiſſa peccata increpationes, ac ipſa etiã præcepta (hæc enim ſunt, quæ nos peccantes redarguunt) turpiter tandem moriuntur.

12. *Infernus & perditio manifeſta ſunt apud Dominum: quantò magis corda hominum?*

Quod fuerit ſtudiũ Prophetarum & veterum ſcriptorum

Cui, inquit, omnia ſunt manifeſta, quomodo hominum corda eum latebunt? Aduerte autem veteres Prophetas & Doctores peculiari ſtudio ad hoc incubuiſſe, vt hominibus perſuaderent in rerum vniuerſali extare oculũ, quẽ nihil lateret, quique omnia quæ in mundo fiunt, obſeruaret, inquireret, & perueſtigaret: qui rurſum omnia etiam ea, quæ mente tantùm pertractata, vel occultiſſimè geſta erant, in iudicium adduceret: qui denique omnia longè antè videret, clareq; cognoſceret, quàm fierent. *Infernus & perditio, &c.* Per perditionem interitũ hoc loco ſignificat: aſt non integrum, ſed eam tantùm partem, quæ prouenit ex operibus, quæ aliorum ſenſum fugiunt. Horum enim operum cenſuram Deus ſibi reſeruat. Eſt autem perditio inferno vicina, mortemque adducit.

13. *Indoctus non amat illos, à quibus corripitur, neque cum ſapientibus conuerſatur.*

Incuſat hic rurſum rudes & indoctos, tanquam qui à veritate nolint redargui, neque cum ſapientibus, per quos poterant erudiri ac meliores fieri, conſuetudinem habere.

Quando

Quando cor gaudet, facies viret: cùm autem 14
in mœrore iacet, ſpiritus triſtis ac tetricus
incedit.

Quorſũ hæc hoc loco exponũtur? Nõ alio fine, quàm vt cor noſtrũ recreare, & ad lętitiã excitare cõtendamus. Recreatur enim nulla alia re magis, quàm iuſtitia & virtutũ ſtudio.

Iuſtitiæ & virtutum ſtudiũ cor recreat.

Cor rectum quærit ſenſum & intelligentiam: 15
ineruditorum autem os experietur mala.
oculi improborum omni tempore hauriunt 16.
mala: boni autem ſemper verſantur in pace
& animi tranquillitate.

Conuenienter hoc loco cor cũ ore & oculis coniungitur: homines autẽ mali & indocti ſubeunt mala: nempe pœnam factis ſuis dignam. At boni qui à vitiis & peccatis ferias agunt, ab aduerſis liberi ſunt: adeoque quod ſecundum cordis ſui ſenſum bonum videtur, pacatè operantur.

Boni in pace viuunt, mali tempeſtate iactantur.

Melior eſt exigua portio cum timore Domini, 17.
quàm theſauri magni cũ præfracta audacia.

Verum id eſt non ſolum propter ea, quæ futura expectamus, verumetiã propter præſentia. Etenim pauper ſua ſorte contentus tutius maiorique in pace, & animi quiete ætatem agit, quam diues auarus. Et quid de Dei timore & amore dico, cùm humana quoque amicitia, ſi adfuerit, efficere nõnunquam ſoleat, vt parua ſuauius ſapiant, animumque magis oblectent, quàm magna, malè præſertim

Felix vita ſua ſorte contenta.

Digitized by Google

Non modo diuina, ſed humana quoque amicitia omnia reddit ſuauia.

tim parta. Atque hoc ipſum Heſiodus quoque iam olim docuerat: neque enim gloria genuina aut voluptas in magno cenſu aut ſumptu exiſtit: ſed contrà in genuina voluptate & gratia magnus cenſus & ſumptus ſeſe oſtendit. Melior eſt exigua ſcientia cum iuſta operatione, quàm tota vel cumulata ſcientia cum iniqua actione.

18. *Satius eſt olerum ad conuiuium inuitari cum amicitia & gratia, quam vitulorum ad apparatum cum inimicitia.*

Satius eſt pauca ſcire, quam magnam ſcientiam venditare & cum pace pugnare.

Notitię penuria laborans olera manducet, id quod multo præſtabilius eſt, quàm magnā ſcientiam venditare, & interim cum pietate pugnare. Per amicitiam autem & gratiam alij dilectionem, alij ſcientiam, alij vtrumque ſimul ſignificari tradunt. Per *vitulum* verò à præſepio abductū, carnales hæreticorum eſcas, quod ipſi pro ſolido nutrimento habent.

19. *Vir iracundus ſuſcitat rixas: vir autē patiens & longanimis excitatas ſedat.*

Iracundus rixas concitat, manſuetus ſuſcitatas placat.

Iracundi hominis animus magnæ ruinæ patet, vt qui conuitia & pugnas nunquam non meditetur & excitet: è diuerſo autem homo manſuetus & patiens in manſuetudinis & patientię bono ſeſe oblectans, ne ad leue quidē, nudumque verbum, quod rixam ciere poſſet procedat, ſedulam dat operam.

Vir patiēs iudicia & lites reſtinguit: vir autē impius familiarius illas ſuſcitat, quā placat.

Vir

Vir æquo lenique animo præditus, dũ peccata quædam ante perpetrata prudenter diſſimulat, lites, quæ inde exoriri poterant, ſuauiter præſcindit & impedit.

Ignauorum hominum viæ quaſi ſpinis obſitæ ſunt asperæ: fortium verò ſemitæ ſunt planæ atque protritæ. 20

Eorum ſtudia & actiones, ait, qui ad virtutem ignaui & deſides ſunt, cùm aliis multis, cùm iis pręcipuè plurimùm obſunt, qui familiariter cum illis verſantur. At qui virũ circa virtutem præſtant, viriliterque & ſtrennuè laborant (quod operarij ſint omni cõfuſione ſuperiores) ſua operatione nulli officiunt, ſed omnibus proſunt: neque enim eiuſmodi homines vllum obſcænis deſideriis locum indulgent, neque vitæ huius curis ſeſe macerant.

Vt ignaui ſibi & alijs obſunt, ita contra ſtudioſi ſibi & alijs proſunt.

Filius ſapiens lætificat patrem: filius autem ſtultus deridet matrem ſuam. 21

Filius ſapiens eſt honeſtũ cogitatum, quod parentẽ ſuum nempe mentem lætificat: ſtultus autem, quod proprio ſenſu rectè vti neſciat, & ſeipſum & alios quoque confundit.

Honeſti cogitatus parens eſt Mens.

Amentis ſemitæ iudicio & mente carent: vir autem prudens non abſque cautione per viam incedit. 22.

Amentis ſemitæ rectè vocãtur fatuæ: nam cum eiuſmodi homines mentis iudicio ſunt deſtituti, nihil faciunt cum ratione, ſed temerè & inconſultè omnia.

Stulti nihil faciunt cũ ratione ſed temerè & incõſultè omnia.

Qui

Digitized by Google

23. *Qui prudentium conſeſſum pro nihilo ducunt, cogitatus ſuos de die in diem transferunt: in corde autem deliberantium ſalutare*
24. *exiſtit conſiliū. Verùm mali ita comparati ſunt, vt neque facilè illi obtemperent, neque aliquid quod oportunum aut è re communi ſit, in medium adferant.*

Arrogantes ſalutaria cōſilia aſpernātur

Illi aſpernantur conſilium, qui ea quæ honeſta & neceſſaria ſunt, & ea rurſum quæ ab ijs aliena ſunt, inter ſe non conferunt. Qui autē cuiuſmodi ſunt, inconſtātes plerumque & arrogantes ſunt. Arbitrantur enim ſe aliquid eſſe cùm nihil ſint. In corde autem & mente deliberantium, efficax inuenitur conſilium: ſiquidem diuina gratia illuſtrati, quid fieri vel omitti debeat, facilè intelligunt.

25. *Viri prudentis cogitata ſunt viæ vitæ, præſtāt namque, vt ſaluus euadat ab inferno.*

Viæ vitæ ſunt opera quæ vitā æternam conciliant.

Vias vitæ appellat hìc opera, quæ vitam æternam conciliant, adeoque ab inferno & morte liberant. Neque enim bona mente præditus [illegible]a de cauſa ea edit, quàm vt Deo placeat, ſeque ab inferno, hoc eſt, ab animæ morte incolumem conſeruet.

26. *Dominus ſuperborum domum demoletur: terminum autem viduæ firmat.*

Quo ſenſu Eccleſia dicatur vidua.

Per *ſuperborum domum* Iudæorū ſynagogam deſignat: viduam autem Eccleſiam. Nam etſi hæc à diaboli vinculo ſit ſoluta, Chriſtum tamen ſponſum ſuum aſpectabili ſpecie præ-

ſentem

Digitized by Google

ſentem nõ habet. Aut domos certè iniuriantium vel ſuperborum, eorum appellat cogitationes & actiones, qui virtuti reſiſtũt. Confundet enim Deus ſapientiam ſapientum, & firmabit *domum viduæ*, hoc eſt, animæ, ab eiuſmodi ſuperbis cogitationibus & actionibus liberæ.

Dominus cogitationes iniquas execratur: caſtorum autem verba ſunt caſta & grauia. 27.

Non ergo de dictis & factis tantùm ratio à nobis exigetur, verùm de ipſis quoque cogitationibus magna diſquiſitio & examinatio accurata futura eſt. Cogitatio enim improba, maximè verò ſi conſenſu firmata fuerit, damnationem adducit, etiam ſi opere non exprimatur.

Nõ tantũ de verbis & factis ſed & de cogitationibus fiet diſquiſitio.

Perdit ſeipsũ qui captat vel acceptat munera: at qui donorũ aucupia odio habet, ſaluatur. 28.

Non ſolùm à munerum aucupio abſtinere virum prudentem oportet, verùm etiã commercium illud odio habere. Siquidem odio illo non tam largitati conſulit, quàm ſibiipſi, vt qui propter donorum acceptionem multa ſæpè mala facere compellitur, quæ fortaſſis alias nunquam feciſſet.

Munerum acceptio multa ſæpe mala facere perſuadet

Per eleemoſynã & fidem purgantur peccata: timore autem Domini, nemo non abſterretur à malo. 29.

Exprimit hic vulnera & peccata; indicat nihilo ſecius viam & rationem, qua eiuſmodi vulnera curari & caueri queant: ſiquidem e-

Eleemoſyna extinguũtur peccata.

Digitized by Google

leemoſyna & fidę non quouis modo purgantur peccata, ſed penitus extirpantur. Aduertendum eſt autem non dixiſſe per eleemoſynam & fidem purgantur peccata, ſed *per eleemoſynas & fides*: ſiquidem non illius tantùm miſereri oportet, qui neceſſariis vitę pręſidiis deſtituitur, verùm illius quoque qui propter peccatum interiit, & ad pœnitentiam redire cupit: tum illius quoque qui doctore vel adiutore opus habet, neque inuenire tamen valet. Nam tales quoque miſericordia ſubleuandi, & ad rectam viam ducendi ſunt. Quid? quod non hominum tantùm miſereri conſultum ſit, ſed iumentorum quoque vt ante dictum eſt: ſic quoque non ſat eſt ad ſalutem, vt in Patrem, & Filium, & Spiritũ ſanctum credas, ſed omnibus prætereа Chriſti dictis atq; promiſſis certam fidem habere oportet.

30. *Iuſtorum corda meditantur fidem: os autem impiorum eructat mala.*
31. *Acceptæ apud Dominum ſunt viæ iuſtorum, per iuſtos namque inimici quoque amici redduntur.*

Matt. 12. 34. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Vt ergo impij & iniuſti cor meditatur malum, ita os illorum eructat mala & turpia. Contra verò, vt iuſtorum cor nihil æquè meditatur, atque fidem in Chriſtum: ita ſermo illorũ plerumque eſt de Chriſto & de fide: quorum proinde viæ acceptæ ſunt apud Deum. Cum hi autem Dei voluntatem indefeſsè expleant, fit vt ex inimicis quoque amicos facere queant. Nam cùm Deo ſemel ſe dedicauerint, & conſecrauerint,

Alia iuſti meditantur & loquuntur, alia impÿ & iniuſti.

Digitized by Google

uerint, pro aliis quoque intercedunt, eoſdemque ſi inimici erant, Deo conciliant, amicoſque reddunt.

Procul abeſt Deus ab impijs; iuſtorum autem 32.
vota exaudit. Satius eſt modicum quid
poßidere cum iuſtitia, quàm magnos pro- 33.
uentus cum iniuſtitia.

Non abeſt Deus loco ab impiis, ſed animo, hoc eſt, fauore, & gratia, aut more certè, & vitæ inſtituto, iuxta illud: *Quantũ diſtat cœlũ à terra, tantum abſunt meæ viæ à viis noſtris*; ait Dominus.

Quo ſenſu Deus procul ab impijs eſſe dicatur.

POLYCH. Non ſpacij intercapedine abeſt Deus, ſed ſententiæ diuerſitate: ſiquidẽ contraria plurimùm à ſe inuicem diſſidere ſolẽt. Vt autem iuſti Deo ſunt vicini (certum eſt autem id ad locum non referri) ita facili quoque momento ab illo audiuntur.

In Bibliis Græcè editis hic incipit caput XVI.

Cor viri cogitet iuſta, quo proſperè greſſus ſui 1.
à Deo dirigantur. Vt oculus qui contempla- 2.
tur bona, lætificat cor: ita fama bona im-
pinguat oſſa. Qui audit increpationes vi-
tæ, in medio ſapientum commorabitur.

BASIL. Oculus tum demum contemplatur bona, quando earũ rerum, quæ ſub aſpectum veniunt, contemplatione & comprehenſione non læditur, ſed perficitur. Siquidem rerum conditarum contemplatio animæ vires cor-

Rerũ conditarum contẽplatio animæ vires corroborat.

roborare nata eſt. Fama autem bona aut ea eſt, quam quis de alio audit, aut ea certè, quam aliquis per virtutem & eruditionē ſibi comparauit: aut oculum bona contemplantem, omnem omnino iuſtum, qui mentem in mandatorum Chriſti obſeruationem ſemper intentam habet, appellat. Talis enim lætificat Deum. Fama denique & vox ea apprimè grata, oppidoque iucunda erit, quam olim audituri ſunt iuſti, nempe illa Chriſti: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*. Hæc enim iuſtos, quos ob fidei firmitatem *oſſa* vocat, mirificè recreabit & impinguabit.

Oculus bona contēplans, omnis omnino iuſtus dici poteſt. Matt. 25.

DIDYM. Oculus bona cōtemplans, hoc eſt, diſcretè ac cum iudicio cernēs, lætificat cor. At quærendū hic venit quænā ſint iſta *bona*? ſanè qui aurum contemplatur, perſæpe contriſtatur: ſic quoque qui corpus nitidū & venuſtū cernit, non ſemper recreatur. Quæ ergo ſunt pulchra illa quæ cor verè lætificant? Quæ alia, quàm cælū, terra, mare, & vniuerſa creatura reliqua? qui illa enim, vt oportet cōtemplatur, lætificat cor, hoc eſt, animū. Nam quid prodeſt, ſi oculus recreetur, & aliud nihil poſteà conſequatur? Oportet ergo animam refici & recreari.

Non omne quod recreat oculum, recreat quoque animū.

3. *Qui auerſatur diſciplinam, odit ſeipſum: qui autem ſeruat, magniq́ facit increpationes, is diligit animam ſuam.*

Aut *elenchos* vocat hoc loco increpationes, aut certas demonſtrationes: ad vtramque

que enim notionem haud incommodè referri poteſt.

Timor Domini parit diſciplinam & ſapientiā: vtraque autē principium eſt gloriæ quam humilitas antegreditur. 4.

Dei timor vtramque vitam, hoc eſt, tum eam quæ actioni, quàm eam etiam, quæ contemplationi dedita eſt, moderatur & dirigit. Hanc ipſam ſapientiam vel diſciplinam, vel vtramque ſimul, gloria excipiet, hoc eſt, ipſa gloriæ, quæ humiles comitatur, certa origo, & quaſi fons eſſe deprehenditur.

Dei timor vtramque vitam moderatur.

CAP. XVI.

Omnia ſubmiſſi animi opera apud Deum ſunt manifeſta: impij autem in die mala interibunt. 5.

OMNIA, inquit, humilis opera apud Deū ſunt conſpicua, vt qui accuratè videat & obſeruet omnia, quæ ſubmiſſi pectoris viri faciunt. Oſtendit per hæc autem Sapiens animi demiſſionem, viam minimè vulgarem ad bonorum operum ſtudiū aperire. fieri enim vix poteſt, vt vir humilis, cordeque contritus oblata occaſione præclara non operetur. Per hoc autem, quod humilium opera Deo aſſeruntur manifeſta, inſinuatur Deum ſuperborum opera nolle aſpicere, multò verò minùs approbare. Vel manifeſta dicuntur, quia ſunt veluti lux quædam.

Animi ſubmiſſio bonorum operum principiū eſt.

Impij autem in die mala peribunt.

Impij in die mala cadunt, vel quia obortis periculis & tentationibus non ſubſiſtunt, vel quia in die iudicij condemnabuntur.

6. *Nemo omnium elati cordis apud Deum habetur purus: qui manus manui per iniuſtitiã inſerit, non euadet impunis.*

Certum damnationis iudiciũ eſt citra intermiſſionẽ peccare.

Qui iniuſtis operibus iniuſta opera ſubinde attexit, peccataque peccatis quotidie adiungit, non erit innocens: hoc eſt, ſupplicia improbis apud inferos conſtituta non ſubterfugiet.

7. *Bonæ viæ initium eſt facere æquũ & iuſtum: hoc enim maioris fit apud Deum, quàm of-*
8. *ferre victimas: qui quærit Dominum, inueniet notitiam cum iuſtitia coniunctam.*
9. *Qui autem rectè illum quærunt, inuenient pacem, animiq́ tranquillitatem.*

Lex nobis eſt pædagogus ad Chriſtum.

Si ſapientiam deſideres, inquit, ſerua mandata, & Dominus tibi illã impertietur. Quod ſi cognitionis via eſt Chriſti, huiuſque notitię principium eſt lex, quæ pædagogus nobis extitit ad illam, conſequens fit à legis contemplatione deſiſtendum non eſſe.

10. *Omnia opera Domini cum iuſtitia ſunt coniuncta: impius autem in diem malum aſſeruatur.*

Quo modo impius aſſeruetur in diem malum.

Aſſeruatur impius in diem malum, ait. At quorſum ſapiens hoc proponit? ne vbi quempiã impia quædam deſignare videris, neque iuſtas tamen

men pœnas ſtatim pendere animaduertis, Dei iuſtitiam corruptam exiſtimes. Qui enim hæc facit, nō impunè feret: ſeruatur enim in diem malum, hoc eſt, ad grauia iudicia & ſupplicia in altero ſæculo irroganda. Cur, inquis, Deus impios homines ſtatim è medio non tollit? Paulus id ideo fieri reſpondet, quo illius patientia & longanimitas manifeſta fiat. Et alio loco Deus ita loquitur. Vt oſtendam in tè potentiam meam, nomenque meum in vniuerſa terra annūcietur. Eſto ergo aliquis ſit improbus & ſceleratus: attamen ſi tandem conuerſus fuerit, lucratus eſt illum Dominus: ſi verò in malitia & improbitate ſua porrò perierit, & ad finem vſque peruenerit, aliorū ſalutem & cauſam promouet, Deoque Opt. Max. iuſtiorem punitionis occaſionem præbet. Ego ob id tamen te non ſuſtineo, ait Dominus, verùm vt conuertaris; quod ſi nolueris, infelix & miſer es prorſus.

Cur Deus impios nō ſtatim è medio tollat.

Rom. 2. 4.

Diuinatio extat in labijs Regis: in iudicio nequaquam errabit os eius. 11.

Quæ dicit, huc tendunt: Verbum Regis inſtar oraculi habetur pro vero & certo. Quare etiam datur opera vt non prætermittatur, ſed opere ipſo exprimatur & expleatur.

Momentum ſtateræ iuſtitia apud Deum: opera autem eius inſtar bilancis iuſtæ. 12.

Non quouis modo iuſtus eſt Deus: ſed ita iuſtus & æquus, vt omnia eius opera ad amuſſim, & quaſi ad libellam ſint redacta. Vt illa enim,

Omnia Dei opera ſumma iuſtitia ſunt facta.

& ad ſummam æquitatem redacta. enim, quæ ad bilancem expenduntur, ad eam rediguntur æqualitatem, vt nullum prorſus exceſſum, aut defectum admittant: ita omnia opera Dei ad iuſtum pondus exactiſſimè ſunt facta.

ALIVS. Cum Deus omnia etiam ea quæ per ſe alioqui ſunt incerta, exactè noſcat, aut veriùs prænoſcat, fit vt omnia quæ facit, tanta cum iuſtitia & æquitate faciat, vt ſi iuſtum ad amuſſim lubuerit redigere, aut libra volueris appendere, iuſtius efficere non queas.

13. *Rex deteſtatur eos, qui operantur mala. Per iuſtitiam namque principatus ſolium firmatur.*
14. *Idem labia iuſta acceptat; grataq́ue habet, vt ſermones quoque rectos diligit.*

Regis eſt vtrumque & veritati fidē habere, & iuſtitiæ operam dare Chriſtus priuatorum & principum iudex eſt. Et Chriſto Domino, & Regi cuicunque fideli & probo labia iuſta ſunt accepta. Nam & veritatem fidei habere, & iuſtitiæ incumbere res ſunt, quæ ad Regis regniq́ue promotionem plurimum faciunt. Si ergo rex es, Regem Chriſtum imitare: quod ſi illum imitari non conaris, vtique veri regis nomine non es dignus, neque iuſtum illius iudicium euades. Neque enim priuatorum tantum hominum iudex eſt Chriſtus, verumetiam regum & principum.

15. *Furor regis nuncius eſt mortis: aſt vir ſapiens placabit illum.*

Pœnitētia quæ ſine ſapientia cōſtare non Cum paucis expoſuiſſet, cuiuſmodi Regem eſſe oporteat, nunc breuiter ſubdit, quomodo ſubditi Regem timere, colere & obſeruare debeant.

Digitized by Google

debeant. *Vir autem ſapiens*: quaſi dicat, Deus quidem peccatoribus interminatur ſupplicium: verùm vir ſapiens, hoc eſt, intellectu valens, & pœnitentiam agens, denuò placat illum. Sapientia itaque ad pœnitentiam eſt neceſſaria.

poteſt, Deũ iratum placat.

Filius Regis verſatur in luce vitæ: quos autem ille recipit, ſunt inſtar nubis ſerotinæ. 16.

Qui in veritatis ſcientia ſecundũ Chriſtum perfectè edoctus eſt, Regis aut Dei verius filius appellari poteſt. Qui autem poſt Chriſti aduentum ad fidem acceſſerunt, ſunt veluti nubes ſerotinæ, vtpote circa ſæculi conſummationem ad Deum tandem adiuncti.

Qui Chriſti legem perfectè edoctus eſt Dei filius appellari poteſt.

ALIVS. Filius Regis eſt diſcipulus Ieſu: aſſimilatur hîc autem nubi ſerotinæ: quia multis bonis operibus cumulatus eſt.

Nidi ſapientiæ præſtant auro: nidi autem prudentiæ potiores ſunt argento. 17.

CHRYSOST. Diuinæ ſapientiæ ſenſa & theoremata multis precibus mundanam ſapientiam excellunt. Quemadmodum autem aurum præſtantius eſt argẽto, ita ſapientia quoque nobilior eſt prudentia. Hæc enim in rerum cognitione præcipuè occupatur: illa verò in cognitarum dilucidatione & interpretatione.

Quod inter aurum & argentum, hoc inter ſapientiam diuinam & humanam intereſt.

ALIVS. Nidus duo ſignificat, nempe locũ vbi auium pulli conſeruantur, & ipſos rurſum pullos qui in nido continentur. Per nidum itaque Sapiẽs diuina theoremata deſignat: in

 his

his enim ſapientia habitat: quæ etiã præſtantiora dicit mundana, falſiue nominis ſapientia. Quod ſi prudentiam ſapientiæ affinem alibi docuerit, dicendum eſt ſermonis ſapientiam mundi ſapientiæ prætuliſſe. Nam vt aurum præſtantius eſt argento; ita hæc illi quoque pręſtat. Aut ſapientiæ *nidos* appellat Chriſti eccleſias, aut ſanctorũ manſiones: ſapientiam autem Chriſtum ipſum.

18. *Semitæ vitæ deflectunt à malo: viæ autem iuſtæ vitæ longitudinem pariunt.*

Virtutum ſtudioſi ad virtutis faſtigium tandẽ perueniunt.

Moralis diſciplina, quòd quoddam virtutum rudimentum exiſtat, ſtrennuè in ea progredientes ad virtutum apicem tandem adducit. Per vitæ autem longitudinem accipere hîc licet, aſſiduum bonorum operum vſum, qui in illos præcipuè competit, qui ſecundum virtutem viuunt.

19. *Qui recipit diſciplinã, bonis omnibus affluet: ſic qui obſeruat increpationes, in ſapientia progreſſus faciet. Qui cuſtodit vias ſuas, cuſtodit animam ſuam: qui autem vitam ſuam diligit, ori ſuo parcat oportet.*

Hic rurſum morum diſciplinam commendat: per hanc enim multa bona ijs obueniũt, qui in illis exercitati ſunt. Per *increpationes* autem dæmones deſignat. Nam qui illorum afflatus & ſuggeſtiones deuitat, vel quò tendant, diligenter obſeruat, cautior ſubinde prudentiorque euadit. Per oris tandem vel labiorum parſimoniam, nempe per cautum ſilentium vitam

Oportunũ ſilentiũ vitam parit. Quamobrem non

vitam obtingere admonet. Magnam namque bonum eſt, os poſſe & noſſe continere. Per *vitam* autem non hanc temporalem accipe; ſed æternam. *vulgaris ſcientia eſt noſſe tacere.*

Superbiam conſequitur contritio: ſtultitiam autem caſus vel ruina. 19.

Docet hîc ſupplicium, quod apud inferos infertur, antecedere condemnationem, & hanc peccatū: caſum porrò vel ruinam mentis elationem. Primò namque infertur iniuria vel conuitium: hinc mox conſequitur vulnus & alia incommoda. Primò rurſum homo malè ſentit; deinde verò cadit & perit. *Caſum antecedit elatio, & vulnus conuitium.*

Melior eſt humilis & manſuetus corde, quam qui ſpolia diuidit cum ſuperbis & arrogantibus. 20.

Homo ſtudioſis actionibus ex profeſſo deditus cum exigua cognitione, melior eſt illo, qui nouit ſermonū verſutias, & malis interim ſuperbiſque mergitur cogitationibus. Pari modo ſatius eſt humilem eſſe ac pauperem, quàm diuitem & arrogantē. Nam etſi vtrumque, pauperem nimirum & arrogantem eſſe, malū & miſerum ſit; hoc tamen illo deterius & miſerabilius exiſtit. Manſuetudo animique ſubmiſſio, potiores ſunt robore; neque ſi illud opes adiunctas habeat, adhuc tamen illis præſtat. *Melior eſt exigua cognitio cū humilitate quam magna ſcientia cum ſuperbia.*

Qui ſagax, rerumque peritus eſt, inueniet bona, qui autem in Domino confidet, beatus.

Viros

Digitized by Google

21. *Viros prudentes & ſapientes praui appellant, prauos & ſceleratos: qui autem blanda vtuntur oratione, plura diſcunt & hauriunt.*

Adulatores vulgo maiores ſiunt, quã viri prudentes.

At nunquid prudentia eſt maius quiddam ſapientia? An verò exteros, qui in ſcientia aliqua excellunt, ſapientes hîc vocat? Aut certè indicare per hoc vult, adulatores, dulceſque eorundem ſermones vulgo maiori in precio haberi, quàm viri prudentes, vereque ſapientes: & ſi quid his adhuc honoratius reperitur.

22. *Intelligentia ſenſataq́ cogitatio auctori ſuo eſt inſtar fontis vitæ; ſtultorum autem doctrina eſt mala & fatua.*
23. *Cor ſapiens, quæ in medium deprompturum eſt, iterum iterumq́ conſiderare ſolet, ſuiſq́ adeo labiјs prudentiam præ ſe fert.*

Quo ſenſu Chriſtus fons vitæ.

Aut certa rerum, quæ exiſtunt, comprehenſio, aut Chriſtus ipſe eſt *fons vitæ*. Nam ſi fideles hunc animo pertractant, eiuſdemque legem & ſermonem bona fide ſeruant, vitam conſequuntur æternam. Cor ſapientis præ ſe fert prudentiam & ſcientiam, quia nouit omnia, & loquendi loca & tempora obſeruat accuratè. Eſt ſua quoque ſtultis doctrina, ſed praua & ſtolida: vt quæ vitę loco mortem adferat, cuiuſmodi doctrina eſt quorundam Aſtrologorum & incantatorum, omniumque hæreticorum.

Inſtar

Inſtar faui mellis, honeſti ſermones ſunt dul- 24.
ces;eorum autem dulcor ſanitas eſt animæ.

Vocat hîc *fauum mellis* honeſtos ſermones, propter natiuam illorum dulcedinem & qualitatem. Eiuſmodi namque ſermones ex veritate, quæ in illis continetur, ſortiuntur dulcedinem & iucunditatem. *Mel* autem *ſpiritale* (quale eſt quod mente tantum percipitur) ſanat animam.

Sani ſermones melli cur comparantur.

Sunt viæ, quæ videntur rectæ: interim nouiſ- 25.
ſima eorum ſpectant ad profundũ inferni.

Significat per hæc malitiam ex voluptate, carniſque illecebris natam, tametſi alij aliis modis eam excuſent, recta ad interitum & mortem tendere. Idipſum efficiunt reliqua itidem peccata & flagitia, quocunque tandem nomine illa appellentur, aut fuco colerentur.

Peccata ſunt viæ, quæ videntur rectæ, & non ſunt.

Vir honeſto labori inſiſtens, ſibi inſiſtit, ſuam- 26.
que perditionem vi propellit: homo peruer-
ſus & tortuoſus ſuũ in ore fert interitum.
Vir inſipiens vltrò ſibi mala fodit, idemq̃; 27.
labijs ſuis ignem colligit.

Qui virtutis viam ſeriò aggreditur, ſibi, non alteri laborat, profligat autem interitum, ſeruatque ſeipſum per pœnitentiam. At homo peruerſus improbis operibus, blaſphemiſque verbum ſeipſum in perditionis foueam præcipitat.

Mors per pœnitentiã profligatur

Digitized by Google

Multi no pergant improbiſſimos ſuſtinẽt labores

ALIVS. Vir improbis laboribus inſiſtens mala cõſuetudine impulſus ſibi ipſi interitus neceſſitatem adfert. Enimuerò vt bono optato potiatur, omnem moleſtiam, omnemque laborem deuorat, miſereque ſuſtinet: quare neceſſariò in perditionem ruit: frequentes enim huiuſmodi laborem accidiſſe comperias.

Per laborẽ ſæpe Scriptura malitiam deſignant.

Per *laborem* autem malitiam, qua ſibi ipſi infeſtus eſt, ſignificare videtur. Aut delineantur hoc loco hæretici, aliterque docẽtes: hi enim Scripturas ſtudioſè euoluunt, accurateque diſcutiunt, quò alios vna ſecum corrumpant & perdant. Fodiunt namque & contendunt, non quò margaritam inueniant, verùm vt perimant, aliiſque laqueum iniiciant.

Hæretici in perniciẽ ſuã vehementer laborant.

Vir peruerſus in ore fert perditionem.

Vir peruerſus & tortuoſus (cuiuſmodi inter alios eſt, qui in proximò accuſando peruerſo corde rem gerit) ore ſuo ſeipſum perdit. Idẽque rurſum, quod iniuſtis inſidiis proximum petat, nullo non tempore capiti ſuo foueam aperit, malaque fabricat. Theſaurizat denique ſibi ignem, quia ob prædictas cauſas ignis ſupplicium iure meritoque ſibi conciliat.

28. *Vir peruerſus mala huc illuc diſpergit, lucernamque dolo malo inflammatam accendit, nec non amicos ab amicis ſeiungit.*

Diaboli ingenium.

Eiuſmodi peruerſum virum diabolo non iniuria aſſimilaueris, ſiquidem facit pleraque eadem, quæ diabolus ſolet: nam & malum ab vno ad alterum tranſmittit, & diſſidia accendit, & amicos ab amicis alienos reddit, &

ſanctè

Digitized by Google

ſanctè inter ſe conſentientes à ſe inuicem diuellit.

Vir iniquus pertentat amicos, ducitq́ illos 29.
per vias non bonas. Qui oculos ſuos obfir- 30.
mat, peruerſa animo ille verſat: ſic quoque, qui labijs ſuis quoduis malum deſignat,
fornax eſt malitiæ: ſenectus quæ per vias 31.
iuſtitiæ incedere inuenitur, corona eſt exultationis.

Hoc loco *virum iniquum* diabolum vocat; hic enim eſt, qui homines tentat, callideque explorat, qui ex illis ſibi ſint ſimiles. Quoſcunque autem ad iniquitatem propenſos animaduertit, illos à virtutum ſemita, quam ingreſſi videbantur, ad vias non bonas, hoc eſt, ad turpes actiones abducit. Idem ille oculos ad vnumquemlibet hominem perpetuò defixos habet, accuratè obſeruans, qualinam animi vitio aut morbo iſte vel ille laborat. Ex motibus porrò externis, quod quærebat, deprehendēs tendit laqueos, nec priùs deſiſtit, quàm prædam comprehendat, hoc eſt, quàm hominem illum ad omne vitium & flagitium præcipitem trahat. Addit *labiis deſignare vel definire omnia*, quia prauis ſuggeſtionibus ſuis efficit, vt opere expleātur, quæcunque illi libita fuerint. Quare *malitiæ caminus* rectè appellatur. ſiquidem quem ſuis ille illecebris ſemel interceperit, eum in omnem mox malitiam pronum rapit.

Vir iniquus cur diabolo ſimilis.

Diabolus è geſtibus deprehēdit quo quiſque morbo laboret.

Firmans oculos ſuos cogitat peruerſa, &c.

CHRY-

Quibus artibus diabolus infirmos tentet.

CHRYSOST. Cum magnam diabolicæ nequitiæ partem ſuprà expoſuerimus, prædictis illa iam adiiciamus, quæ ſupereſſe adhuc videbantur. Inter alias igitur ſuggeſtiones hæc quoque ijs, qui dictis illius fidem habent, callidè proponit: hanc rem naturæ exigit neceſſitas: Carnis voluptas eſt res naturalis: illi ergo obſequendum eſt: Pecuniæ proueniunt ex Deo, illis ergo fruendum eſt. Aſt vbi hæc aliaq; ſimilia homini ſibi obnoxio perſuaſit, eò ſenſim illũ impellit, vt apud ſe glorietur, quaſi magnas iuſtitias iam perfecerit, & in viis iuſtitiæ pedem fixerit. Præ ceteris autem deliris ſenibus eiuſmodi conſilia & ineptias ſuggerere conſueuit.

32. *Vir patiens melior eſt forti; vir autem prudens præpotenti colono præſtat: vir denique qui iræ dominatur præſtabilior eſt illo, qui ciuitates expugnat.*

Cur melior qui iram, quã qui ciuitatem expugnat.

EVSTRAT. ANTIOCH. Qui imperat iræ, melior eſt illo, ait, qui expugnat ciuitatẽ. Nam vbi exercitus dux ciuitatem ſemel expugnauit, in ſuamque poteſtatem redegit, ſtatuit de illa, vt lubet. At cui cum animi perturbationibus & paſſionibus certamen eſt, tantiſper contra illas pugnare, eaſque ſubiugare compellitur, dum in viuis verſatur; vt quæ hominem nunquam infeſtare deſinant. Adhæc bellum inteſtinum multò periculoſius, multoq; difficilius eſt bello quouis, quod ab extero hoſte infertur. Paucis qui ciuitatem ſemel debellauit, à curis omnibus ſolutus

tus eſt. At verò animi perturbationibus obnoxius, cùm indefeſſò hoſte decertare debet. Magna proinde perfectio eſt aduerſus iram dominatū obtinuiſſe, magnumq; ſtratagema, contra iræ impetum præualuiſſe.

Animi perturbationes in hac mortali vita nunquã plene ſopiuntur.

ALIVS. Nihil æquè forte eſt, atque patiẽtia. Patiens enim nihil graue, nihil moleſtum à quoquam pati poteſt: eſt enim ſecundum animam impatibilis. Sunt qui in bellis ira opus eſſe putant; verùm ſi vſquam alibi, hic paſſionum cõpreſſione vel maximè opus eſt: quippe cùm hæc res multò felicius conficiatur per prudentiam & ſapientiã, quam manibus, aut corporis viribus. Sine patientia autem nulla eſt prudentia.

Patientia nihil fortius.

Bellũ facilius geritur prudẽti animo, quàm forti manu.

SCHOL. Veriſſima hæc Salomonis ſententia, fortiorem eſſe qui ſeſe ipſe vincat, quam qui mœnia expugnet, à Platone etiam vſurpata.

Et Boethius lib. III. cõſolat. Philoſophicæ metro V. *Qui ſe volet eſſe potentem, Animos domet ille feroces: Nec victa, &c.* Et Bapt. Mantuanus: *Fortior eſt qui ſe, quã qui fortiſſima vincit Oppida, nec virtus altius ire poteſt.*

Iuſtis omnia veniũt in ſinu: à Domino autem omne æquum & iuſtum proficiſcitur. 15.

Senſus eſt: Iuſtis omnia ex animi ſententia ſuccedunt: Scriptura namque multis locis rationalem animæ partem *ſinum* vocat, vt, *oratio mea in ſinum meum reuertatur*. Ex quo enim prauus motus naſcitur, in illud & ſuppliciũ quoque cadit. Interim iuſtitiam illam ex ſe non habent iuſti, ſed ex Deo, à quo omnis æquitas & iuſtitia proficiſcitur.

Pſ. 34. 13.

CAP. XVII.

1. *Melior eſt panis buccella cum voluptate animæq́; pace & tranquillitate, quàm domus plena multis bonis, cum lite & iurgio, aut victimis iniuſtis.*

POLYCHRON.

MElior eſt buccella, &c. Sublimior ſenſus ſententia eſt: præſtabilior eſt exigua cœleſtis ſapientia portio, quàm vniuerſa illorum ſapientia, qui Deo aduerſantur. Quin ab auaritia quoque ſententia hæc abſterret, & ad iuſtitiam prouocat.

2. *Seruus induſtria & intellectu valens, dominatum obtinebit in ſtultos dominos, idemq́; partes inter fratres diſtribuet.*

Gentium populus eſt ſeruus, ſed libertate donatus quam Chriſtus ſuo ſanguine mercatus eſt.

POLYCH. *Seruus* myſticè eſt Gentium populus, qui Chriſti cognitionem adeptus, diuiſit pietatem cum Iudæis fide ad Chriſtum conuerſis.

CHRYSOST. *Seruus* eſt populus Orthodoxus ex Gentibus, ad fidē conuerſus. Hunc enim Chriſtus ſuo ſanguine mercatus eſt. Hoc ipſo autem populus ille gētium prudēs effectus eſt: quia in Chriſtum credidit.

ALIVS. Populus qui antè peccati ſeruus extiterat, malitiæ valefaciens demonibus per Chriſti virtutē imperare cœpit, diuinorumq́ue myſteriorum & chariſmatum diſpenſator euaſit.

ALIVS.

ALIVS. Quæ Sapiens dicit, huc tendunt: ipſe etiam gentiũ populus inter fratres erit, & tanquam frater vna cum cæteris hæreditatis partem adibit. Vel tanquã pater veruſque herus principatum inter illos diſtribuet, & fratri vnicuique ſecundum internæ conſtitutionis cuiuſque rationem & qualitatem, ſpiritalem notitiam impertiet. Quemadmodum, exempli cauſa, Apoſtolus Paulus Corinthios lacte potabat, Epheſios autem ſolido cibo nutriebat. 1. Cor. 3. 2 Heb. 5. 12. & 14.

3. *Sicut argentum & aurum probantur in fornace: ita Dominus electorum corda explorat tribulationis igne.*

Ad virtutis demonſtrationem iuſti interdum rebus afflictis & triſtibus inuoluuntur: idque non tam ad pœnam, quàm ad probationem, perfectamque purgationẽ; ſicut Iob quoque probatus fuit. Hæc autem cordis probatio fit per tẽtationes, cruces, & afflictiones. *Plures exſtant cauſæ, cur nonnulli affligãtur.*

4. *Malus morem gerit linguæ iniquæ: iniuſtus itidem labijs mendacibus attendit.*

Ergo non tantùm praua loqui peccatum eſt, verùm prauis quoque linguis aurem præbere, cum certa malitia, & iniquitate coniunctum eſt. Per *malum* autem *hominem*, hęreticum hoc loco inſinuat: per *linguam* verò, impia illorum dogmata. At veræ Eccleſiæ filij, & frugi operarij ad illa non attendunt. Per *auditionis* autem vel *obedientiæ* verbum voluntarium improborum hominum ſtudium hoc loco deſignatur. Neque enim obedirent, niſi vellent. *Et praua loqui, & prauis linguis aurem præbere. peccatum eſt.*

Homo fidelis, quidquid in pecuniys ornamenti eſt, id totum poſſidet: perfido autem ne obolus quidem ſuppetit.

Omnia poſſidet, qui omnia propter Chriſtum aſpernatur.

DIDYM. Vniuerſa ſuperlunaris mūdi cognitio hic adumbratur: aut indicatur hic, qui omnia propter Chriſtum aſpernatur eum omnia poſſidere. Homo fidelis, qui circa illa, quæ in oculos incurrunt, ſtudium nullum ponit, perinde ferè comparatus eſt, atque ſi omnia poſſideret. At verò qui circa id genus rerum ſollicitè occupatur, eſt quaſi nihil rerum omnium obtineret. Nam qui argento auidè inhiat, argento nunquam impletur. Aut vir fidelis mundi huius rationes, quæ *mentis opes* moraliter appellantur, probè cognoſcit, perſpectaſque habet: infidelis autem propter animi ſordes ne vulgaris quidem rei rationes aſſequitur.

5. *Qui deridet pauperem, irritat Deum, qui fecit illum: at qui interitui vicino aut miſerè alioqui afflicto lætus inſultat, non erit impunitus. Qui autē miſericordia pauperes proſequitur, miſericordiam conſequetur.*

Pauperibus inſultare cur graue peccatum.

Qui, inquit, pauperem deridet, Deum, qui fecit illum, ad iram prouocat. Siquidem deridet ſapientem Dei gubernationē. Qui autem de alterius perditione lætatur, ipſe quoque interitui obnoxius fiet, & tandem interibit. Qui autem pauperem miſeretur, miſericordiam conſequetur. Sed cur, inquis, Deum illi miſericordiam exhibiturum aſſerit, qui pau-

peri

peri miſeretur? quia fecit eum eius conditionis vt eſſet pauper, tuque in illum miſericordiam exerceres. Quis ergo ita immanis, omniſque humanitatis ita oblitus fuerit, vt eum ludibrio habeat, cui cōdolere & compati meritò debebat. *Cur pauperes fecit Deus?*

6. *Corona & gloria ſenum ſunt filij filiorum: gloria autem & ornamentum filiorum ſunt patres & maiores eorum.*

Senum, hoc eſt, doctorũ ſapientumq́; virorũ corona & ornamentum, ſunt auditores dicto obſequentes, orthodoxæq́; Eccleſiæ alumni.

7. *Non conueniunt ſtulto labia fida; neque iuſto labia mendacia.* 8. *Gratiarum virtutumq́; merces, ijs præſertim, qui rectè ea vtuntur, eſt morum doctrina. Quocunque autem eiuſmodi doctrina inſtructus ſeſe verterit, proſperè ſemper incedet.*

POLYCH. Non ſtulto conueniunt labia fida, neque iuſto labia mēdacia. Vterque enim cogitationibus ſuis diſſentanea loquitur. Veritatis porrò finis, & quaſi ſcopus eſt morum diſciplina. Eapropter vbicunque virtus verſatur vel exercetur, ibi morum quoque diſciplina adeſt. Diſciplina autem moralis eſt virtutum merces, quas gratiarum nomine hîc appellat. Quicunque igitur virtutum curriculum confecerit, ille moralem ſapientiam, quaſi laborum inſumptorum mercedem conſequetur. *Moralis diſciplinæ cognitio virtutis eſt præmium.*

9. *Qui iniuſtitias tegit, quærit amicitias: qui autem celare detrectat, amicos omnes & domeſticos contra ſe concitat.*

CHRYSOST. Qui per virtutes vitia ſua abſcondit, Dei amicus efficitur. Diſce hinc, cuiuſmodi ſit illud quod nos cum Deo præcipuè conciliat nempe, cum faſtu ſe non extollere, neque peccata admiſſa arroganter in vulgus proferre, ſed virtutibus ea tegere, & quaſi obruere. Nam cùm natura ita cōparati ſimus omnes, vt facili negotio in peccatum aliquod prolabamur; dominus pro ſua miſericordia oſtendit nobis viam, per quam peccatum ſoluamus, & detrimentum inde conflatum coram Deo aboleamus. Igitur per iuſtitiam celamus & abolemus iniuſtitiã: per temperantiam & caſtitatem, laſciuiam & intemperantiam; per dilectionem & caritatem, odium & ſimultatem. Pari modo in reliquis ſpiritalem amicitiam, hoc eſt, ſanctam notitiam comparamus. Qui aliena peccata diſſimulat, quærit amicitias: qui autem reuelat, omnes contra ſe excitat.

Vitia per contrarias virtutes tegenda, ſi Dei amicitiam comparare & retinere volumus.

10. *Minæ cor prudentis concutiunt, & quaſi conterunt: ſtultus autem cæſus non ſentit. Im-*
11. *probi & nequam ad vnum omnes ſuſcitant controuerſias & contradictiones: Dominus autem crudelem angelum aduerſus eiuſmodi emittet.*

Vir prudens, inquit, ob diuinas comminationes corde conteritur: & reſipiſcit: ſtultus autem

Stultus per diuinas moni-

autem ne fame quidem, aut alia clade aut tentatione pulſatus ſentit, aut ad frugem ſe conuertit, ſed in malitia obſtinatè perſiſtit, adeóque diuerſis malis, vindictæque incommodis vltrò ſeſe inuoluit.

tiones non mouetur.

Virum intelligentem variæ exercent curæ & ſollicitudines: at ſtulti commentantur & excogitant mala. 12.
Qui reddit mala pro bonis, ab illius domo mala non recedent. 13.

Iniquus, ait, (cuiuſmodi eſt, qui beneficium acceptum maleficio compenſat) continuis inuoluitur malis, & meritò. Nam ſi is pœnam meretur, qui malum pro malo reddit, quantò magis ille pœnæ malum experietur, qui malum pro bono reddit.

Principatus iuſtus orationi libertatem & poteſtatem impertit: diſſidium autem & pugna ad egeſtatem viam ſternit. 14.

Iuſtus enim, qui pro poteſtate, qua iuſtè fungitur, dicit, liberè dicit. Contentio autem & pugna contra iuſtum & æquum ſuſceptæ, inopiæ ſermonis ſunt cauſa. Difficile eſt enim contra apertam veritatem diſertum eſſe.

Iuſtitia orationi libertatem impertit.

Qui iuſtum pronunciat iniuſtum; vel è diuerſo iniuſtū iudicat eſſe iuſtum; ille immūdus & execrabilis apud Deum habetur. 15.

Iudicare hoc loco non refertur ad forum ciuile, ſed ad iudicium & ſenſum animę. Idem eſt hic enim iudicare quod *reputare*, vel *æſtimare.* Colligitur hoc ex eo quod apud Deum,

Nihil vero aut iuſto anteponendum. immundum & execrabilem illum eſſe prædicat, qui iuſtum iniuſtum iudicat, & contrà iniuſtum iuſtum. Monet autem per hoc Sapiens, ne quid vnquam iuſto aut vero anteponamus.

16. *Ad quid pecuniæ proſunt ſtulto, poſteaquam ſapientiam, vtpote excors, comparare non valeat?*

CHRYSOST. Senſus myſticus eſt; quorſum paganis aut hæreticis datur ſapientia, cùm ad damnationem ſuam illa abutuntur? *Magnæ opes, ſi deſit Sapientia, magis obſunt quam proſunt.* Opes ergo, ſi deſit ſapiētia, neque vtiles ſunt, neque ſalutares. Etenim ſenſu deſtituti opulenti, perinde ferè ſunt comparati, ac ſi quis æquum habeat, neque equitare tamen, aut equi habenas moderari ſciat. Dicit hoc autem Sapiens, non quòd diuites reprehendat, aut quod opum copiam incuſet, ſed quò à nimio habēdi ſtudio auaros abducat. Eſt enim idem ac ſi dicat: Quorſum diteſcere feſtinas, cùm ante omnia illud parare te oporteat; quod omnibus pecuniis præſtantius, & ad ſalutem animarum magis neceſſarium eſt, nempe ſapientiam.

17. *Qui domum ſuam in altum erigit, ruinam & contritionem quærit. Qui ea autē, quæ ſcire debet, diſcere detrectat, in mala incidet.*

Qui, inquit, cognitionem qua pollet, nimium effert, ille ab ea tandem deorſum deturbabitur.

CHRYSOST. Qui modicum excedit, in penuriam tandem dilapſus, deterior euadit. Vt domus, dum in altitudinem iuſto celſiorem erigitur, ruinæ periculo exponitur. (Fũdamenta namque impoſitam molem ſuſtinere non valent) ita in amentia quoque res habet. Cum enim rationis noſtræ baſi onus imponimus, quod ferre nequit, deorſum ruit. *Domus nimus altè erecta. ruina patet.*

18 *Omni tempore ſit tibi amicus: fratres autem vrgente neceſſitate vſui tibi ſint. Huius enim rei gratia naſcuntur & comparantur.*

Senſus eſt, neque in lætis, neque in triſtibus amicum deſeras: aut ſi quos tibi amicos parare volueris, tales parato, qui quouis tempore tibi adſunt. *Fidus amicus neque in lætis, neque in triſtibus eſt deſerendus*

ALITER. Qui eiuſdem ſunt ſpiritus, ſi quæ neceſſitas id poſtulat, generis ſui curam ſuſcipiunt, non in ijs tantùm quę ad virtutem conferũt, ſed in ijs quoque, quæ ad vitę communicationem ſpectant. Non à ſola natura fratrem ſpectare debes, verumetiam à beneficentia, vitæque inſtituto, hoc eſt ab ope vel auxilio, quod quacũque calamitate accidente tibi præſtat. *Veri amici in omnibus cõmunicant & ſe mutuo iuuant.*

Fratres autem in neceſſitate vtiles ſunt, &c.

Erunt namque calamitatis ſocij, tanquam qui eiuſdem tecum ſint ſubſtantiæ, eiuſdemque legis naturæ participes. Quod ſi quis in neceſſitate deſerit, nullum ille naturalis legis iudicium præ ſe gerit.

Digitized by Google

19. *Vir ſtultus manibus plaudit, ſtolideque ſibi blanditur: ſicut & ille quoque, qui certa ſponſione pro amico ſuo fidem ſuam obligauit, cùm tamen ardentem ignem ſuis ſibi labijs acciuerit.*

Qui alteri iniuſtè gratificatur, inquit, iudicem contra ſe incendit, ſibique certum detrimentum aſciſcit.

Non citra detrimenti periculum ſpondetur pro amico.

ALIVS. Qui propter adulationem, aut exiguum aliquod munuſculum pro amico ſpondet, neque excitat illum, vt debitum ſoluat, ignem conſumentem aduerſus ſeipſum theſaurizat, damnumque propter ſpõſionem minimè vulgare ſibi accerſit. Aduerte non ſimpliciter animum dicere, ſed *animum ſuum*. Cur non etiam inimico beneficium hoc præſtandum admonet? quia doctrinæ illius, quæ inimicos quoque diligendos tradit, necdum præidonei auditores erant. Ergo ne oratio præuaricationem conciliaret, inter amicitię limites rem definit.

20. *Peccatis data opera deditus gaudet rixis: duri autem cordis homini temerè non obtingent bona. Vir lubricæ mutabiliſque linguæ*
21. *incidet in mala: cor autem ſtulti hero ſuo dolorem parit.*

Incuſtoditi oris incautique ſermonis viri magnis obnoxij periculis.

Ante quoque dictum eſt Dominũ vias obliquas & tortuoſas ad homines peruerſos & tortuoſos mittere ſolitũ eſſe: Mobilis autem labiliſue linguę hominem eum hîc vocat, qui incuſtoditi oris, incautique ſermonis eſt, qui proinde

proinde facili momento in pericula prolabitur. At verò cor inſipiens non tam alteri, quàm ſibi, ſuoque Domino dolorem & calamitatem progignit.

Pater de ſilio rudi & indocto neutiquam lætatur: filius autem prudens gaudio afficit matrem ſuam. 22.

Quid ergo? An non patres omnes ſ le ſuſcepta prole lætos cernimus? nequaquam. Res enim iſthæc non conſtat natura, ſed gratia: neque enim natura lætitia eſt cauſa, verùm ſapientia: ſi enim filius patrem nõ lætificat, ob id non lætificat, quia ſapientiæ exors eſt: ſapiens autem lætificat. Res hæc ergo non eſt naturæ, vt modò dicebamus, ſed gratiæ.

Nõ quiuis filius lætificat patrẽ aut matrẽ ſed ſapiens tantum.

Cor lætum bonam corporis habitudinẽ conciliat: mœſtitia autem exiccat hominis oſſa. 23.

Cor lætum, &c. Multum in hanc rem ſtudium ponit Sapiens, & meritò. Nam ipſa etiam animi ægritudo & mœſtitia ad vitium ſpectat. Per cor autem lætum virtutum culturã deſignat. Pinguedine proinde, quæ à virtutum cultura prouenit, abiecta, animæ vires deſiccentur oportet. Per virum porrò triſtem, hominem ſtultum & excordem denotat.

Viæ viri, qui munera iniuſtè in ſinum ſuum excipit, non ſoſpitantur: impius autem à vijs iuſtis declinat. 24.

Perſtringit hic illos, qui ad legitimi iudicij euerſionem & deprauationẽ munera iniuſtè donant,

Munerum donatio & acceptio in iudicio

mala eſt, & multorum cauſa malorum. donant, vel acceptant, docetque tales proſperos ſucceſſus ſortiri non poſſe, quippe qui impiorum more à vijs iuſtitiæ apertè deflectant.

25. *Viri ſapientis vultus præ ſe fert prudentiam: at oculus ſtulti in ſummitate terræ graditur.*

Prudẽs ne verbo vel facto impingat cauet. Prudens ad hoc ſemper attẽdit, ne vel verbo vel opere alicubi impingat: at ſtultus quod rebus terrenis totus ſit addictus, terram toto animo amplectitur. Neque enim eo contentus eſt ille quod pedibus metiri poteſt, verùm mente per omnia diſcurrit atque vagatur.

ALIVS. Oculi ſtulti in ſumma terra gradiuntur, &c. Aduerte hoc loco, vt Sapiens altero periodi huius membro delineet hominem cautum apteque & quaſi ad numerum compoſitum: altero verò ſtupidum, & quaſi hiantem, omniaque ſtolidè circumſpectantem. *Oculi à curioſa inſpectione coercendi.* Non enim ob id oculos accepimus, vt indiſcriminatim in omnia, mala præſertim, promiſcuè & liberè illos ferri permittamus, verùm quò eos refrænemus, certumque terminum & menſuram eiſdem præfigamus.

26. *Filius ſtultus patri mouet iram: genitrici autem ſuæ parit mœrorem, animiq́ ægritudinem. Viro iuſto damnum inferre, neque bo-*
27. *num, neque honeſtum eſt. ſed neque ſanctum quoque eſt principibus iuſtitia ornatis inſidias moliri.*

Filius

Filius ſtultus cuiuſmodi eſt, qui ſimul ex malitia & inſcitia natus eſt, patri mouet bilem: eiuſmodi autem non habet matrem, tametſi natus ſit. Nam etſi omnis quæ peperit, ſit mater; nō omnis tamen, quæ mater appellatur, etiam peperit, eò quòd non omne quod naſcitur adoptionis ſpiritum ſortiatur.

Omnis omnino quæ peperit mater eſt: non omnis tamē quæ mater vocatur, etiam peperit.

ALIVS. Qui æquum & iuſtum iuſto adimit, aut iuſti diſcipulos, cùm rectè alioqui incederent, à plana & recta virtutum ſemita abducit, opus facit minimè bonum. Nam cùm iuſtus illos veluti peculium obtineret, iacturam eorum facere compellitur; qui autem principibus, tametſi iuſtis, inſidias ſtruit, rem tentat minimè tutam, imò verò magnis periculis expoſitā. Principes autē eos hic vocat, qui in Chriſto & per Chriſtum regnant.

Principibus inſidias ſtruere minimè tutum.

Qui cauet, ne quod durum verbum temerè profundat, prudens cenſendus eſt: quin patiens quoque vir prudens haberi ſolet. 28.

Virum patientem vel longanimum eum hoc loco vocat, qui ira non facilè commouetur. Verbum autem durum, dictum, vel factum, vel cogitatum, quod iram ſuſcitat, aut ſuſcitare natum eſt.

Amens ſi ſapienter interrogauerit, ſapiens reputabitur. Pari modo ſi quis ſtultus alioqui tacuerit, mutumq́ ſe finxerit, prudens habebitur. 29.

Cum

Sapientiæ expers non eſt, qui alios ante tradendã vel capeſſendam ſapientiã prouocat.

Cum, inquit, rudis rerumque imperitus de rebus aut ſententiis grauibus quæſtionem mouet, apud vulgares ſapientis opinionem ſibi comparat. Per *amentem* autem non denotat hic hominem ſtolidum, ſed rerum imperitum & indoctum. Sapientia namque non omnino nulla eſt, alios ad ſapientiam tradendam vel capeſſendam prouocare. Aut talis ſapiens reputatur, quia melior eſt qui interrogat vt diſcat, quàm qui nihil omnino quærit, nec diſcere ſtudet. Denique qui ſilentio imperitiam & ruditatem ſuam, vel alium quemcunque animi morbum tegit, is ſi non apud ſeipſum, certè apud alios prudens cenſeri ſolet. Etſi hoc interim ſat non ſit, vt ille verè ſapiens habeatur, qui ob inſtitutionis vitium rudis & indoctus eſt.

CAP. XVIII.

1. *Occaſiones quærit, qui ab amico vult recedere: at probro eiuſmodi omni tempore obnoxius erit.*

OCcaſionem vel prætextum appellat hoc loco peccata; amicos autem Sanctos, quibus per virtutum culturam coniungebatur. Tenebitur porro perpetuo probro obſtrictus, qui amicitia & ſtabilitate viuit deſtitutus.

2. *Non eget ſapientia mentis inops: magis enim ſtultitia ducitur, quàm ſapientia.*

Cur

Cur ita? quia magis dilexit tenebras, quàm lucem. Adhæc ſtultitia captus & occæcatus arbitratur ſapientiam ſibi non eſſe neceſſariam.

Vbi impius in profundum malorum ſemel deuenit, contemnit; aſt non impunè: ſiquidem opprobrium & ignominia inuadit in illum. 3

Etenim cùm toto nixu contendere debuiſſet, vt è peccati fouea tandē aliquando emergeret, adeo in id operam non dedit, ait, vt profundius quoque in illam ſeſe demerſerit: atque ita qui probro & dedecore palam afficiatur, iuſtiſſimè promeritus eſt.

Doctrina quæ in iuſti viri corde continetur, eſt veluti aqua profunda: eadem eſt quaſi fluuius ſcaturiens, ac fons vitæ. 4

Magna affluunt doctrina qui ſecundū Deum ambulant.

Cognitio qualis mente comprehendi non poteſt, latet in pectore viri ſecundum Deum ambulantis, quæ hoc loco fons vitæ, alibi fluuius pacis appellatur. Aut quæ dicit huc tendunt. Quando quiſpiam ſapientiæ verbum in cordis fundo vſque cuſtodit, neque cum aliquo illud communicat, efficitur in eo fluuius ſcaturiens, hoc eſt, maguus & profundus. Poteſt autem fons vitæ de vno nonnunquam verbo fluuium producere.

ALITER. Fluuius ſcaturiens eiuſmodi eſt, qui terram ſubiectam irrigat, largeque inebriat, & ad fertilitatem & vbertatē præparat.

5. *Perſonam impij in iudicio ſuſpicere, non eſt honeſtum: neque ſanctū rurſum eſt, æquum & iuſtum aliorſum in iudicio inflectere.*

Grauiter peccant qui iuſtè non iudicant. Alibi quoque ſcriptura de iniuſto iudicio grauiter conqueritur, oſtenditque quam graui peccato ſe obſtringant, qui iuſtè non iudicant. Per perſonam autem impij temporariam ſcelerati hominis proſperitatem hoc loco deſignat. Quæ enim dicit, huc tendunt. Ne mireris neque metuas fluxam illam improborum hominum felicitatē, neque æmuleris eam: non enim erit diuturna, nedum perpetua.

6. *Labia ſtulti in mala impellunt illum: at temerarium os eius conciliat ipſi mortem.*
7. *Os proinde ſtulti, ipſius eſt contritio, & ruina: labia autem eiuſdem, laquei ſunt animæ illius.*

Temeritas in mortem præcipitat. Temeraria audacia, & ea præſertim, quæ animam à manſuetudine ſeiungit, in mortem præcipitat. Porrò autem per *os amentis* ſtulta illius verba ſignificantur. Nam ſtultorum oratio à vera ſapientia eſt aliena, ſuumque authorem illaqueat, & in interitum trahit.

8. *Laboris timor ignauos deijcit: hominū autem mollium & effœminatorum animæ eſurient.*

Timor, inquit, deterret & deiicit illos, qui ignauia victi ab honeſtis actionibus alieni ſunt, neque aliquid, quod cum honeſtate cōiunctum ſit, aggredi vnquam animum inducunt.

cunt. Eſt autem hic ſermo non de Domini timore, ſed de ſeruili, cuiuſmodi eſt, qui labores & moleſtias formidat. Illorum autem animos effœminatos dicit, qui ſimul ſunt timidi, & audaces, vel in libidinem immodicè effuſi, aut nimium alioqui molles. Illi ergo tales panis vita eſuriem patientur.

Qui dicantur & ſint effœminati.

ALIVS. Effæminatus eſt, qui neque alios docere poteſt, neque ab aliis doceri vult.

ALIVS. Malorum & moleſtiarum, quæ ad virtutem practicã comparandam neceſſariæ ſunt, metus ignauos detinet, ne quid arduum quandoque aggrediantur.

ALITER. Vir qui voluntate & ſtudio mulier eſt, virtutem, quæ animam nutriat, nunquam aſſequetur.

Qui ſuis ſeſe operibus non ſatiat, ſimilis eſt illi, qui ſeipſum perdit ac diſſipat: 9.

Senſus eſt, qui vitam in malitia traducit, nihil ab eo diſcrepat qui ſeipſum perimit.

A fortitudinis magnitudine & excellentia Dominus nominatur: iuſti autem qui ad illum accurrunt, exaltantur. 10.

Deus præpotens magnarumque virtutum Dominus appellatur, taleſque efficit eos, qui ſeſe ad illum adiungunt. Per nomen autem Domini, Dei cognitio interdũ quoque ſignificatur. Ad illam iuſti accurrunt, &c. hoc eſt, per rectam inculpatamque vitam ad Deum accedunt, per contemplationem autem ab illo exaltantur. Aut quod dicitur, huc ſpectat:

Per Domini nomen interdũ ſignificatur Dei cognitio.

R Ex

Rom. 1. Ex rebus creatis, earundemque magnitudinē & pulchritudine Dei omnipotētia cognoſcitur, & magnificatur.

11. *Opes viro diuiti ſunt inſtar propugnaculi, munitæq́ ciuitatis: interim gloria & maieſtas ſunt, quæ eas plurimùm propugnant atque exornant.*

Etſi opes opulento validum præſidium adferunt, inquit, ſecundum ſe ſolæ tamen poſſeſſorem ſuum ſeruare non poſſunt, ſed opus eſt præterea arce & ciuitate, quæ & robore & gloria polleant, ſiquidem maieſtas & arces ſunt, quæ eas in tuto conſtituunt. Per ciuitatem autem munitam, myſticè eccleſiam accipere poſſumus.

12 *Cor hominis non prius exaltatur, quàm deprimatur & conteratur: nec priùs rurſum gloria potitur, quàm humilietur.*

Res periculoſa ſe exaltare: tutiſsima autem ſe humiliare.

Diſce hinc quanti periculi, onerisque res ſit exaltatio, gloriæque affectatio, & quantum rurſum bonū, humilitas, animique ſubmiſſio. Omnis enim, *qui ſe exaltat, humiliabitur.* Virum autem ſe exaltantem eum vocat, qui nulla à Deo ſcientia donatus, alios docere temerè aggreditur.

13. *Qui prius reſpondet verbum, quàm audiat, ſtultitiæ nomen, ignominiæq́ notam ſibi accerſit.*

Rectè poſuit *verbum*. Oportet enim proximi oratio-

orationem ad finem vſque expectare, ac tum demum ſuam ſententiam depromere.

Virum ira accenſum placat ſeruus prudens: puſilli autem abiectiq; animi virum, quis ſuſtinere poterit? 14.

Iuſtam Domini iram, qua contra peccata inſurgit, ſeruus prudens in præſenti vita facilè ſedauerit, ſi de peccatis admiſſis pœnitentiam egerit, vitamque ſecundum Domini voluntatem inſtituerit.

Quomodo Deus offenſus in hac vita placetur.

Abiecti autem animi virumquis ſuſtinebit?

His apertè oſtenditur ignauiam animique abiectionem ira deteriorem eſſe, ſiquidem iracundum vel domeſticus famulus, etiamſi nullam poteſtatem, nec magnam quoque dicendi libertatem habeat, temporis lapſu placauerit: at verò ignauia metuque laboris fractum nequaquam. Sæpe namque nimia Domini deiectio æquanimũ famulum vincit, & ad intempeſtiuas pœnas adigit. Propter hæc ergo ait: Parui animi virum quis ſuſtinebit? quaſi dicat; nullus. Aut puſillanimũ illum vocat, qui pœnitentiæ laborem detrectat, quique de peccatis tempore oportuno conteri recuſat. Quod ipſum quoque, ne pœnam ſubire cogatur, non expectat.

Ignauia vitium eſt deterius ira.

Cor prudentis poſſidet ſenſum: aures autem ſapientum quærunt cogitationem. 15.

Senſum hoc loco nè accipias naturalem vel externum, ſed diſciplinæ comparandæ idoneum, cuiuſmodi ille eſt, qui circa moralem vel naturalem philoſophiam occupatur, hoc

Senſus pro intellectu ſæpe vſurpatur.

Intellectus diuiditur in theoricum & practicum. eſt, intellectum. Deduci autem is conſueuit in practicum & theoricum. Theoricus circa rerum naturalium contemplationem intentus, inueſtigat cogitationem, hoc eſt, ſcientiam, & intelligentiam. Practicus autem circa vitæ actiones verſatur. Sæpe autem in hoc opere & præcipuè in hoc capite *agens & contemplans vita per ſenſum & cogitationem* deſignantur.

16. *Qui liberaliter donat, dilatabitur, & inter viros principes conſtituetur.*

Diuina ſapientia diffundit animum. Sapientia à Deo donata diffundit animum, ſuumque herum vnum è ſapientum numero eſſe oſtendit.

ALIVS. Quid hic audio? paulò ante aiebas, mala morte eum interiturum, qui munera donaret, vel acceptaret: quo ergo ſenſu iubes hic ea impertiri? Quia nihil periculi eſt, ſi iſte fuerit hilaris promptuſque ad donandum, ille contrà tardus minimeque pronus ad recipiendum.

ALIVS. Non conſtringetur ille, neque in anguſtum redigetur, qui largus fuerit in egenos & pauperes; quin potius vna hac via dilatabitur, viriſque principibus æquiparabitur.

17 *Iuſtus initio ſermonis eſt accuſator ſui; aduerſarius autem & iniuſtus à conuitijs & increpationibus orationem auſpicatur.*

Iuſti ſe accuſant, iniuſti alios. Qui iuſtè operari orditur, ait, ante omnia ſeipſum incuſat: aſt aliter, hoc eſt, impio & iniuſto familiarius eſt conuitia ingerere calumniaſque texere, quàm ſe accuſare, aut ad frugem ſe conuertere.

ALIVS.

ALIVS. Iuſtus, inquit, iuris ordinem anteuertit, ipſumque adeo iudicem præoccupat, ſibique addictum reddit. Nihil eſt enim, quod æqui iudicis animũ æquè offendere & inflammare ſoleat, atque obſtinata perpetrati criminis inficiatio: ſed neque eiuſdem rationis eſt quodque delictum qualitercumque fateri, atque toto animi ſenſu illud denunciare, & condemnare: hoc enim illo iudicem multò magis conciliat.

Controuerſias ſedat ſors, litemq́ue inter potentes natam dirimit. 18.

Sors quæ Matthiæ obtigit, obortam de Iudæ Iſcariotæ ſucceſſore controuerſiam ſedauit; & potentibus, nempe Apoſtolis, quem eligere deberet, præfiniuit. Sunt qui loco κλῆρος legant σιγηρός. vt ſit ſenſus: lites & contentiones vndecunque exortas hominẽ patientem & taciturnum facilè ſedare.

Matthias per ſortẽ diuinitus electus.

Frater à fratre adiutus eſt inſtar munitæ præcelſæq́ue ciuitatis. Idem rurſum veluti regnũ benè fundatum, robuſtus & potens eſt. 19.

Conſentientes inter ſe Chriſti diſcipuli & fratres erant, & tanquam regnum mille propugnaculis præſidiiſque munitum, validi forteſque erant. Paucis alter ab altero bona fide adiutus, inexpugnabilis euadit.

Frater à fratre bona fide adiutus inexpugnabilis eſt.

De oris ſui fructibus vnuſquiſlibet implet ventrem ſuum, deq́ue labiorum ſuorum prouentibus exſatiatur. 20.

Digitized by Google

Spiritalia animæ vẽtrem explent non corporalia aut ſenſibus obiecta

Sermonibus ſpiritalibus animæ receptaculum impletur, inquit, quandoquidem cùm externi ſenſileſq; ſermones, anima ventrem implere non queant, ſupereſt, vt ſpiritalibus alimentis vaſculum illud impleatur. Implet autem ventrem ſuum non homo ſimpliciter, ſed vir.

21. *Mors & vita in manu & poteſtate linguæ ſunt ſita. Quotquot dominantur illius, fructus eius comedent.*

Cuiuſmodi ſint linguæ manus. Sunt linguæ fructus eſt, ſana inculpataque doctrina.

Quando lingua loquitur mala & hoſtilia, mortem meditatur: quando vero bona, legem Domini animo verſat. *Manus autem linguæ* aliud nihil eſt, quàm illius ius vel facultas. Qui illi ergo, vt par eſt, imperabit, comedet fructus eius, cuiuſmodi inter alios ſunt ſana inculpataque doctrina.

22. *Qui inuenit mulierem bonam, magnã inuenit gratiam, magnamq́ue à Domino nactus eſt iucunditatem.*

Huc tendebat Chriſtus dum vxorem, excepta fornicationis cauſa, dimitti poſſe negabat, ſed & Ioſeph quoque, quod iuſtus eſſet, Mariam ſibi deſponſatam traducere noluit, ſed occultè dimittere. *Gratias* hic vocat progreſſus, quos facit, bonaſq; familię, quam curat, actiones.

23. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bona: qui autem detinet adulteram, ſtultus ſimul & impius cenſendus eſt.*

Per

Per mulierem adulteram ſublimiori ſenſu deſignat hic, aut curioſam fatalis neceſſitatis obſeruationem, aut malitiã, aut impiam prophanamque hæreticorum doctrinam. *Quid myſticè deſignet mulier adultera.*

Non abſque obteſtatione loquitur pauper: diues autem aſperè reſpondet. Vir ad amicitiam propenſus constantius amicitiam colet quam frater. 24.

CAP. XIX.

Melior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate, quàm diues, qui præ faſtu labia intorquet cùm alioqui ſit fatuus. 1.
Anima ſapientia deſtituta non eſt bona: qui pedibus feſtinat facilè impingit. 2.
Stultitia viri vias corrumpit, ſuoq́ corde Deum accuſat. 3.

Hic orationis ſuæ ſcopum manifeſtiùs exprimit. Indicat namque homines grauium ſcelerum catenis conſtrictos, improbarum actionum ſuarum cauſam, in cœleſte numen reiicere ſolere. Tenentur autem hoc errore & cæcitate, nõ modò impij & ſcelerati omnes, ſed permulti quoque rudes & ſimplices. Eſt enim ijs perquam familiare peccatũ, quod vltrò admiſerunt in Deum tanquam in verum auctorem transferre. *Impiorum quorundã propriũ eſt peccatum quod ipſi admiſerũt in Deũ reijcere.*

Diuitiæ multos conciliant amicos: pauper autem ab eo quoque, quem habere videbatur amico deſeritur. 4.

Digitized by Google

Diuitem hoc loco virum prudentem vocat, *pauperem* autem hominem prudentiæ dono deſtitutum. Quod ſi huc non tendit, exponit rem, quæ communiter accidere ſolet, illam neque laudans, neque vituperans, ſed ſolo indicio contentus, tanquam vulgò notam in medium relinquens.

Deſeritur ab exiſtente amico, &c.

Paupertas & opulentia nõ modo in rebus externis locum habent, verũ etiam in ſcientia, & virtutibus alijſque ſimilibus.

ALIVS. Hoc eſt, ab illo, qui priuſquam in paupertatẽ decidiſſet, amicus erat. Aut agitur hic de ſapiẽtia & cognitionis opibus: hę enim (quod virtutibus ornatæ ſunt) Angelorum amicitiam nobis adiungunt, à qua homo immundus & impurus, ſicut ab Angelo quoque, quem à puero cuſtodem acceperat, ſeiungitur. Hunc talem proinde ſecundum virtutem appellat pauperem; ſiquidem ſpiritalis amicitia virtute & cognitione nititur. Per has enim ſacris illis cæleſtibuſque virtutibus, & poteſtatibus conſociamur.

5. *Teſtis falſus haud impunis euadet: qui autem accuſat iniuſtè, promeritam pœnam non effugiet.*

Qui calumniis & ſycophantiis in iudicio vtitur, aut ſycophantis & calumniatoribus patrocinatur, pœnã non euadet, inquit, ſicut nec falſus quoque teſtis.

6. *Multi paſſim Regis perſonam obſeruant & colunt: interim improbi viro principi probrum & dedecus conciliant veriùs quàm gloriam.*

Qui-

Qui,inquit,externæ dignitatis vel auctoritatis rationem habẽt,illi in προληψίας & adulationis vitium facilè incidunt. At vir ſincerus & verax malis,cuiuſcunque tandem conditionis, aut qualitatis extiterint, non adulatur,neque ſeruiliter blanditur, ſed quoſcunque tales nouerit, palam reprehendit & corrigit. Admonet hic illos, qui aliorum obſequiis demulceri ſermonibuſque extolli ſolẽt, quales ſunt Reges,viriquẽ Principes,ne eiuſmodi aſſentatorios cultus ab improbis ſibi deferri facilè patiantur; cum nihil hinc fere aliud, niſi dedecus & probrum referre queant:nam ſiue pecunia aſſentator donetur,ſiue alia quacunque re,turpiter ſemper & ſordidè adulatur.

Principes ab aſſentatorum inſidijs ſibi caueant.

Multi regum perſonis adulantur,&c.

Chrysost. Vox hæc: *multi* vel *multus*, interdum abſolutè hominum multitudinem ſignificat,vt: *Multi ab Oriente & Occidente venient.* Nonnunquam verò, *Omnes*, vt: *Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi,&c.* Quandoque autem vulgares vel abiectos homines, & ſic hoc loco vſurpatur: & in illo itidẽ Apoſtoli: *Non ſumus vt multi cauponantes.* Dicit hic ergo adulatores probrum potius aſpergere regibus,quàm famã illorum illuſtrare. Porrò autem qui paret Regi, tanquam Regi, & non tanquam homini, ille laudabilis eſt: ſiquidem paret legitimæ poteſtati, legitimæque imperanti.

Matt. 8, 11.

Rom. 5, 19

Palpones & adulatores obſcurant potius quam illuſtrent.

2. Cor. 2. 17.

7 *Quicunque fratrem pauperem odio habet, is procul ab amicitia abeſt.*

Digitized by Google

Qui fratrem odit exteros magis oderit.

Si ibi, inquit, vbi natura hortatur & impellit, non obtemperat, neque ibi rurſum, vbi lex iubet, acquieſcit: quanto minus in iis obtemperabit, quæ procul ab amicitia ſunt poſita?

8. *Bona cogitatio ſe illis adiunget, qui norunt eam: vir autem prudens facilè deprehendet illum.*

Homo in hac mortali vita cõſtitutus nõ poteſt omnes & ſingulos lapſus declinare.

Qui magnos in virtutibus progreſſus habet, & cor purum poſſidet, & quantum in ſe eſt, ad omnem virtutis viam intentus eſt, hic & illam, & Dei præterea ſcientiam inueniet, neque tamen omnem prorſus malitiam conficiet. Fieri enim id non poteſt. Incidet enim interdum in quædam leuia, hoc eſt, in ea, quæ cum virtute conſiſtere poſſunt, cùm à labendi facultate necdum ſit prorſus exutus. Aut cogitationem, vel intelligentiam bonam appellat Chriſtum: is enim illis appropinquat, qui eum cognoſcunt, omniſque omnino homo, qui bona operatur, inueniet illum. *Prudentem* illum hîc vocat, qui omne bonum opus exercet.

Qui multa mala ſubinde perpetrat, paulatim ad malitiæ faſtigium pertinget. Qui autem verbis maledicis irritat, & ad iram prouocat, ſalutis iacturã faciet. Qui nactus eſt prudentiam, ſeipſum diligit: qui autem cuſtos eſt prudentiæ, inueniet bona.

Humana natura infirma &

Hæc Sapiens admodum ſcitè vereque proponit: cum enim humanæ naturæ infirmitatem

tem, eiuſdemque ad lapſum & malũ propenſionem, exploratam haberet, neque ignoraret, vt modò de virtute ad vitium, modo contrà de virtute ad virtutem tranſiret, eiuſmodi orationis rationem inſtituit. Qui, inquit, prudentiam, quod in ſe eſt, cuſtodit, inueniet bona. Eſt enim Prudentia virtutũ omnium initium, & quaſi parens: loquitur hic autem de illis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: in quę ipſi quoque Angeli mentis aciem defigere deſiderant.

ad lapſum propenſa.

Prudentia Virtutum omnium parens.

Iſa 64. v.4. 1. Cor. 2. 9

Teſtis falſus non erit immunis; qui autem malitiam incenderit, peribit in illa. 9.

Falſus teſtis, inquit, meritò per leges atque iudicia punitur: ſicut & ille quoque morte ipſa iure multatur, qui nullo non tempore in nequitia verſatur, in eaque ſeſe oblectat. Hoc autem loco mendacẽ, malitiaque flagrantem diabolum vocat.

Morte digni qui nunquam peccandi finẽ faciũt.

Vt homini ſtulto deliciæ non conueniunt: ita 10.
neque imperium quoque ſuperbo & arroganti ſeruo.

Sancti in continuis rerum ſpiritualium deliciis ætatem tranſigunt. Ad hos namque pertinet illud: *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* hæ autem deliciæ apud homines ſtultos & improbos nullum locum habent. *Poſtremum membrum legitur biſariam: vulgata editio habet:* καὶ ἐὰν οἰκέτης ἄρχηται μεθ' ὕβρεως δυναστεύειν. *Et ſi ſeruus cum ſuperbia dominatum cœperit exercere;*

Spiritus deliciæ apud ſtultũ nullum locum habent.

exercere: In commentariis autem ita legitur: κ̀ ἐὰν οἰκέτης ἄρξη μεθ᾽ ὕβρεως δεσπότου. *Et ſi ſeruus arroganter imperauerit Domino*; quod magis conuenit cum verſione Latina. Senſus autem myſticus eſt: ſi corpus contra mentem dominatum obtinere inceperit, non proderunt illi vllæ omnino ſpiritales deliciæ: ſiquidem corpus *ſeruum* appellat, *dominum* verò mentem in animæ regno ducis vel Principis munere fungentem.

11 *Vir miſericors eſt patiens: at gloria eius adoritur iniuſtos.*

Sunt qui ita exponunt: Viri patientis gloria eſt, iniuſtorum iniquitatem noſſe præterire ac diſſimulare. Vir enim miſericors & patiēs ita comparatus eſt, vt à quouis iniuriam malit accipere, quàm vllam omnino vlli inferre. Ad rem autem Chriſtus Dominus (quæ vnica illius eſt gloria) verè inuadit iniuſtos. Nam punit omnes illos, qui eum iniuria afficiunt. Poſſet quod hic dicitur, in hūc quoque modum exponi. Viro miſericordi patiente, gloriantur iniqui: ſiquidem nullius alterius eſt aduerſus æquanimos & patientes gloriari, quàm iniquorum.

Iuſto patiente exultant iniuſti.

12. *Regis comminationes ſimiles ſunt fremitui leonis: eius autem hilaritas eſt inſtar roris leniter ſuper herbas cadentis.*

Cur Regis minæ ſimiles rugitus leonis.

Regum minæ rectè leonum rugitui aſſimilantur. Nam ſi ita illis viſum fuerit, indicta cauſa ſtatim occidunt. Quis enim ſi voluerint,

rint, prohibebit eos? ſiquidem exequendi facultas adiuncta eſt voluntati.

Inſtar roris cadentis, &c.

Vt rex ira accenſus terret & nocet: ita ſedato pacatoque animo ſuos contuens, plurimum recreare & prodeſſe ſolet. Quamobrem Regibus ac Principibus parendum eſt, non modo propter metum vel iram, ſed etiam propter conſcientiam, vt Apoſtolus loquitur.

Regibus parendum eſt propter iram cum propter conſcientiam.

ALIVS. Quemadmodum res ſole ſplendente, ſenſimque aſcendente euaneſcit: ita regis hilaritas ſubditis palam declarata ardentē illius iram iam extinctam, planeque è medio ſublatam oſtendit. Regis minæ non iniuria comparantur leonis furori.

ALIVS. Nam etſi illorum interdum pœniteat eum, quæ per iram fortè deſignarat, hominem tamen nunquam vitæ reſtituet, quem furore accenſus iniuſtè peremerat: ſicut leo quoque nunquā eum exſuſcitat, quem primo impetu furioſè trucidauerat; atque hinc illius manſuetudo multùm obſcuratur.

Neque filius ſtultus honori eſt patri, neq; vota de meretricis mercede oblata ſunt caſta. 13

SCHOL. Extat elegans oratio Philonis Iudæi *mercedem meretricis non eſſe recipiendam.*

Neque ſtultitia, inquit, neque oblatio ex mala cauſa orta, neque animi impuritas, accepta ſunt apud Deum. Nam mercedis nomine, animæ conſtitutionem hoc loco deſignat.

Domus

14. *Domus & diuitiæ proueniunt liberis ex parentibus: vxorem autem marito conſociat Dominus.*

Dei munus ſingulare honeſtam vxorem obtinuiſſe.

Myſticè: Sapientia virtutiſque doctrinam impertiuntur Doctores: ipſam autem virtutem & ſapientiam largitur Dominus. Ad literam inſinuatur hìc, nuptias conciliare & inſtituere proprium eſſe Dei munus. Aut ſanè rem magnã eſſe probam honeſtamque vxorem obtinere, eamque probitatem & honeſtatem multis pecuniis potiorem videri.

15. *Timiditas detinet effœminatũ: anima autem hominis otioſi famem patietur.*

Significatur hic hominem immodicè timidum, vel minus quoque audacem, ad quoduis bonum opus ineptum eſſe.

16. *Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem vias ſuas negligit, peribit.*

Qui, inquit, mandatũ animæ à Deo impreſſum cuſtodit, cuſtodit animã ſuã. Etenim homo ad Dei imaginẽ conditus, nõ obliquas, aut tortuoſas vias ab eo accepit, ſed rectas: fecit enim Deus hominem rectum. Hæ ipſæ autem viæ, & præcepta, & viæ, & teſtimonia quoque appellantur. Præcepta quidem, quia mentem ad præcipientem dirigunt, & impellunt: Viæ verò, quia hominem iter ad Deum inſtituentem ſuauiter ducunt, & quò eundum ſit, clarè illi oſtendunt. *Teſtimonia* autem, quia in cœlo, & terra tradita ſunt. Quare mens, quæ ſuſci-

Viæ quas Deus oſtendit & viæ ſunt, & præcepta & teſtimonia.

pit

pit illas, vocatur teſtis, qui autem fallit, pœnas pendit.

Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperis: pro doni autem ratione & qualitate retribuetur illi. 17

Nam quæ in egenos conferuntur, ea perinde acceptat Deus, atque ſi in ſe collata forent. Quod ſi expectatum fœnus ſtatim non receperis, ne turberis: quantò enim magis ille ſolutionem prorogat, tanto auctior vſui a tibi obueniet, ſiue autem multum, ſiue modicum fuerit, quod donaueris, non tam ex muneris magnitudine aut qualitate ſpectabitur, & æſtimabitur merces, quàm ex animi diſpoſitione. Ait enim: *ſecundùm donum, vel, pro doni ratione retribuetur tibi.* Quin ipſe quoque Chriſtus, quod quis dederit, in centuplum auctum ſeſe redditurum alicubi promittit. Quapropter ſi ex puro feruentique corde, promptoque animo dederis, retributionem ab eo decies millies multiplicatam recipies: ſin aliter autem; hoc eſt, parcè, vt Apoſtolus loquitur, ſeminaueris, parcè quoque metes.

Quæ in pauperes conferuntur Deus perinde acceptat ac ſi in ſe oblata forent.

Deus magis ſpectat donantis mentem quam doni qualitatē.

Matt. 19. 29.

2. Cor. 9. 6

Erudi filium tuum, & frugi bonæq́ ſpei vir euadet: animo autem ne in inſolentiam te efferas. 18

Ne ſuperbè, ait, in aliorum iniuriam te efferas, ne fortè deiiciaris: ſiquidem Dominus ſuperborum & contumelioſorum domos deiicere ſolet.

Digitized by Google

19. *Vir malæ mentis & nequam mulctis mulctabitur multis: ſi autem læſerit, ipſam quoque animam impendet.*

Mentis prauitas per ſe minori pœna mulctatur quã ſi opus externum adiunctũ habent.

Vir, ait, peruerſæ mentis, grauibus mulctis mulctabitur, ſenſu nimirum & cognitione. Qui ſuam autem malitiã aliis aſperſerit, ipſe etiam naturali notitia, quam à Deo acceperat, deſpoliabitur.

20. *Audi fili diſciplinam patris tui, vti in nouiſsimis tuis ſapientia præſtes:*
21. *multæ cogitationes verſantur in corde viri, conſilium autẽ Domini manet in ſempiternum.*

Poſt rectam diuiniſque legibus conſentaneam vitæ inſtitutionem & conuerſationem, conſequitur cognitio & ſapientia, quæ ſenectuti magnum adfert ornamentum & præſidium. *Conſilium Domini, &c.*

Sapientiã magnũ eſt ſenectutis ornamentum.

Quamuis quiſpiam ſit fortis ac robuſtus: attamen mobilis incõſtantiſque animi plerunque exiſtit. Atque hac animi mobilitate & incõſtantia, humanus ſenſus & cogitatio, ſecernitur à conſilio Dei: hoc enim immotum ſuique ſimile ſemper perſiſtit.

22. *Magnus prouentus eſt homini eleemoſyna & miſericordia: melior autẽ eſt pauper verax & iuſtus, quàm diues mendax & iniuſtus.*

Diues mẽdax eſt hæreticus.

In quibuſdam exemplaribus legitur: *Pauper autem verax*, verùm hæc inter ſe non pugnant, etiamſi pugnare videantur. Siquidem diſcrepantia hæc magis eſt in verbis, quam in rebus: quan-

Digitized by Google

quandoquidem iuſtitia æquè eſt donum Dei, atque veritas ipſa, & vice verſa. Per diuitem autem mendacem eum accipias, qui notitiam & virtutem falſam habet.

Timor Domini conducit hominem ad vitam: 23.
at qui timoris expers viuit, ille in locis, vbi nulla exiſtit notitia, morabitur.

Qui pius eſt & Deum timet, & bona operatur, ille hinc recta ad vitam æternam tranſmittetur. At qui omni timore vacuus ætatem agit, ita vt Deum non curet, nec metuat, ille in inferorum tormentis commorabitur. Siquidem per *locum incognitum* deſignat infernum tanquam obſcurum, minimeque conſpicuũ. Aut qui vbique locorum circumuagatur, is ſortietur locum iniquis ſuis diſcurſibus conſentaneum.

Pij deniq. timentes & recte operantes hinc ad cœlũ euolant, impij autem timoriſque expertes ad infernum.

Qui manus in ſinu iniuſtè abſcondit, neque 24.
ori ſuo applicabit eas.

Qui, inquit, manũ in ſinu ſuo abdit iniuſtè, hoc eſt, aliena rapit & occultat, nunquam abundabit, quia cum ea ſemper ſterilitate & rerum penuria conflictabitur, vt illud quoque, *quod ori ſuo applicet*, hoc eſt, comedat, ei defuturum ſit.

Ignauo deeſt quod manducet.

ALIVS. Qui virtutes in actione poſitas hauſit, neque illas tamen in opus deducit, is verò germanoque alimento ſeipſum priuat.

DIDYM. Qui improbè viuit, manuſque contra animam iniuſtè abſcondit, neque terram ſuam excolet, quo tandem modo panibus

ille impleri quandoq; poterit? Siquidem virtutes circa actiones occupatę manuum rationem obtinent, vt quæ panem illum ori noſtro adferant, qui de cœlo deſcendit. Non poterit proinde talis, quod ſit piger & ignauus, vllum omnino frugi actionis initium comparare.

Non ſat eſt ad ſalutē Dei voluntatem nouiſſe.

ALIVS. Qui Dei voluntatem nouit, neque illam tamen facit, æternis bonis nunquam potietur, vt qui manus in ſinu ſuo turpiter abdiderit. Quamobrem qui nihil operis præſtat, nihil quoque habebit, quod in os ingerat. Adverte autem vt rudiculo ſchemate ignaui hic ingenium exprimat, nempe per manus in ſinu abditas.

25. *Peſtilente flagellato, ſtultus aſtutior euadit: quod ſi virum prudentem corripueris, intelligentiam mox capiet.*

Pœnæ diuinitus illatæ non modo inſipientes ad frugem reducunt ſed ſapientibus quoque proſunt.

Propter diſciplinam, hoc eſt, pœnam vel crucem, quæ propter opera diuinæ voluntati contraria, proinde à Deo interdum irrogantur ſtulti ad reſipiſcentiā prouocantur. Quin ipſi etiam prudentes Dei caſtigationem animaduertentes, prudentiores efficiuntur.

ALITER qui per praua opera aliis noxius eſt, is caſtigatus parùm cautos, prudentes cautoſque reddit.

ALITER. Prudentes hactenus à Deo corripiuntur & caſtigantur, quatenus rationis euidentia de aliquo errore reuincuntur.

Qui

Qui patrem dehoneſtat, matremq́ ſuam domo profligat, ille confundetur, omniq́ probro dignus cenſebitur. 26.

De patre & matre varia iam antè in medium allata ſunt: hoc autem loco per patrem mentem, per matrem verò ſenſus accipere poſſumus. Quæ enim dicit, huc tendere videntur. Qui rectas mentis ſemitas ſtudio repudiat, rectæque ſententiæ via deſerta in contrariam ingreditur, ille confundetur. Poſſunt hæc quoque ad hæreticos referri: illi enim veritatem repellentes, & falſitatem ipſi præferentes, patrem quidem Deum, quod in ſe eſt, dehoneſtant, matrē verò Dei eccleſiā irritant.

Hæretici patrem & matrē hoc eſt Deum & eius Eccleſiam aſpernantur.

ALITER. Qui patrem aut matrem inhonorat, omni dignus eſt ignominia & confuſione, vt qui naturæ hoſtē, omniſque honeſtatis inimicum palàm ſeſe oſtendat.

Filius, qui patris diſciplinā obſeruare negligit 27.
miſſamq́ facit, improbos ſermones animo
verſat. Qui fidem ſuam pro puero ſtulto 28.
obligat, iuſtitiam iniuria afficit. Os impio-
rum deuorat iudicia. Luxurioſis præparata 29.
ſunt flagella, ſtultiſque ſupplicia.

Per homines qui diſciplinam miſſam faciunt, eos hic accipe, qui, vt paulò ante dicebamus, ſententiis prauè maligneque excogitatis Dei filium negant, eundemque quod in ſe eſt, dehoneſtant. Pro eiuſmodi enim ſpondere, aut vllum omnino vadimoniū præſtare

Pueri ſtulti ſunt Hæretici quibus æternū paratum eſt ſuppliciū.

nefas eſt: multò verò minus inſaniſſima illorum deliria vanaque commenta recipere, vt qui Dei iuſtitiam aperta contumelia afficiāt. Nam & impurum illorum os recta iudicia euertit, & diuinorum Patrum dogmata aſpernatur. Quibus proinde hominibus tanquam laſciuis, & circa exactum doctrinæ rationem inſolentibus & incontinentibus, flagella & ſupplicia præparata ſunt.

ALITER. Qui præcepta diuina animo nūquam pertractat, immundas agitat eructatque cogitationes. Qui inſipienti quouis modo patrocinatur, iniquè agit: nam cùm ſtultus legitima intelligentia deſtituatur, quicunque ſententiam pro illo dicit, Legem iniuria afficit, vtpote opera operamque illi præſtans, qui contrarius eſt legi.

Spondens pro puero ſtulto, &c.

ALIVS. Per *ſponſionem* iuſtitiæ offenſionē, ſicut per *puerum* humanæ naturæ infirmitatem & cæcitatem deſignat.

Deuorat iudicia.

Quid ſit deuorare Iudicia. Hoc ideo dicit, quia impij ſua oratione & excuſatione vero iudicio tenebras offundere ſolent, ne videlicet ab ipſo iudicio redarguantur.

Parantur luxurioſis flagella, &c.

Luxurioſos hoc loco eos vocare videtur, qui committunt contra rationē practicam: *ſtultos* verò, qui contra rationem theoricam.

CAP. XX.

Res luxurioſa eſt vinum, & inſolens temulentia, quicunque per hæc labefactatus fuerit, non erit ſapiens. 1 *Comminatio regis ſimilis eſt furori leonis: quare qui eum exaſperat, aut negotijs illius ſeſe immiſcet, in animam ſuam peccat.* 2

SI vinum illorum eſt furor draconum, & contra, res vtique incontinẽs & luxurioſa fuerit ira: eſt eadem itidem res, vtpote homines intemperantes & incontinentes reddens, inſolens & contumelioſa, vt quæ ex ſanguinis efferuentia & animi furore præcipuè oriatur. Quamobrem Nazaręi, quò iræ expertes viuerent, à vino abſtinere iubebantur. Qui Regem ad iram prouocat, contra ſuam ipſius vitam illum prouocat.

Animi excandeſcentia & furor eſt quædam temulentia ſpecies.

Honorificũ eſt viro, ſi à conuitijs & maledictis ſeſe continuerit: quicunque autem mentis inops eſt, hiſce rebus ſeſe implicat. 3 *Piger probris impetitus nõ erubeſcit: ſicut nec ille quoque, qui triticum fœneratur in meſſe.*

Iure optimo tales probris impetuntur, palamque cõfunduntur, vtpote illa turpiter negligentes & intermittentes, quæ iure facere tenebãtur. Cum enim propter tẽpus aliorum magiſtri eſſe debuiſſent, facti ſunt, vt ij, quibus adhuc prima opus eſt inſtitutione.

5. *Etſi conſilium in callidi viri corde abditum eſt inſtar aquæ profundæ, attamen vir prudens exhauriet illud.*

Verſipelles conſilia ſua occultant.

Etſi, inquit, hominis verſipellis conſilium inſtar gurgitis, vel putei cuiuſdam ſit altum, nihilominus vir prudens exhauriet,& in manifeſtam lucem proferet illud.

6. *Res magna eſt homo: vir autem miſericors magni precij peculium eſt. Cæterùm, inuenire quempiam ex hominibus, qui vir ſit verè fidelis, id opus apprimè arduum & difficile eſt.*

Magni res momenti eſt homo & qua de cauſſa.

Res, inquit, permagna eſt homo, quippe qui ſecundum Dei imaginem & ſimilitudinem conditus ſit. Porrò autem ſi homo miſericordiam ſecundum vſum, reliquaſque virtutes complexus fuerit, ex magno pretioſus euadit. Interim quempiam è hominem numero inuenire, qui ob Dei honorem,& ex fide officium faciat, perrarum, magnæque difficultatis res eſt: ſiquidem *Tò opus eſt*, idem eſt hoc loco, quod arduum vel difficile eſt talem aliquem inuenire.

7. *Qui inculpatè in iuſtitia verſatur, ille liberos poſt ſe beatos relinquet.*
8. *Cùm rex æquus ſedet in ſolio, nullum malum in oculos illius ſe ingerit.*

Qui, inquit, iuſtitiam coram Deo & hominibus exercet, & ſeipſum & alios quoque, qui ipſam audiunt, ſaluat.

Cum

Cum rex iuſtus vel æquus, &c.

ALIVS. Regem iuſtum in throno ſedentem nullum alium hoc loco accipias, quàm Dominum gloriæ, quemadmodum quæ hinc conſequuntur, manifeſtè illud declarant: in cuius quidem regis cõſpectu nullum prorſus malum conſiſtere poterit.

Chriſtus Dominus Rex eſt per omnia iuſtus & æquus.

Quis gloriari audeat, mundum ſe cor habere, 9.
aut liberè dicere valeat, à peccatis immunem ſe eſſe?

Rarum eſt, inquit, reperire virum, qui in theoria & praxi ita excellat, vt nunquam impingat. Eſt autem duplex malitia, quæ virtuti opponitur: vna quæ practica virtuti aduerſatur: altera quæ theoricæ. Cæterũ, nomen hoc, *Quis*, quandã in hoc loco, vt alibi quoque, infrequentiam inſinuat. Eſt autem, quando non hoc, ſed quandã impoſſibilitatem ſignificat: vt: *ſi Deus pro nobis, quis contra nos?* eſt rurſum, quando interrogationis nota eſt; vt, *quis eſt iſte rex gloriæ?* eſt tandem, quando rem quandam certam & ſingularem denotat: vt, *homo quidam erat in terra Auſitide.*

Nomẽ quis trifariam in Scriptura vſurpatur.

Rom. 8, 31.

Pſal. 23.

Ierem. 25.

Statera parua & magna, aliaq; & alia men- 10.
ſura, vtraque coram Domino ſunt immunda: ſed ille quoque, qui facit ea, in ſtudijs ſuis præpeditur.

Mens mala doloſaque animi affectio, cuiuſmodi ea eſt, qua oratione quidem vtitur blanda & commoda, opus autem adfert nullum, tantùm immundum, execrabiles ſunt apud Domi-

Quid myſticè deſignetur per paruam & magnã menſuram aut per pondus duplex.

Dominum. Aut per paruam & magnam menſuram, in quauis re vel actione defectus & exceſſus denotatur: vtrumque enim adiunctum habet vitium: aut menſura duplici vtuntur, qui ab aliis beneficia accipere volunt, paria tamen reddere animum nunquam inducunt. Qui enim facit talia, in manuum ſuarum operibus impeditur, hoc eſt, nullum felicem ſucceſſum ſortietur.

Adoleſcens cum ſancto familiariter conuerſans rectam faciet viam ſuam.

Per adoleſcentem noua lex, quam gratis à Domino accepimus, hoc loco deſignata videtur: qui ergo cum ſancto, hoc eſt, cum viro ſanctitate & caſtitate ornato conuerſabitur, vitæ ſuæ ſemitas rectas inſtituit.

In vulgata LXX. Interpretum editione pars præcedentis verſiculi cum hoc coniungitur in hunc modum: ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτοῦ συμποδιασθήσεται νεανίσκος μετὰ ὁσίου, καὶ εὐθεῖα ἡ ὁδὸς αὐτοῦ. *Indicatur per hæc autem, viros ſanctos praua adoleſcentum ſtudia coercere & remorari, eorumque vias dirigere, & moderari. Fauet huic diſtinctioni latina verſio quoque: habet enim,* ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, &c.

15. *Et auris audit, & oculus videt, vtrumque autem eſt opus Domini.*

Vt oculus qui rectè videt, videt opera Domini; ita auris quoque, quæ rectè audit, audit mirabilia eiuſdem Domini.

Caue

Caue detractionem diligas, ne pereas: aperi 16.
oculos tuos, vt implearis panibus.

Oblocutionis vitium, quod periculoſiſſimum eſt, corrigere volens ſapiens nos hortatur dicēs: Neque diligas, neq; aſſueſcas obloqui: Aperi oculos tuos, neque multùm ſtertas, quin potius vigil & experrectus eſto ſemper. Per *oculos* porro ſublimiori ſenſu viros intelligentes & ſpiritales accipere poſſumus; vt implearis panibus, myſticis nimirum & viuificis.

Vitium obloquēdi periculosũ ac pessimũ

Malum eſt, malum eſt, dicit omnis qui emit: 17.
vbi autem abierit, tunc demum gloriatur:
extat aurum, extat pretioſorum lapidum 18.
copia, at plus vtroque honoratum organum
ſunt labia intelligentiæ: tolle veſtimentum 19.
eius, qui fide iubet pro alieno: ab eo autem
qui ſpondet pro alieno, pignus accipe. Sua- 20.
uis ſanè eſt homini panis mendacis: at ve-
rò ad finem implet os eius lapillis. Cogita- 21.
tiones firmantur per conſilium: per guber-
natorum autem induſtriam geritur bellũ.
Qui aperit conſilia ſecreta in conſeſſu, bi- 22.
linguis incedit. Cum eo porrò, qui dilatat
labia ſua, ne te miſceas.

SCHOL. *Horum explanatio in exemplo Catenæ; quo vſi ſumus, deſiderabatur: ſi quam ergo, qui hæc fortè lecturus eſt, expetit, is Paraphraſim noſtram Latinam conſulat.* Theodorus Peltanus.

Maledicenti patri vel matri lucerna extinguetur: pupillæ autem oculorum eius conſpicabuntur tenebras.

Legis iuſtitiam maledicto inceſſere cum damnationis periculo coniunctum.

Per *patrem* hoc loco accipe Deum, per matrem verò legis iuſtitiam; quos qui maledictis inceſſerit, aut aſpernatus alioqui fuerit, lucerna, hoc eſt, cognitionis lux, quæ in ipſo erat, extinguetur. Pupillæ autem oculorum eius videbunt tenebras, nempe futuri iudicij terrorem & obſcuritatem.

Pars ex initio feſtinat comparata: in nouiſſimis Dei benedictione deſtituetur.

Vitium incipit à voluptate & deſinit in dolorē: Virtus contra.

Malitia initio auidis faucibus haurit voluptatem; at ſub finem ſectatorem ſuum in maledictionem deiicit. Porrò autem virtus, quæ à labore exordium facit, deſinit tandem in benedictionem. Aut pars accelerata ea hic dicitur, quæ nimia feſtinatione & tumultuatione ſuſcepta eſt, iuxta illud: *Tunc feſtinauerunt principes Edom.*

Exod. 15.

Ne dixeris: Exigam ab hoſte pœnam: verum expecta Dominum, vt ipſe opem tibi ferat.

Ne teipſum vindices, inquit, ſed præſtolare Dominum, qui dixit: Da mihi vindictam, & ego retribuam.

Rom. 12.

Dominus ſtateram duplicem execratur, neque
23 *libra doloſa placet illi.*

Per duplicem ſtateram, peruerſam animi affectionem denotat, cuiuſmodi (vt paulo ante definiuimus) ea eſt, quæ ſermone quidem blan-

blanditur, re ipſa autem mordet, ſuiſque ſordibus inquinat. Vt cùm quiſpiam continentiam vel ſobrietatem commendat, aut ore quoq; tenus illi patrocinatur, & nihil interim minùs quam ſobrietatem vel continentiam ſectatur, aut in animo ſuo fouet. Eiuſmodi autem immundus & execrabilis apud Dominum habetur.

Quid ſit duplex ſtatera myſticè quam Dominus execratur.

A Domino greſſus hominis diriguntur. Quo enim modo morti obnoxius vias ſuas intelligere queat? 24.

Senſus eſt, qui mortalia & terrena adhuc ſapit, quomodo is rectam vitam intelligere, aut Domini vias ſanctificare, & conſecrare valeat.

Laqueum ſibi inijcit vir, qui ex proprijs facultatibus temerè quippiã Deo ſanctificat: ſiquidem poſt votum editũ inconſultè plurimùm contingit pœnitudo. 25.

Laqueus & pœnitudo, inquit, accidit viro, qui temerè de iis vota nuncupat, quæ bonam aliquam ſpeciem præ ſe ferre videbantur: quandoquidem poſt votum abſque deliberatione factũ editi voti retractatio & deteſtatio plerumque ſequitur, vt patet de Iephte, Anania, & Saphira, & aliis prætereа multis.

Votum inconſultè editum pœnitudo comitatur.

Diſſipat impios rex ſapiens, & inducet ſuper eos rotam. 26.

Ille, inquit, cuius *ventilabrum in manu ſua eſt,* Matth. 3.
vt ventilet paleas, illaſque à frumento ſecernat,

Quid ſit Rotam ſuper impios inducere. nat, rotam ſuper impios inducet. Per *rotam* autem ineuitabile ſupplicium, quod in peccatores apud inferos, conſtitutum eſt, denotat.

27. *Lux Domini & ſpiraculum eſt hominum, & lucerna quæ ſcrutatur ventris latebras.*

Ioan. 1. Lux Domini, ait, eſt vita hominum, illuminat enim *omnem hominem in hunc mundum venientem.*

Nihil extat in homine quod Deum lateat ne intimi quidē animi receſſus.

Et lucerna quæ ſcrutatur, &c.

Significatur per hoc nihil in homine vſque adeo abditum latere, quod Deo ſit obſcurum: quippe cùm ipſa etiam anima, vbi eam ſcrutatur, lux ipſi exiſtat, hoc eſt, æquè illi pateat, atque lux ipſa.

ALITER. Lux Domini, dicitur ſpiritus vel vita hominum, quia rationali vita præditis, vitæ cauſam adfert. Lux enim vita hominum erat. Hanc namque vbi Deus ſemel in hominis faciem inſpiraſſet, ſtatim in animam viuentem factus eſt. Cui quidem luci ex aduerſo reſpondet lucerna, quaſi quiddam minus, quæ tamen adeo potens & efficax eſt, vt abſcondita cordis rimetur, illaque illuminet. Cæterùm lucerna eſt lex illa, quæ ad Chriſtum pædagogus nobis extitit. Per *ventris* denique *receſſus vel penetralia*, occultas cogitationes hominis inſinuat.

28 *Miſericordia & veritas regem cuſtodiunt, & iuſtitia ſolium eius vndequaque munitur.*

Vbi-

Vbicunque adſunt miſericordia & veritas, ibi nihil adeſſe poteſt iniuſtum. Qui hæc ergo obtinet, ille cuſtoditur & munitur ab illis. *Vbi Miſericordia & Veritas, ibi viget Iuſtitia & Aequitas.*

29. *Ornatus iuuenum eſt ſapientia: gloria autem & dignitas ſenum eſt canities.*

Ecqualiſnam gloria eſt canities ſenū? cùm res hæc naturæ ſit effectus? Aut quis tandem ſenex eſt, qui in ſenili ætate hoc cultu non ornetur? Huc ergo tendit oratio: Quemadmodum canities ſenem reddit venerabilem, ita ſapientia iuuenem. *Canicies ſenem reddit venerabilem Sapientia iuuenem.*

30. *Liuores & contritiones occurrunt improbis, & plagæ in ventris illorum receſſibus infixæ hærent.*

Non tantùm ſecundum externam faciem cæduntur, & plectuntur improbi & ſcelerati homines, verùm etiam ſecundum cor: ſiquidem exterior hominis ſuperficies ſemel ſauciata ſanari poteſt: cor autem non poteſt, vt quod in intimis abditum lateat. Pertingunt ergo illorum ſupplicia, vſque ad cordis fundum. *Improbi exterius & interius à Deo caeduntur.*

CAP.

CAP. XXI.

1. *Sicut impetus aquæ eſt in manu Dei, ita cor regis. Solo enim nutu quocunque voluerit, inclinat illud.*

QVandoquidem multa iam ante de regibus diſſeruerat, oſtendit nūc alium eſſe Regem, regibus omnibus & principibus multò potentiorem, quippe qui ſumma facilitate, quocunque lubitum fuerit, vertere illos queat. Nam quæ ſcribit, huc tendunt, ſicut impetus aquarum iniectas ſtipulas vel frondes in omnē agit verſatque partem: ita Deus cor regis ad quodcunque voluerit, impellit. Stimulat autem cor regis à iuſtitia auerſum ad pœnitentiam vitæque frugem. Inclinat autem non vi, aut poteſtate vtens, ſed erudiens & inſtituens, ſuauiterque trahens, ita vt eò ſponte ſe vertat, quò Deus inuitat, omniaque ad Dei laudem & gloriam referat.

Quomodo cor Regis in manu Dei?

2. *Nemo non videtur ſibi iuſtus: at Dominus eſt, qui hominum corda expendit & dirigit.*

Quiuis, inquit, videtur ſibi iuſtus: ſiquidem homo in ortus ſui exordio inſons & rectus, & Deo familiaris, & quaſi domeſticus conditus erat: Dominus autem eſt, qui vniuſcuiuſque vias moreſque exploratos habet.

Primus homo rectus & inſons cōditus.

Fili, opus iuſtum, & oratio vera magis placent Deo, quàm cruentæ victimæ.

Hic

Hic rurſum rebus omnibus anteponit veritatem: quippe per quam omnibus vera iuſtitia obtigit: nam ipſe quoque dominus iuſtus & verus eſt. Inſinuat hac itidem oratione Sapiens cruenta illa, & legalia ſacrificia poſt iuſtitiam & veritatem exortas finem non habitura eſſe, omninoque ceſſatura. Quandoquidem prototypo iam præſente ſymbolicis iſtis, & vmbratilibus rebus nullus amplius locus apud Deum reliquus erat. *Veritas rebus omnibus anteponēda.*

4. *Superbus in irroganda iniuria temerarius & audax eſt: impiorum autem lucerna eſt peccatum.*

Temerariè audaces de iis plerunque gloriari ſolent, de quibus rubore affici meritò debebant. Impij enim ita comparati ſunt, vt ipſa etiam peccata honori ſibi ducant. *Impij peccata quæ perpetrat laudi ſibi ducunt.*

5. *Cogitationes robuſtorum tendunt in ſaturitatem & abundantiam: omnis autem præproperè agens fertur ad defectum & inopiam.*

Hic verſiculus in commentariis aliquanto aliter legitur, habet enim: λογισμοὶ συντέμνοντος πλὴν εἰς περίσσειαν: καὶ πᾶς ὁ μὴ ἐπισπεύδάζων πλὴν εἰς ὑστέρημα: id eſt, *Concidentis cogitationes ſolùm in abundantiam, at quiſquis neutiquam feſtinat, tantum in inopiam.*

Per *concidentis* autem vel *decurtantis cogitationes* eas hoc loco accipere poſſumus, quæ ex aduerſarij ſuggeſtione obortæ in boni quidem penuriam, in mali autem abundantiā cedunt.

Qui

Qui autem contra aduerſarij molitionem feſtinat, nulla alia de cauſa feſtinat, quàm vt ab oppoſito, hoc eſt, malo, liber euadat, bonis autem abundet & affluat.

6. *Qui lingua mendaci conficit theſauros, vana conſectatur, rectaque ad mortis laqueum tendit.*

Qui malis artibus ad opes cōtendit, in mortem ſeipsū præcipitem dat.

Qui, inquit, per falſa teſtimonia, aut mendaces accuſationes, aut falſas quoque rationes, pecunias coacervat, fruſtra laborat, ſeſeque in perditionis foueam vltrò præcipitem dat.

7. *Peſtis aut exitium apud impios morabitur, vt qui æquum & iuſtum facere nequaquam velint.*

Rectè hæc: neque enim calamitates & miſeriæ ab impietate diuelli, neque pœnæ rurſum & cruces ab ijs, qui iuſta facere detrectant, ſeiungi poſſunt.

8. *Homines peruerſos ad peruerſas vias amandat Deus: munda namque & recta ſunt opera eius.*

Peruerſi per uerſis vijs traduntur.

Docet hic homines improbos ad vias peruerſas, peruerſiſque hominibus dignas olim à Deo ablegādos: nempe ad ſempiterni ignis ſupplicia, quo viæ ſuę fructus ibi capiant, ſuiſque deſideriis ſeſe exaturent: Domini autem opera, & ſancta, & caſta, & vera, & recta eſſe.

In

In angulo ſubdiali habitare ſatius eſt, quàm in ædibus pictis, aut domo communi cum iniuſtitia. 9

Sensu myſtico (nam literalis ſatis eſt planus) *ſubdialis angulus* eſt ſecreta ſtudioſi hominis actio, à ſole iuſtitiæ illuſtrata: *domus* autem *picta* eſt malitia, virtutis colore veſtita, aut virtutem ſimulans.

Domus picta myſticè eſt malitia virtutis colore veſtita.

Anima impij, quæ deſiderio fertur ad mala, à nullo mortalium miſericordiam conſequetur. 10

Anima impij, quòd data opera, totoq; animi ſenſu rapiatur ad malum, nullam in futuro iudicio miſericordiam conſequetur.

Intemperante multato ſimplex redditur aſtutior, quin ſapiens quoque, ſi iudicio valet, cautionis notitiam hinc capiet. 11

Senſus eſt, dum mali, improbique homines propter ſcelera ſua puniũtur, pueri & indocti redduntur cautiores & prudẽtiores. Ad hunc quoque modum iuſtus in ſanguine peccatoris lauat manus ſuas, pœnaque illius animaduerſa, actiones ſuas expiat. Ita etiam meretrices in ſanguine Achab & Ieſabel ſeſe lauiſſe ſcribuntur. *Sapiens autem, &c.*

Pœna improborum officij ſui admouent alios.

4. Reg. 9. 33.

Sapiens, inquit, hinc admonitus, & quodammodo redargutus, dabit operam, ne ipſe etiam in eadem incommoda incidat.

Iuſtus impiorum corda intelligit, neque inſultat illis, dum verſantur in malis. 12

Iuſti erga impios & iniuſtos humanos benigneſq; ſeſe declarant: non ita autē impij erga iuſtos

Senſus eſt: Iuſtus impiorum facta non incuſat, nec inſectatur, nec aſpernatur, vt impius iuſtorum opera ſolet. Nam & falſas ſæpe accuſationes contra iuſtum intendit, & malis illum tametſi inſontem inuoluere contendit: quorum omnium nihil facit iuſtus: imo verò à malis illos abducere ſatagit.

13. *Qui aures ſuas obturat, ne infirmum audiat, & ipſe quoque opem implorabit, nec erit, qui exaudiat.*

Qui opē implorātes non audit nec ipſe exaudietur.

Non magna hoc loco opus eſt philoſophia aut explicatione: nam ſapientis ſermo per ſe clarus & manifeſtus eſt. Per infirmum autem accipe hominem rerum neceſſariarum præſidio deſtitutum, vel eum certè, qui ex fide laborat: notum eſt enim illud Apoſtoli: Infirmum in fide aſſumite, &c.

Rom. 14.

14. *Munus abſconditum auertit iras: qui autem in donis parcus eſt, fortem ſuſcitat indignationem.*

Miſericordia in egenos ſecretò exercenda

Videtur de iis iudicibus hoc loco diſſerere, qui dona captant, aut acceptant. Aut certè inſinuat miſericordiam ſecretò exercendam eſſe: indignationem autem concitat non vulgarem, qui hominibus largitionibus aſſuetis, aut pauperibus graui inopia laborantibus nihil muneris loco adfert.

15. *Gaudium iuſtorum eſt, facere iudicium: ſanctus autem apud homines impuros & facinoribus obſtrictos immundus habetur.*

Oble-

Oblectantur viri iuſti, ſibique & aliis quoque gratulantur, cùm rectum iudicium, in malos præſertim, & improbos homines decretum animaduertunt. *Impuri homines iuſtos impuros ſuiq; ſimiles iudicant.*

Sanctus apud improbos, &c.

Ex æquo namque iuſti virtus eiuſdemque actio apud improbos in vituperio & accuſatione eſt.

Vir qui à iuſtitiæ via aberrat, in gigantum cœtu requiem ſedemque capiet. 16.

Errat à via iuſtitiæ, qui aberrat ab Orthodoxa fide, vel à vita & conuerſatione Chriſtiano homine digna. In his enim poſitæ ſunt viæ iuſtitiæ: *gigantes* autem vel dæmones appellat vel hæreticos, vel alios quoſcunque à Deo alienos. Deſignat autem illos hoc nomine, quòd ad mala patranda præpotentes ſint.

ALIVS. Scriptura *gigantes* homines faſtu plenos, Deoque rebelles, & inſigniter improbos vocare ſolet: ſenſus eſt ergo. Annumerabitur gigantibus, hoc eſt, diabolis, vel hæreticis Deum oppugnantibus. Cæterùm nomen hoc *Gigas* tria ſignificat. Primò namque denotat hominem Deo ex inſtituto aduerſantẽ: vt, *Non recipiet quiſpiam à gigantibus ſpolia*: quod Symmachus reddidit παρὰ θεομάχων; *Deoue rebellibus*. Mox verò hominem vaſta corporis mole præditum: vt, *vidimus ibi filios gigantum, & eramus coram illis quaſi locuſtæ*. Poſtremò autem fortem vel robuſtum: vt, *exultabit ſicut gigas ad currendam viam ſuam*. Deut. 1. Num. 13. 34. Pſal. 18.

17 *Vir qui læta diligit, inops erit: qui autem amat vinum & oleum, diuitÿs cumulabitur.*

Mēs ſobria amat mūditiã, & iuſtitiam & miſericordiam.

Per *virum inopem*, ſobriam continentemque mentem deſignare videtur. Hæc enim lætatur cum iuſtis, & amicā habet munditiem, & eleemoſynam, olei nomine ſignificatam, inter præcipuas opes cenſet. At verò editio vulgata LXX. interpretum oppoſitum ſenſum innuit; habet enim; *Qui diligit epulas, in egeſtate erit & qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Cui editioni Hebræus quoque contextus, & Chaldaica Paraphraſis fauent. Quare in Græca verſione negationem deſiderari, probabile ſit.

18 *Purgatio viri iuſti, eſt iniquus: porro autem pro rectis legis præuaricator dabitur.*

Iuſti per iniuſtos purgātur.

Innuitur per hoc, iniquū, quaſi quiſquilias, & alui purgamenta apud iuſtum contemptibilem eſſe: vel iuſtos certè per iniuſtos purgari, hominesque ex legis pœna pro rectis pendere.

19 *In terra deſerta habitare præſtabilius eſt, quàm cum muliere rixoſa, linguace, & iracunda.*

Pſal. 62.

Et Dauid quoque ſcriptum reliquit: *In terra deſerta, inuia & inaquoſa, &c. Terra* hæc myſticè eſt virtus, quæ non habet priſtinos habitatores, neque homines ſecundum deſideria erroris deprauatos, ſed nouos & integros, adeoque inimicus homo diabolus non inuenit in ea requiem, iuxta illud: *Ambulat per loca arida &*

Digitized by Google

& inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit. Eſt enim ille rex omnium, qui in humidis & aquoſis locis degunt. Vnde & de ſapientia quoque ſcriptum extat: *Aquoſæ ſunt ſemitæ domorum eius.* Quod ſi hoc verum eſt, vt citra cõtrouerſiam eſt, mulier pugnax & linguax eſt malitia: hæc enim illum quo cum habitat, rixoſum, linguacem & iracundum efficit. *Lucæ 11.* *Diabolus locis humidis & aquoſis delectatur.* *Iob 40. v. 16.*

Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis: viri autem ſtulti deuorant illum. 20.

Qui verè ſapiens eſt, inquit, Diuina eloquia nunquam non in ore circumfert: amentes autem & ſtulti obliuioni tradunt illa. *Vere ſapiẽtes diuina eloquia ſemper animo verſant.*

Via iuſtitiæ & miſericordiæ inueniet vitam & gloriam. 21.

De ea *gloria* hic ſermo eſt, de qua ſcriptum eſt: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Deus namque hominum rectè ſtudioſeque operantium merita remuneratione quam impendit, multis partibus excedit. *Rom. 8.* *Dei præmia excedunt hominum merita.*

In ciuitates munitas aſcendit ſapiens, euertitque munitiones, in quibus impij confidebant. 22.

Hic rurſum per *ciuitatem munitam*, doctrinam ab orthodoxa fide & veritate alienam, aut improbos certè ſceleratorum hominum conatus & cogitatus accipe.

23. *Qui os ſuum ſuamque linguam cuſtodit, ab afflictione conſeruat animam ſuam.*

Qui cuſtodit os & linguam ſuam, à dãnationis periculo cuſtodit animam ſuam.

Qui, inquit, cuſtodit os ſuum à gula, crapula, & ebrietate, & linguam ſuam à ſtultiloquio & mendacio, is in futuro iudicio non affligetur, hoc eſt, in tormenta & cruciatus, quæ in futuro iudicio contra improbos decernentur, non deiicietur. Per *os* autẽ & *linguam* deſignat hic animam & mentem: per animam verò iram & concupiſcentiam, hoc eſt, patibilem animæ partem.

24. *Temerarius & arrogans & ſuperbus deſignãtur appellatione peſtis: qui autem memor eſt iniuriarum, vocatur iniquus.*

Quid interſit inter temerariũ arrogantẽ, & ſuperbũ: & cur hi omnes appellentur peſtis.

Hoc loco *temerarius* vel *audax* appellatur ille, qui quiduis indiſcriminatim, intrepidè aggreditur. *Arrogans* verò, qui citra vllum delectum quodcunque in buccam venit, liberè effutit, aut quidquid menti ſubit, ſtatim capeſſit. *Superbus* autem qui ſuam improbitatem aliis quoque affricare contendit, vel *ſuperbus* dicitur, qui ſuper id quod habet, ſe effert. *Peſtis* denique ob id hi homines appellantur, quia non ſolùm ſeipſos inficiunt, & perdunt, verùm aliis quoque animi ſui morbum aſpergunt.

Qui memor eſt iniuriarum, &c.

Si ille qui proximum diligit, cuſtos eſt legis, nullum vtique malum eiuſmodi amator proximo intentabit. At qui peccatis dat operam lapſuumque aliorum retinet memoriam, is præmium manifeſtè odit, adeoque iniquus, legiſque præuaricator rectè nominatur.

Deſi-

Deſideria pigrum occidunt: neque enim manus illius quicquam operari volunt. 25.

Enimuerò cùm actiones deſiderio ſuo conſentaneas,& quaſi ex ęquo reſpondentes nullas habeat, neque habere facilè queat, præ tædio quodammodo moritur, hoc eſt, animo vſque adeo deiicitur, vt vix vllum vnquã vitæ opus edat, aut edere inſtituat. *Ignauos fœda,& vana deſideria occidunt.*

Impius tota die improbis deſiderijs iactatur & agitatur: iuſtus autem prodigè & citra intermiſſionem largitur & miſeretur. 26.

Hoc loco diabolus *impius* appellatur, vt qui tota die homines impetat,& in peccata præcipites agere deſideret: *iuſtus* autem eſt Chriſtus: hic enim eſt, qui generis noſtri miſertus ſeipſum pro nobis in mortẽ tradidit. Angelorum proprium eſt, nunquam male concupiſcere, ſed ſemper bene (neque enim omnis concupiſcentia mala eſt, ſed quædam etiam bona, iuxta illud: *Si deſideras ſapientiam,ſerua mandata*) Dæmonum verò eſt tota die, totaque vita malis ſemper deſideriis æſtuare: Hominũ autem modò bona & iuſta, modò mala & iniuſta deſideria concipere. *Inter dæmones, homines & Angelos præter cætera hoc intereſt Angeli nũquã mala deſiderãt, aſt dæmones nunquã bona homines nunc bona nũc mala.*

Iuſtus prodigè miſeretur, &c.

Hoc eſt largè, & abſque vlla parſimonia: quia neque ex triſtitia, neque ex neceſſitate opem fert, egentibus: ſed lætè & liberè, & aſſiduè: ſiquidem *hilarem datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.

4 Dominus

27. *Dominus impiorum hoſtias deteſtatur: ſiquidem iniquè offerunt illas.*

Cur impiorum hoſtiæ ſordent Deo.

Impiorum & peccatorum oblationes ſordent apud Deum, inquit, quia neque ex recta & pia voluntate, neque ex iuſta quoque operatione proficiſcuntur.

28 *Teſtis mendax interibit: vir autem legi obſequens cautè loquetur.*

Cur diabolus teſtis falſus vocetur.

Teſtis falſus (vt alibi quoque indicatũ eſt) appellatur diabolus; nam hic ſemper præuaricatur, & præpoſterè agit, eaque nobis ſuggerit, quæ & Deo ſunt aduerſa, & à veritate aliena. Vir autem obediens eſt Chriſtus. Nam, vt

Philip. 2. Apoſtolus docet, factus eſt Patri obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

29. *Vir impius procaciter obfirmat vultum, vir autem rectus vias ſuas diſcutit & intelligit.*

Impius admonitus admonitionem contẽnit. Iuſtus vltro ſe diſcutit & corrigit.

Impius impudenter agit, quia eos nihil prorſus veretur, à quibus amicè admonetur, & redarguitur, quin potius omnem admonitionem, omnemque increpationem inſolenter aſpernatur. Rectus autem etiamſi à nemine admoneatur, aut reprehendatur, ſeipſum tamen examinat, & ſi qua parte opus videtur, emendat.

30. *Non eſt ſapientia, non eſt fortitudo, non eſt conſilium aduerſus impium.*

Com-

Commentarij legunt πρὸς κύριον *contra Dominum*: quæ lectio eſt melior, contextuique Hebræo, & vulgatæ quoque editioni conformior. Per hæc autem ſapiens, diuinæ ſapientiæ, fortitudinis & conſilij immenſitatem & profunditatem ob oculos ponit, quò nimirum auditores, tanta illa maieſtate audita & intellecta, dominũ laudent, ſapientiamque & conſilium & fortitudinẽ aduerſus hoſtes: qui ſub aſpectum non cadunt, ab ipſo petunt. *Dei fortitudo & ſapientia vt immẽſa prædicatur, & quare.*

Equus præparatur ad bellum: à Domino autem ſalutare venit ſubſidium. 31.

Sublimiori ſenſu per *equum* hoc loco inſinuat propheticum & ad erudiendũ idoneum ſermonem: cuiuſmodi is eſt, quo aliter docentes potenter impetuntur, apertoque confunduntur & reuincuntur: aut *equum* certè appellat mentẽ, contra vitia ſtrennuè pugnantem. *Mẽs cõtra vitia ſtrenuè pugnãs, equus bellicus appellari poteſt.*

CAP. XXII.

Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: gratia autem bona excellit aurum & argentum. 1.

Hæc ad bonam & honeſtam famam, ad bonam rurſum & honeſtam actionem referri poſſunt: vt ſit ſenſus: Bonam actionem quauis humana felicitate, & rerũ copia multis partibus præſtabiliorem eſſe. *Fama bona opibus præſtat.*

Digitized by Google

2. *Diues & pauper obuiauerunt ſibi: vtroſque autem fecit Dominus.*

Diuites & pauperes ſeſe mutuo ad gloriã & gratiã impetrandã iuuãt.

Diues per eleemoſynam expiat noxam, aboletque promeritam pœnam. Per hanc nimirum adeptus charitatem: pauper autem per humilitatem & egeſtatem caſtigatur, & eruditur. Vniuerſi itaque Deum agnoſcant & laudent, qui hunc quidem vult caſtigare & premere, illum verò diſtribuere & erogare.

3. *Cum prudentes promerita pœna nequam homines multari cernunt, præpotens eruditionis exemplum inde capiunt: at ſtulti qui clauſis oculis hæc pertranſeunt, in detrimentum incurrunt.*

Suppliciorũ cauſæ obſeruãda

Qui, inquit, ſuppliciorũ cauſas non inquirunt, illi boni & mali notitia, hoc eſt, ſcientia illa, quę quid eligi, vetariue aut reſpui debeat, tradit, mulctantur.

4. *Timor Domini parit ſapientiam, & opes & gloriam & vitam.*

Sapientia virtutum omnium mater eſt, & earundẽ rurſum ſoboles.

Timor Domini, inquit, generat ſapientiam, & gloriam, & ſpiritales opes. Cæterùm per ſapientiæ ortum, virtutes omnes inter ſe connexas indicat: vt quæ omnes ſapientiam habeant matrem. Aut contrà, Domini timorem ſapientiæ parentem eſſe ſignificat, aut ſapientiæ ſanè generationem, timorem Domini includere inſinuat: ſiquidem timor Domini iis ſunt opes & gloria & vita, qui poſſident illam.

Tribuli

Digitized by Google

Tribuli & laquei in vijs tortuoſis occurrunt: qui autem animæ ſuæ eſt cuſtos, abſtinebit ab illis. 5.

Tribuli & laquei, hoc eſt, carnis illecebræ, vitæque huius curæ in peruerſorũ hominum viis occurrunt, quas illi facili negotio euadũt qui virtutem ſtrennuè conſectantur.

Homines ſtudioſi carnis illecebras vitaq; huius curas facile diſcutiunt.

Initiare puerum iuxta viam ſuam, neque prius ab ea recedet, quàm ſenuerit. 6.

Cur ita? *quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu.* —— Horat.

Diuites pauperibus imperabunt; & ſerui dominis ſuis fænerabuntur. 7.

In futuro ſæculo, qui in omnibus ditati fuerint, in omni cognitione & ſapientia dominabuntur ijs, qui diuinis opibus deſtituuntur. Quod autem de *ſeruis fæneratoribus* hic dicitur, illud tanquam quiddam arcanius omittatur.

In altero ſæculo pauperes ſpiritu dominabuntur diuitibus quondam.

ALIVS. Qui ſecundum ſpiritum diuites ſunt, ijs dominantur, qui ſecundum ſpiritum inops ignauique exiſtunt. Ad litteram autem humanæ vitæ inſtabilitas, rerumque viciſſitudo hic delineatur. Quin in paucorum quoque potentum dominatu, diuites pauperibus imperant. Pari modo ſcientia ornati, ignaris & rudibus præſunt.

Qui iniqua ſeminat, mala metet, operumque ſuorum virus vulnuſq; ad finem ſentiet: virum hilarem & liberalem diligit Deus, operumque eiuſdem vanitatem conficiet. 8.

Qui

Qui in carne ſeminat, plagã operibus ſuis dignam ad finem demetet.

9. *Qui miſeretur pauperis, ipſe viciſſim nutrietur: vt qui egeno de ſuis panibus impertitus ſit.*

Qui alios docent ſe-ipſos erudiunt. Pſal. 36, 19.

Secretiori ſenſu: Doctores qui pauperes ſpiritu doctrina ſua paſcunt, ſeipſos vel maximè alunt: iuxta illud: *in diebus famis ſuis ipſi panibus,* (hoc eſt, ſua ipſorum doctrina, per quam nimirum, ipſi quoque ſuſtentantur,) *ſaturabuntur.*

Qui munera largitur, victoriam quidem & honorem ſibi comparat: interim acceptantium animam euertit.

Dona hominis ſunt virtutes, per quas animam ſuam dæmonibus, qui illam poſſidebãt, eripit.

Aufert vel euertit animam acceptantium, &c.

Munera corrũpunt Iudicis animũ, iura omnia peruertunt.

Siquidem munera iudicis vel Principis animum corrumpunt, & vt iuſtum & æquum ſiniſtrè adminiſtrent, efficiunt. En vt per largientis & captantis perſonam, pecuniarum contemptum inculcat. Neque enim is ſolùm damno afficitur, qui malè donat, ſed ille etiã, qui malè captat vel acceptat. Nam qui donat, aufert animam illius, qui accipit.

10. *Eiice concilio peſtilentem, & ſimul cum illo excedet iurgium. Cùm enim in ſenatorum cœtu ſedet, omnes dehoneſtat, paruique præ ſe pendit.*

Eiice

Eiice è doctrinę cathedra hominem prauis opinionibus, prauiſque actionibus imbutum. Eiice itidem ex animæ tuæ regno peſtilentem diabolum, neque ſolùm inde illum expelle, ſed odio quoque perſequere. Si enim ſedem in illa ceperit, omnes bonas illius cogitationes per innatam malitiam & immunditiam turbabit, & inquinabit. Apoſtolus namque animam per ea ipſa quandam concilij ſimilitudinem obtinere apertè oſtendit, per quæ cogitationes hinc inde excuſantes & accuſantes inducit.

Diabolus ad animæ penetralia miſſus, omnes illius cogitationes turbat & coinquinat.

Dominus diligit corda ſancta, acceptiq́ ſunt apud illum omnes, qui inculpatè in vijs ſuis incedunt. 11.

Quando cogitationes peſtilentes, quales ſunt, quæ à diuina cœleſtique virtute abducunt, ex animæ concilio, de quo modo dicebamus, excedunt: tunc demum corda noſtra efficiuntur ſancta, & inculpata, ipſique Deo & Domino noſtro grata & accepta.

Corda à prauis cogitationibus repurgata grata Deo.

Rex labijs paſcit: oculi autem Domini cuſtodiunt ſenſum. Veritatis porro doctrinam pro nihilo ducit iniuſtus. 12

Obſerua, vt reges & principes obliquè hic admoneat, ne imperij ſui robur in ſubditorum numero aut timore, aut pœna, aut ſeueritate conſtituat, ſed in ſua ipſorum prudentia, ſermonumque & exhortationum vi. Neque hinc tantùm illos ad officium faciendum inſtigat, verùm à diuina quoque prouidentia;

Imperij robur magis cōſiſtit in Regis prudētia quam in populi frequētia.

hunc

hunc enim *oculum Domini* hoc loco appellat. At verò iniquus legis præuaricator, per quem diabolus inter cæteros deſignatur, diuina eloquia aſpernatur, nulloque loco habet.

13 *Excuſat ſe piger & dicit: leo vias obſidet, in plateis verò graſſantur homicidæ.*

Hæc illorum eſt oratio, qui ad virtutis ſtudium ignaui ſunt: pæneque immoti conſiſtũt. Qui, inquam, ad virtutem deſes eſt dicere is ſolet: *leo eſt in via*, hoc eſt, ſatius eſt vulgariter & incurioſè viuere, quàm periculum aliquod propter pietatem adire. Per *leonem* autem deſignatur diabolus: hic enim eſt, qui virtutum vias obſidet: quin *homicidarum* quoque nomine dæmones haud inconcinnè adũbrantur: ſunt enim illi meri ſophiſtæ, & impoſtores: qui doctrinam de virtutibus inſtitutam è medio tollere conantur. At viri ſtudioſi ea oratione non vtuntur: ſed promptè ad comparandam ſapientiam & virtutem accurrũt: etiamſi eius rei cauſa periculo non vulgari ſeſe interdum exponere compellantur.

Ignaui in ſordibus malunt iacere quã propter virtutem laborare.

ALITER. Piger dicit: leo eſt in via, hoc eſt, dæmones, prauæque cogitationes impedimento mihi ſunt, quo minùs in Dei præceptis progreſſus faciam.

14. *Fouea profunda eſt os iniqui: quem autem Deus exoſum habuerit, ille incidet in eam.*

Legis præuaricator (quem Deo exoſum hoc loco prædicat) omnem omnino hominem incautè, lubriceque ambulantem à legis obſeruatione abducere contendit.

Legis præuaricatores à legis obſeruatione abducere contendunt.

Sunt,

Sunt viæ, quæ homini apparent malæ, neque tamen ab illis recedere ſatagit: quod ſi vitam diligit, ab tortuoſis eiuſmodi vijs ſeſe auertat, oportet.

Viæ, inquit, per quas impius continuò incedit, ſunt malæ & tortuoſæ: ſiquidem impij non vitæ aut ſalutis, ſed mortis & perditionis vias amant. *Viæ impiorum malæ & tortuoſæ.*

Stultitia inſixa hæret in corde iuuenis: virga autem & diſciplina procul ſunt ab ea. 15.

Qui moribus adhuc iuuenis eſt, ille temerè plerunque operatur : neque enim admittit morum diſciplinam, quæ ad conuerſionem vitæque emendationem & frugem illum adducere poſſet. Per virgam autẽ auerſio à peccatis non incommodè ſignificatur. *Iuuenes temerarij ſunt neq. morũ ſeruant diſciplinam.*

Qui pauperem calumniatur : diuiti autem in re minoris momenti plus quàm par eſt largitur, is mala ſua cumulatiora reddit. 16.

Impius cauillator citra rationem operi intentum calũniatur, ſuaque mala propter detorta iniuſtè in illum conuitia, iniuſtamque condemnationem auget: Diuiti autẽ etſi non factis, verbis tamen gratificatur, illum nimirum, quamuis ignauum & deſidem operoſo, honeſtæque vitæ ſtudiis addicto, calculo ſuo anteponens, cùm hic tamen illo multis partibus ſit præſtantior: aut hactenus pauperem calumniatur, quatenus de minimis peccatis eum *Pauperem calũniare diuiti autẽ blandiri multis modis cõtingit*

eum condemnat, diuitem autem quamquam ſceleribus nefariis obſtrictum excuſat, nec non illius flagitia & vitia extenuat, adeoque ſeipſum grauiori condemnationi obiectat.

Diabolus inique & per calumniam agit cum hominibus, adimit enim illis virtutes, & reddit vitia.

BASILIVS. Vide vt diabolus inique & calumnioſè nobiſcum agat. Adimit nobis virtutes, quas ipſi non dederamus, reddit porro vitia, quæ non petiueramus. Accipimus autem ab illo, tanquam ab eo, qui in virtutibus pauper eſt, donamus contra noſtras illi virtutes, tanquam illi, qui in malitia & vitiis diues eſt, idque cum aperto noſtro detrimẽto: ſiquidem quò quis plura illi donat, eò animam ſuam magis vulnerat. Aut ideo pauperum calumniator mala ſua augere dicitur; quia omnis qui calumniatur pauperem, aut aliũ quemuis hominem, tam in hoc præſenti, quàm in futuro ſæculo, ipſum diabolo diuiti quidem in minori vel deteriori, hoc eſt in vitiis & flagitiis, inopi autem in meliori, nempe virtutibus & cœleſtibus donis, in ſeruitutem tradit.

17. *Ad ſapientum ſermones adiunge aurem*
18. *tuam, & audi doctrinam meam. Applica ad*
eam cor tuũ, vti bona eſſe cognoſcas. Quod
19. *ſi illam demiſeris in cor tuum, non abſque*
iucũditate exundabit in labia tua, efficietque, vt ſpes tua in Dominum ſit defixa, & vias ſuas tibi manifeſtabit.

Sermo parabolicus Sapienti familiaris

Et ſi Sapiens parabolica oratione in hoc *Prouerbiorum* volumine familiariter vtatur, hoc tamen loco diſerte citra parabolam exhorta-

tur

tur. Quæ autem loquitur, huc tendunt: fili, incumbe lectioni, non obiter, aut perfunctoriè, ſed feriò & accuratè, magnoque animi iudicio & indagine. Per hanc & propter hanc enim lætabitur cor tuum, & recreabuntur labia tua, diceſque cum Pſalmiſta: *Quàm dulcia faucibus meis, Domine, eloquia tua, ſuper mel ori meo?* Pſal. 118.

Vt tua ſit in Domino ſpes, &c.

Dum tu, inquit, Domini eloquia ſtudioſè euolueris, erigeretur ſpes tua in illũ, hoc eſt, omnem ſenſum, omnemque mentem tuam in illum defixam erectamque habebis.

Tute autem trifariam illam ipſam doctrinam deſcribe: nempe, in conſilio, in notitia, & in cordis tui latitudine. 20.

Quæ à me expoſita ſunt, inquit Sapiens, trifariam deſcribe, inque cordis tui latitudine depinge. Vt enim homo ex corpore & anima & ſpiritu: ita ſacra Scriptura conſtituitur ex littera, tanquam ex corpore, ex tropologia tanquam ex anima, & ex anagoga tanquam ex ſpiritu. Ex ſenſu literali (quem vulgatam primoue obuiam editionem nonnulli appellant) ſimpliciores hauriant vtilitatẽ. Tropologiam autem ſeu ſenſum tropologicum illi percipiunt, qui mente aliquanto altiùs aſcendunt. At anagogam vel litteræ ſpiritum, qui ex ſublimiori quadam notione & conſideratione concipitur, ſoli perfecti aſſequuntur & eloquuntur. Exempli gratia, in aſina quæ ad caſtellum, quod ex aduerſo poſitum erat, ligata

Vt homo ex corpore & anima & ſpiritu vel mente conſtituitur, ita Scriptura ex littera, tropologia & anagoge.

Mat. 21. 2

Quid aſina cui Christus inſedit triplici forma deſignet.

tenebatur, Chriſtum ſeruatorem ſeſſorem habuit, primò omnium obſerua τὸ ῥητὸν, hoc eſt, hiſtoriam ſiue rem ipſam, ſimpliciter geſtam: mox verò ſecundum tropologiam expende, quomodo vt primum Deus Verbum ſuper illam, tanquam ſuper iugale iumentum aſcendiſſet, ſtatim iuxta rationis præſcriptum moueri, & incedere incæperit. Poſtremo autem, ſecundũ anagogam ſpiritalemue theoricam conſidera, humanam Chriſti naturam è loco ex aduerſo paradiſi poſito aſſumptam, quò imaginem illius ferens, qui extra paradiſum pulſus fuerat, nos denuo in paradiſum reueheret atque reduceret.

21. *Quò igitur ad ea, quæ tibi proponentur, veritatis verba adferre queas; & iterum atque iterum hortor atque admoneo, vt veram doctrinam & certam bonamq; notitiam ex me haurias & audias:*

Sermo meus, inquit, obedientiæ & cognitionis & veritatis doctrinam complectitur. Eapropter hinc ea haurire procliue tibi fuerit, per quæ de ea, quæ in te eſt, fide, & ſpe rationem reddere valeas.

22. *Ne vim adferas pauperi: pauper enim & miſer eſt: nec debilem in portis dehoneſtes*
23. *aut opprimas, ſiquidem Dominus iudicabit cauſam eius, tuq; ea ratione animam tuam innoxiam conſeruabis.*

Ne vi, inquit, opprimas pauperẽ: ſiquidem Dominus

Dominus iuſtè expendet iuſtitiam eius. Sed neque debilem quoque aut infirmum, qui rerum vel ſcientiæ penuria laborat, aſperneris: hac namque via ab æterna damnatione animam tuam tutam conſeruabis. *Dominus peculiarẽ pauperum curam gerit.*

Viro furioſo noli eſſe familiaris, neque cum amico iracundo commoreris, ne fortè diſcas vias eius, & ſumas laqueos animæ tuæ. 24.

Noli, inquit, verſari cum iracundo, ne diſcas vias illius, hoc eſt, ne vitium illud à ratione planè alienũ ab illo haurias & in habitum tranſmittas, adeoque in inexpiabile peccatum tibi cedat: hoc enim laquei vocabulo ſignificatur. *Periculoſa cum iracundis cõuerſatio.*

Ne perſonam cuiuſpiam veritus teipſum offeras ſponſorem: ſi enim non habueris vnde debitum ſoluas, vnum hoc reſtat, vt lectum lateribus tuis ſubſtratum in pignus auferant. 25.

Ne temerè, ait, de doctrina teſtimonium perhibeas doctoribus, nam ſi ad docendi munus ſat idonei non fuerint, rationem abs te depoſcent illi, quos inſtitutionis gratiâ ad illos adduxiſti. Et quidem quod ad morum doctrinã ſpectat, exigetur abs te actio, quod verò ad cognitionem, ſana & recta de Deo notitia. Cùm hæc antẽ præſtare non potueris, lectum lateribus tuis ſubſtratum, hoc eſt, ſpem animæ tuæ vires tegentem accipient abs te: ſiquidem per latera animæ facultates denotantur: vt *montes Sion, latera Aquilonis*: quin ſancti *Periculoſũ futuro paſtori aut doctori teſtimonium perhibere de doctrinã.*

quoque montes & latera Sionis, hoc eſt, virtutes Aquiloni obiectæ interdũ appellantur. Aut *latera Aquilonis* ſunt, qui viribus cõtra diabolum valent. Et hoc quoque ſenſu ſancti *mentes* virtuteſque Sion haud inconcinnè vocantur.

ALIVS: Ne dederis teipſum in ſponſorẽ, hoc eſt, ne quem veritus eò te induci patiaris, vt pœnitentiam differas. Nam ſi impœnitens mortuus ſemel fueris, nullum amplius pœnitendi ſpacium reliquũ tibi fiet, neque vllam deinceps inuenturus es quietem. Aut ne inconſultè pro carne vadimonium præſtes.

28. *Ne tranſmittas terminos æternos, quos ſtatuerunt patres tui.*

Patrum terminos trãsferre quis ſublimiori ſenſu dicatur

Patres hoc loco appellat mentis vires & facultates. Transfert autem is propriè patrum terminos, qui religionis metas & terminos pietatis tranſmutat in hæreſin, aut ſuperſtitionem, aut impietatem.

29 *Virum perſpicacem, ſuiſq; in operibus argutum & expeditum regibus aſſiſtere oportet; viris autem ſegnibus & ignauis nequaquam.*

Illuſtria ingenia in ſacris rectius & ſalubrius ſe occupãt,

Senſus eſt. Qui ad rerum, quæ exiſtunt, cõprehenſionem ingenium nactus eſt perſpicax, ille humanarum, materiaque concretarum rerum conſideratione miſſa, in Prophetarum & Apoſtolorum oraculis, tum in Chriſti Saluatoris myſteriis & dogmatis ſeſe occupare debet.

CAP.

CAP. XXIII.

Cum cœnam ſumpturus principis menſæ accubueris, magna attentione conſidera cuiuſmodi fercula tibi ſint appoſita, inijce in illa 1.
manum, ſed ita vt certò ſtatuas te quoque 2.
eiuſmodi præparare debere.

SI numero ſingulari *Dynaſta* legatur, vt quidam legunt, per *Dynaſtam* aut principem Chriſtum accipe; ſin autē plurali, *Dynaſtarum*, per *dynaſtas* viroſue Principes deſignatos æſtima Moyſen, cæteroſque prophetas. Per *menſam* porrò & fercula ſalutarem Chriſti Seruatoris doctrinam, æternæque vitæ præmia. Per accubitum autem ad menſam, quemuis fidelem doctorem facta honeſta dictaque ſalubria animo identidem verſantem, nec non diuina Chriſti Domini documenta fideliter tradentem. Per manuum tandem ad eſcas propoſitas applicationem, à bonis operibus exordium faciendum, ipſaque adeò re non verbis tantùm, veros nos Chriſti imitatores eſſe palàm oſtendendum ſignificatur: qui enim hanc viam non ingrediuntur, ſed ad fluxa vitæ huius commoda ſeſe conuertunt, fruſtrà æterna illa bona præſtolantur, quandoquidem nunquam illa conſequentur. Per menſam dynaſtarum prophetarum oracula deſignat.

Quid per dynaſtam, menſam, fercula, accubitū & manducationē apud Sapientem myſtice ſignificetur.

ALIVS. Horum autē auditores primo prādij ferculo contenti eſſe non debent, ſed porro procedere:hoc enim inſinuatur, cùm ſubditur: *Et iniice manum tuam*; quaſi dicat: Ne in ſola hiſtoria pedem figas, verùm ſecundum illam, eiuſque notitiam, virtutibus incumbas oportet, quò hinc animam tuam nutrias. Quod ſi inſatiabili ſtudio hiſtoriæ inhærens animam ab illa non abduxeris, nequaquā ſuaui menſæ huius fructu potieris: immo verò à ſolo hiſtoriæ contextu detrimentum capies: quippe cùm nō paucis locis ea prima fronte offerat, quæ ſunt falſa, neque cum veritate conſiſtere

Prou. 26. 9. poſſunt: vt cùm aſſeritur: *ſpinas in manu temulenti naſci, arbores iuiſſe, regemque creaſſe*, aliaque id

Iud. 9. 14 genus complura.

3. *Quod ſi inexplebilior fueris, eſcas illius ne cōcupiueris: plerumque enim cum mendaci vitæ hærent coniunctæ.*

Et poteſt vnus & idem rerū fluxarum & ſpiritualium voluptate ſimul potiri.

Sapiens congruè admodum hæc cæteris ſubiungit: ait autem: quod ſi expleri nequiueris, aut inſatiabiliter famueris, eſculenta illius caue concupiſcas: ſenſus myſticus eſt: ſi in Dei verbis, eiuſdemque donis, cum voluptatis ſenſu immorari non vales, neque verſari quoque placet, ſed inter hæc omnia in-

4. ſatiabili rerum mundanarum deſiderio adhuc teneris, amicorū illius catalogo adnumerari fruſtra deſideras. Cohęrent enim cibi illi vitę mendaci. Aduerte autem pronomen hoc *illi*, non eſſe referendum ad menſam, & diuina fercula in illa propoſita, ſed ad vana & fluxa

vitæ

vitæ huius commoda, quæ auari carniſque voluptatibus dediti nunquam inſatiabiliter non captant & conſectantur.

Si pauper fueris, ne cum diuite contendas, verùm prudentia tua vſus ab eiuſmodi contentione abſtineas. 4.

Condemnat hic eos manifeſtè, qui diuina myſteria æquè ſe explorata habere arbitrantur, atque Deus ipſe. Pauper enim ſecundum ſe eſt omnis omnino homo; ſolus autem Deus abſolutè diues eſt. Ne ergo Dei myſteria, quæ ratione perueſtigari planè non poſſunt, mẽte tua rimari fruſtra contenderis.

Pauper ſecundum ſe eſt omnis homo. ſolus Deus per ſe diues

Si oculum tuum intenderis in illum, nequaquam apparebit. Alis enim inſtar aquilæ inſtructus in præfecti ſui domum magna celeritate regreditur. 5.

Si intimam diuinæ mentis ſententiam ex ſolo Scripturæ verbo, hoc eſt, ex nuda hiſtoria vel litera comprehendere volueris, inquit, nequaquam illam conſequeris. Sublimis eſt enim & altum ſubuolat, neque poteſt is illum aſſequi, qui circa terrena & caduca adhuc volutatur. Aptæ ſunt enim illi alæ tanquam aquilæ, nimirum ſpiritalia chariſmata. In illam autem domũ, hoc eſt, in illius montem ſubmittere ſeſe ſolet, qui ſecundum veritatem, & ex toto corde exquirunt illum.

Intima Diuinæ mentis ſententia è ſola Scriptura ſuperficie deprehẽdi nõ poteſt.

Ne cum viro inuido cœnes; neque eſculenta aut poculenta illius deſideres. Neque enim 6.

7. *ſecus cibum & potum ingerit, quàm ſi quis filum abſorbeat, ne ergo adducas eum ad*
8. *te, neque bucceam tuam cum eo comedas: euomet enim illam, tuoſq́; ſermones tametſi bonos peruertet, præpoſtereque accipiet.*

Cur inuidi ad mēſam nō admittendi.

Loci huius ſcopus huc tendit: Ne facilè hominem inuidum ad menſam tuam admittas; nam cùm ingratus ſit, nullam dapibus tuis habiturus eſt gratiam. Sed nec priùs quoque ingerere & helluare deſiſtet, quàm ingeſta per vomitum abiecerit, hoc eſt, perinde ſeſe geret, ac ſi per vomitum euacuaſſet, aut pilum deglutiſſet, neque vllum illarum ſenſum capiet, ſed pro nihilo ducet. Sublimiori autem ſenſu per inuidum illiberalis abiectique animi hominem ſignificat: qui Scripturam diuinam aſpernatur, eiuſdemque maieſtatem contemptui ducit. Ne tali ergò, ait, myſticos Scripturę ſenſus aperias. Per pili autem exemplum aliter docentium doctrinam inſinuat, vt quæ venenum ſuggerat veriùs quàm alimentum.

Ne adducas eum ad te, &c.

Hoc eſt, ne cum homine hæretico aliterque docente, aut cum eo qui Scripturas deſpicit, nihilique facit, de Scripturarum ſententia conferas, aut in diſceptationem deſcendas: quandoquidem nihil prorſus diuinis Scripturis dignum ſapit.

Euomet enim illam, &c.

Per hoc apertè indicat, non de ſenſili, aut

cor-

Digitized by Google

corporea cœna verba hic fieri, ſed de myſtica & ſpiritali: quin tua quoque dicta peruertet, & ad præpoſterum aliquem ſenſum trahet.

Inſipientis auribus nihil quidquam ſecretò 9.
committas: ne forte prudentes ſermones tuos derideat.

Hic illud Chriſti Seruatoris inſinuatur ſimul & declaratur: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus.* Matth. 7.

Ne terminos æternos transferas, neque in 10.
pupillorum poſſeſsionem introeas: ſiquidem
Dominus, qui illos redemit, viribus valet; 11.
illorumq́; adeò cauſam aduerſum te decernet.

Illis, inquit, qui veteri parente diabolo orbati, hoc eſt, de illius ſeruitute & poteſtate iam erepti, Chriſto Deo noſtro, nouo parenti & conditori ſeſe adiunxerunt, nihil præter id quod lege cautum extat, inſtilles, neque terminos de pietate & religione à maioribus fixos loco moueas. Dominus enim potens & fortis iudex eſt, qui olim inter vos decernet, iudiciumque faciet. Qui etiam, ne quem ex paruulis, qui in illum credunt, ſcandalizemus feriò nos admonet.

Recens ad Deũ conuerſis nulla grauia onera imponenda.

Dede in diſciplinam cor tuum, ſenſuſque & 12.
intelligentiæ ſermonibus aures tuas accommoda.

Mancipa, inquit, cor tuum ad vſum & habitum practicum; vbi autem virtutem practicam feliciter aſſecutus fueris, tum demum contemplatricem quoque venare.

13. *Ne paruulum erudire & caſtigare deſiſtas, neque enim, ſi virga eum cecideris, ſtatim*
14. *occidet: quin immo ſi virga illum caſtigaueris, animam eius de morte eripies.*

Mēte adhuc puer diſciplina ſubijciendus.

Qui, inquit, mente adhuc puer eſt, morum diſciplinæ ſubiiciatur neceſſum eſt: quod ſi qua correctione opus fuerit, ea illi non ad mortem, ſed ad vitam cedet, quippe quæ eum à peccato & morte ſit liberatura.

15. *Si cor tuum fili ſapiens fuerit, & meum itidem cor gaudio afficies. Pari modo ſi labia*
16. *tua recta fuerint, cū labijs meis ſermonem*
17. *conferent ne æmuletur cor tuum peccatores: ſed in timore Domini eſto tota die.*

Prudens & accurata oratio tametſi longa tædium non parit.

Quando, inquit, diſceptatio fuerit prudens & accurata, nihil eſt metuendum, ne ſit nimis longa aut copioſa, aut quæ ſua prolixitate ſatietatem non facilè ſit paritura. Adhæc ſi ſermones tuos cum ſermonibus meis cōtuleris, meamque doctrinam & inſtitutionem ſecutus fueris, tum demum ſermones tui recti erunt, nam cum ex bonis initiis, probiſq; cauſis ſint orti, non poterunt non bonos cogitatus proferre. Secundum quoſdam autem indicat hic multos illum diſcipulos & auditores habiturum, qui vna cum bona doctrina bonam quoque doctrinæ methodum tenuerit.

Si

Si iſthæc, fili, cuſtodieris, non deerunt tibi 18.
nepotes, neque tua te ſpes fallet.

Per *nepotes* vel *filios* ſubindicat hoc loco bonas cogitationes, quæ vtique à bona mente oriuntur: eodem illo nomine ſpiritalia quoque theoremata deſignantur. Anima proinde ab eiuſmodi contemplationibus & cogitationibus vacua, ſterilis proliſque expers meritò appellatur. Proueniunt autem bona cogitata, ſalubriaque animi ſenſa à ſpiritali ſponſo, nempe Christo.

Bonæ cogitationes à Christo promanãt

Audi fili, & ſapiens eſto, & cordis tui cogi- 19.
tationes ritè moderare. Ne ſis bibax vini 20.
aut frequens in ſymbolis & carnium coemptionibus.

Eſt vinum quod lætificat cor hominis, nimirum, germanus diuinarum ſcripturarum ſenſus: qui hoc vino inebriantur, ab humanarum rerum cura & ſollicitudine ſeſe eximũt, eaque quæ Dei ſunt, ſapere incipiũt. Eſt aliud vinum bonum quidem illud, minus tamen potens videlicet Orthodoxorum Patrum doctrina: conſtat namque ſano palato hanc admodum vtilem & ſalutarem eſſe. Eſt denique vinum ex Sodomorum vite expreſſum, nempe malis venenis infecta hæreticorum doctrina. Eſt enim vinum illud ex amentia & ſtultitia concretum: quare ſcriptum extat: *amici noſtri inſipientes.*

Patrum doctrina vinũ ſcriptura minus potẽs.

ALIVS. Ne frequens aut prolixus fueris in ſymbolis, neque circa creophagiam, carniumque

niumue eſitationem multùm occuperis, hoc eſt, ne ſermonum qui à veritate alieni ſunt, ſerius auditor ſis, niſi ad hoc forſan, vt repræhendas, vt ante quoque dixerat: *Ne frequenter conuerſeris apud alienam.* Ad literam in eos hæc quadrant, qui arrogant ſibi ſapientiam, quam non habent. Nam licet hæreticorũ dogmata carnium more videantur ſolida, bonumque nutrimentum præſtare, non præſtant tamen: ſunt enim ſerpentina, adeoque neque recte nutriunt, neque facilè quoque digeruntur: quippe aſpidum virus in illis incluſum latet, & vua fellis eſt vinum illorum. Ne illa itaque audias, neque carnium coemptionem cures. Hactenus ſolum ea audire tibi promiſſum exiſtimes, quatenus hinc reprehendendi & refutandi occaſionem captes: habes vinum ex vera illa vinea expreſſum, nempe diuinarum ſcripturarum promptuarium: in illo vino te oblectes: ex illo ſitim tuam expleas.

Heretici nõ audiendi niſi hoc fine vt reprehẽdantur.

21\. *Omnis enim ebrius & leno, mendicabit: omniſq; ſomnolentus laceris detritiſq; veſtibus inducetur.*

Per veſtimenta hoc loco fidei dogmata deſignat, quæ quidem vir ſapiens alba & lucida ſemper habet. Stultus contrà & inſipiens detrita perpetuò & lacera illa deportat: defert namque tunicam ex fragili infirmaque carne contextam.

Mendicat omnis ebrius, &c.

Quia omnis talis ex Dei, in cuius dextera diuitiæ & gloria reſident, doctrina & ſapientia excidit.

excidit. *Leno* autem hic ille vocatur, qui cum ijs facit, qui ſpecie veritatis verum ſcientiam & ſapientiam adulterant, cœterique omnes, qui ex fornicationis vino ebrij ſunt, vino vtique tali, quod animæ lethargum, certamque mortem inducit.

Qui de Dei ſapientia excidit ſpiritualiter mendicat.

Hæreticorũ vinum lethargũ in animã inducit.

Omnis ſomnolentus laceris veſtietur, &c.

Qui, vt virtutem comparet, non aduigilat, inquit, neque ſobrietati operam nauat, is animæ ſuæ indumenta lacera & vilia oſtẽdit: ſordido enim, humique repente ſtudio illa diſrũpit atque diſcindit. Animæ autem veſtimenta ſunt recta & ſana dogmata, veraque & ſana eorundem ſentẽtia in opus & praxin diducta. Quæ quidem veſtimenta homo ſtudioſus, virtutibuſque ornatus nitida lucidaque adeptus omni tempore candidis nitidiſque indutus incedit, odioque habet tunicam carnis ſordibus contaminatam.

Audi fili, patrem tuum, qui te genuit, neque 22.
matrem poſteaquam conſenuit, contemnas
tuam: veritatem acquire, ſapientiam porro 23.
& diſciplinam & intellectum ne repellas.

Matris nomine hoc loco doctrina ſacra ſignificatur: ait ergo: quæ doctrina infirma & ægra tibi fortè videtur, ea ſecundum ſe fortis & robuſta eſt: excita proinde teipſum, & matrem ſanam, planeque vegetam inuenies. Tu enim tua negligentia & ignauia illam ſenilem & imbecillem reddis. Mens, inquit, & ſenſus animæ tuæ greſſus rectè pieque dirigant.

Sacra doctrina matris nomine quandoque deſignatur.

Pater

24. *Pater iuſtus honeſtè educat: de filio autem ſapientia ornato lætatur anima eius.*

Patrem iuſtum appellat hoc loco mentem veritatis doctrinā ritè diuidentem, diſerteque exponentem: ſenſus autem eius de rectis orthodoxæ fidei dogmatis lætatur.

25. *Exultent de te pater tuus & mater tua: gau-*
26. *deat de te, quæ te genuit. Præbe mihi cor tuum, fili, tuiq; oculi cuſtodiant vias meas.*
27. *Dolium pertuſum eſt domus aliena: anguſtuſq; eſt puteus alienus. Interibit is autem*
28. *citò, qui eiuſmodi eſt: ſed & omnis quoque iniquus tandem conſumetur.*

Chriſto multa ſunt matres. Matth. 12. 3. 12. Ioan. 19.

Hinc diſce multas Chriſto Domino eſſe matres, nam & quæ illum genuit, *mater* IESV appellatur: *& omnes* rurſum, *qui faciunt voluntatem patris eius, qui in cœlis eſt*, matres illius dicuntur. Quin ad Ioannem Euangeliſtam quoque dictum reperitur: *ecce mater tua*: cùm Maria tamen illum enixa non eſſet. Mater proinde non ea tantùm eſt, quæ parit, ſed illa etiam quæ nutrit, & quæ inſtituit, & quæ curat. At verò licet *mater*, & *quæ peperit*, non ſint prorſus idem: ſiquidem alterum altero latiùs patet: hoc tamen loco quaſi ſynonyma pro eodem vſurpantur. *Dolium pertuſum* & *confractum* accipitur hic pro vaſe, vel homine omni ſpurcitia & leuitate pleno. *Puteus* autem *anguſtus* pro eo, qui aqua viua, vitamque fundente non eſt fœcundus, ſed omni caligine cœnoque & luto refertus. Vſus eſt autem his vocibus Sapiens

propter

Digitized by Google

Propter eorum doctrinam, qui aliter docent, Vt quæ nihil contineat verum, nihil ſtabile, nihil illuſtre.

Cui iræ? cui tumultus? cui iudicia? cui triſtitiæ 29.
& ineptiæ? cui ſuperuacuæ contritiones?
cui liuidi ſunt oculi? nonne ijs, qui moran- 30.
tur in vino? nonne ijs, qui inueſtigant vbi
ſunt conuiuia?

Per *tumultus*, ineptias contritiones aliaque eiuſmodi vulnera ex animi perturbationibus orta ſignificat. Per hæc autem abſterret ab eiuſmodi conſortio vitæque cõſuetudine, quæ neque corpori, neque animæ quoque ſatis congruit. *Oculos* autem *nigros*, vel liuidos appellat cæcutientes & cadaueroſos, tenebriſque oppletos.

Ingentia incõmoda temulentiam aſſiduã comitantur.

Ne inebriemini vino, verùm in porticibus pu-
blicisq; ambulacris cum viris iuſtis fami-
liariter conuerſemini: quod ſi tantum in 31.
phialas & pocula oculos defixos habueris,
ad finem piſtillo nudior ambulabis.

In iuſtorum viis, inquit, conuerſemini, hoc eſt, in veterum monumentis & inſtitutis. In ſemitis planis veroque conſentaneis ſententiis & doctrinis verſari & ambulare, nec non in diuinorum eloquiorum inquiſitionẽ mentem conuertere oportet: non etiam ad peregrina, aliterque docentium placita ſpectare. *Piſtillo nudior*, ὕπερος eſt quoddam ſicci graminis fœniúe genus, quod propter naturalem

Mentem ad diuina eloquia, non ad peregrina hæreticorũ placita conuertẽdam.

lem debilitatem nudum & leue admodum exiſtis.

SCHOL. Adagium vide in Chiliadibus Manutianis: *piſtillo retuſius* ex Hieronymi quadam Epiſtola, & infra *piſtillo nudior* item *caluior*. Lege etiam ſi vacat Zenobij adagia edente Andrea Schotto S.I. centuria VI. adagio XXV. & alibi.

32. *Ad extremum namque veluti à vipera percuſſus, aut à ceraſte, cuius venenum latè mox ſeſe diffundit, ictus extenditur, mortemq; oppetit, ille nimirum qui phialas aſſiduo ſectatur.*

Vinū immoderatè ſumptum perinde ac virus planè perimit

Ad poſtremum, ait, & animæ & corporis mortem non ſecus à vino, quàm ſi à ceraſte, vel alio venenoſo ſerpente eſſes morſus, moriere: qui enim à ſerpente mordetur, morſus doloris initio vix ſentit: ad finem tamen perit. Eſt autem ceraſtes peſſimum & callidiſſimum ſerpētis genus. Etenim toto reliquo corpore ſub arena abdito, ſola cornua supernè promittere ſinit: hæc autē dum inſtar vermiculi ſubinde mouet & agitat, incautos volucres, alioſque animantes ad ſe allectat. Porro autem vt primùm ad cornua, tanquam ad certam eſcam aduolauerint, vel adrepſerint, ſtatim illas intercipit & interimit.

SCHOL. *Ceraſtes*, παρὰ τὰ κέρα à cornibus dicitur ſerpentum è numero: de quo Lucanus lib. IX. Pharſal. —— *Spinaque vagi torquente ceraſta.* Et Plinius, ac Nicander doloſum eſſe, arena ſe condere, & oblata necare. Meminit & Prudentius poëta, & Statius Papinius, quem locum explicat Franc. Modius Epiſt. LII. in Nouantiquis.

Cum

Cum oculi tui viderint alienam; tunc os tuum 33.
loquetur peruerſa : iacebiſq́; velut in corde 34.
maris: & tanquam gubernator clauo deſti-
tutus in magna tempeſtate.

Non ſolùm ad meretricem transferri hæc poſſunt: verùm etiam ad quamuis aliam prauam animi cupiditatem: cùm enim mens incitato quodam impetu ad improba opera fertur, tunc & cor quoque peruerſa & tortuoſa plerumque meditatur, & os ſimiliter his conſentanea loquitur. Qui autẽ ad eum modum comparatus eſt, non abſimilis eſt illi, qui in medio maris æſtu iactatur, vtpote magnis malarum cogitationum fluctibus variè pulſatus, magnaque malorum deſideriorũ prauarumque cupiditatum tempeſtate miſerè huc illuc volutatus, ac tantum non merſus. Verum enimuero licet in graui tentatione res ita habeat: ſapientis tamẽ oratio aliò hoc loco tendere videtur, nempe ad deſcriptionẽ morum & motuũ hominis temulenti, huic enim non modò in ſomno, verùm etiam in vigilia varia ſæpe ſpectra atque phantaſmata apparent, variorumque motuũ atque agitationum imagines, quæ illum miſerè vexant & agitant, & omnem in partem quodammodo verſant.

Cuiuſmodi animus meditatur, eadem os ferè loquitur.

Miſerrimus eſt ſtatus ebrioſorum

Dices autem: verberabant me, nec moleſtè fe- 35.
rebam: illudebant & vellicabant me: neque
tamen quando diluculum eſſet animaduer-
tebam, qui exſuſcitatus quærerem, cum
quibus conuenirem.

Digitized by Google

Peccator à dæmonibus variè cæditur & illuditur & apud inferos ſera ducitur pœnitentia.

Et hæc quoque ad litteram in ebrios conueniunt: at verò ſublimiori ſenſu, quem innuunt verba illa. Dices autem: hæc aliaque ſimilia peccator in futuri ſæculi ſuppliciis conſtitutus animo verſabit; quæ etiam opportunè Sapiens nobis in memoriam reuocat, quò malum hoc caueamus. Dicet ergo: à dæmonibus variè cæſus & illuſus ſum, ſiquidem temporaria & fluxa iſta bona proponebant mihi tanquam æterna. Ego autem, dum impiè agerem, non animaduertebam: eram enim ad flagella & verbera quaſi ſenſu deſtitutus.

Neque intelligebam quandò diluculum eſſet, &c.

Hoc eſt, tempus pœnitentiæ, poſt quod ſol iuſtitiæ oritur, non attendi, neque vt me ad ipſum adiungerem, cumque ſanctis viris familiaritatem inirem, ac Deo placerem, operam dedi.

CAP. XXIV.

1. *Ne æmuleris, fili, viros improbos, neque illo-*
2. *rum conſuetudinem; ſiquidem cor illorum verſat mendacia, & lingua eorum impoſturam depromet & fraudem.*

Dæmones mala ſuggerunt & ad mala ſuis cōſiliis impellunt.

PER viros improbos dæmones hoc loco accipe: hi enim ſunt qui mala nobis ſuggerunt, & vt ea quæ non licent, faciamus impellunt. Mendacia adhæc meditatur cor illorum, laboremque & peſtem eructant labia

eorum:

Digitized by Google

eorum: ad vanos tandem conatus, inſanaſque & ſtultas actiones nos prouocat ſtudium illorum.

Per ſapientiam domus è fundamentis ædificatur; & per prudentiam collapſa denuò 3.
inſtauratur: per ſenſum autem & intelli- 4.
gentiam cellaria omnis generis & pretij opibus implentur.

Sapiens is verè eſt, recteque appellatur, qui in practica & theorica vita ex æquo excellit: tum is rurſum, qui prudentia & ſapientia, & intelligentia, cœteriſque intellectus habitibus probè ornatus eſt: tum is denique, qui non modo ſenſu & ratione, ſed honeſta quoque actione cœteris præſtat. Cæterum non agitur hic de murorum exædificatione, ſed de rei familiaris cura, & prouidentiæ virtute: per hanc enim & nouæ domus extruuntur, & collapſæ in integrum reſtituuntur. Fundus vel ager ſenſilis, ſenſiles fundit fructus, at ſpiritalis ager, iuſtitiæ fœtus profert. Huius autem agri opes aſſeruntur hic pretioſæ & pulchræ, ſed ad illarum opum diſtinctionem, quæ neque pretioſæ, neque honeſtæ quoque ſunt.

Perfecta ſapientia tria membra complectitur.

Vir ſapiens melior eſt viro forti: & qui pru- 5.
dentia ornatus eſt, agricola opulento potior eſt.

Non tantum confert ad familiarem vſum robur & fortitudo, quantum bonū conſilium. Ab hoc autem prudentia nunquam auellitur: quippe cum bonum conſilium non aliunde quàm ex prudentia oriatur.

6. *Bellum per gubernatorū prudentiam feliciter adminiſtratur: ſubſidiū autem ex prudenti*
7. *conſultoq́ corde petendum eſt: Sapientia porro & recta intelligentia intra ſapientum portas comperitur.*

Bellū felicius adminiſtratur ſano prudētum conſilio, quā magno corporis robore.

Bellū non temerè ſuſcipiendū.

Res bellica, ait Sapiens, quæ tantis ſcatet tumultibus & turbis, magna eget militū manu & copia, magnoque corporum robore, & animi fortitudine, quippe cùm per eiuſmodi præcipuè decerni ſoleat: at multò verò magis magna, accurataque eget gubernatione, magnaque ducum & gubernatorum conſideratione: Aut docere per hæc nos vult Salomon, hoſtibus non temerè neque inconſultò obuiam eundum eſſe, ſed conſiderate, maturaque adhibita deliberatione, ſiue id fiat animæ viribus, ſiue quibuſcunque aliis.

In portis ſapientum.

Per ſapientum portas arcaniori ſenſu virtutes practicas, aut cogitationes de virtutibus ſuſceptas accipere poſſumus.

8. *Sapientes à lege Domini non deflectunt: iidem illi in prudentum cœtu conſtituti, quid*
9. *proponatur prudenter expendunt. At vero indoctos & ſtultos mors excipit: moriuntur hi autem plerumque in peccatis.*

Qui

Qui virtutum ſtudio incumbunt, ait Sapiẽs, omni diligentia & contentione illis incumbunt, neque leui de cauſa ab ea deflectunt. At homines ſcelerati & peſtilentes, qui peccatis & vitiis obſtinatè adhærent, eademq; in fixum firmumque habitum iam verterunt, vſque ad vltimum vitę habitum, hoc eſt, tantiſper, dum mors illos excipiat, peccare & mala agere non deſiſtunt, adeoque in peccatis ſuis extinguuntur.

Qui virtutibus dant operam, ſerio id praſtãt.

Immunditiæ & ſordes viro peſtilenti tantiſper cohærebũnt, donec tandem in die mala, & in die afflictionis omnino deficiat. 10.

Poſſunt hæc cum ſententia proximè præcedente haud incommodè connecti in hunc modum. In viro ſcelerato & peſtilente peccatum in habitus modum iam induratum, alteque infixum tantiſper perſtat, donec tandem in die iudicij corrumpatur, mortique ſempiternæ mancipetur.

In peccatis obſtinati ad finem vſque plerumque in ijs perſiſtunt.

Erue eos qui ducuntur ad mortem: neque illos redimere cuncteris, qui ad cædem deſtinati ſunt. 11.

Libera, inquit, eos, qui ducuntur ad mortem, hoc eſt, pecuniam tuam in captiuorum liberationem liberaliter impẽde. Aut vtilem certè & ſalutarem ſermonem in eum finem conferre ne cuncteris.

Quod ſi dixeris: Non noui illum; ſcito Dominum mortalium omnium corda explorata 12.

 habere:

habere: qui enim omnibus vitæ ſpiraculum indidit, ipſe nouit omnes, omnibuſq́; iuxta opera ſua mercedem reddet.

Omnes homines ſe mutuo noſcunt cũ vnius ſint natura & figura.

Si, inquit, dixeris: Non noui talem: redarguet te Deus mendacij, euadeſque duorum criminum reus, cædis nimirum & mendacij. Cùm enim mortales omnes vnius ſint originis, non poſſunt ſe mutuò nõ agnoſcere, cùm vnius quoque ſpeciei animantia bruta ſe inuicem agnoſcant & iuuent.

13. *Comede mel, fili (vtilis namque & ſuauis eſt mellis fauus) quò dulcedine perfundatur*
14 *guttur tuum: hac enim ratione ſapientiæ guſtum hauriet anima tua.*

Per mel deſignatur Allegoria Scripturarum, per fauũ mellis eiuſdẽ hiſtoria.

Per *mel* deſignat allegoriam, per *fauum* autem hiſtoriam: nam in illa veluti in cellula quadam ſublimior quidam ſenſus abſconditus latet: per guttur verò vegetabiles animæ vires. Is mel comedit, qui ex diuinis litteris vſum & adiumentum accipit; qui autem ex rebus, ex quibus ſancti Prophetæ & Apoſtoli hauſerunt, doctrinam haurit, ille comedit fauum. Et quidem mel comedere cuiuſuis volẽtis eſt; verùm mellis fauũ comedere, id ſolius puri mundique pectoris eſt, ſenſus porrò vel guſtus ſapiẽtiæ aliud nihil ſunt, quàm ipſamet ſapientiæ dogmata & decreta.

Quod ſi mel iſtud inueneris, finis tuus bonus erit, neque tua te ſpes fallet.

Si, inquit, ſpiritalem Scripturæ ſenſum in

litiera

littera incluſum compereris, pretioſa erit mors tua, neque futurorum bonorum ſpe facilè excides.

Caue impium in iuſtorum pabulum inducas, aut ventris ſaturitas tibi imponat. 15.

Hoc rurſum loco non abſque exhortatione Sapiens nos admonet, ne impiũ ad doctrinam de diuina prouidentia, deque rerum creatione & gubernatione facilè admittamus. Nam cùm impius & impurus ſit, tanquam illota ſus diuinæ ſcripturæ oracula contemnit, aut interpretando peruertit: nutri autem illũ tanquam infirmum tenuiori eſca, nempe primis Chriſtianæ fidei, diuinorumque myſteriorum rudimentis.

Impij diuinas litteras cõtemnunt aut interpretando peruertunt.

ALIVS. Iuſtorum paſcua ſunt loca virentia & florida, iuxta quietis & voluptatis aquas poſita. Dicit ergo: caue, impiũ in ouium verè illius paſtoris paſcua inducas: quandoquidem cùm nullam paſcendi artem, aut modum teneat, veluti ſus quædam prophana omnia manibus pedibuſque conculcabit, depaſcens nimirum & deſtruens vineam illam, quam Dominus ſuis ipſe manibus plãtauit. Et quamuis aliqualiter inde nutriri poſſe videatur, ne tamen exigas, vt ventrẽ ex ea exaturet: ægrè enim habet, & circa diuinã prouidentiam, rerumque productarum notitiam infirmus eſt.

ALIVS. Ne ventris voluptatiſue cauſa Dei legem prodas: hæc enim eſt iuſtorum pabulum: quod ſi feceris, ſpes tua te non fallet, neque deſeret.

16. *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget : impij autem tanquam infirmi malis impetiti ſuccumbunt.*

Senſus eſt : Quamuis iuſtus ſæpius peccet: attamen pœnitentia ductus denuò reſurgit. At impiis diuerſum accidit : ſiquidẽ in malis, quibus obſtricti tenentur, perpetuò perſiſtũt.

17. *Si ceciderit inimicus tuus, ne lætabundus illi inſultes : neque ob illius ruinã & prolapſio-*
18 *nem te efferas, ne fortè Dominus videat, ægreque ferat & furorem ſuum ab eo auertat.*

Qui de fratris caſu lætatur diabolo haud abſimili.

Qui de fratris ſui caſu lætatur, eidemque propter acceptum damnum inſultat, ſimilis eſt diabolo, qui neminem ſalute potiri deſiderat. Iubemur inimicos diligere, proque iiſdem orare, tantum abeſt, vt fas nobis ſit illos execrari, aut illorum calamitatibus inſultare: ora proinde vt inimici impetum excipere & ſuſtinere valeas, quò per illius luctam, & tuam patientiam victoriæ corona tibi obueniat.

19. *Caue malefactoribus aduleris, aut peccatores*
20. *æmuleris : neque enim vlla tandem improbis poſteritas ſit reliqua. Maturè namque impiorum lucerna extingui ſolet.*

Impij vt virtute ita recta quoque fide deſtituuntur.

Impij & nequam homines nullas ex ſe generant virtutes, neque vlla rurſum recta, aut ſana tenent dogmata : hæc enim orthodoxæ, recteque inſtitutæ animæ ſunt pignora. Aut ideo ſanè hoc dicit : quia impiis & ſceleratis homi-

hominibus nulla ſtabilia bona obueniunt. Vniuerſa namque illorum gloria & opulentia è medio diſperit.

Lucerna impiorum extinguitur, &c.

Hoc eſt, omnis illorum doctrina & felicitas fugax eſt, citoque inſtar fumi euaneſcit.

Time Deum, fili, & Regem: neutrique illorum per inobedientiā obſiſtas. Repentè namque de hominibus impijs vindictam pœnamque exigunt. Modum autem & rationem ſuppliciorem vtriuſque quis intelligit? 21.
22

Qui Regi, quem Deus inſtituit, parere detrectat, quadam reciprocatione Deo obedire recuſat.

Qui Principi reſiſtit Deo à quo inſtitutus eſt reſiſtit.

Suppliciorum autem modum quis cognoſcet, &c.

Quaſi dicat; ſolus ille, qui cauſam decernit, & diſcutit, ſuppliciorum rationem, & æquitatem intelligit.

Hæc vobis ſapientibus expendenda offero: Reuereri perſonam in iudicio non eſt bonum. 23.
Qui impium iuſtum pronuntiat, vulgo execrabilis, & exoſus apud omnes gentes erit. 24.

Non perſtringuntur hic qui ſermones à veritate alienos reprehendunt; ſed qui per impoſturam falſitatem tegunt. Quare ſtatim ſubiungitur.

Qui redarguunt impuros homines cæteris meliores habebuntur; venietq́ ſuper illos 25.

26 *fauſta acclamatio. Labia porro quæ bona verba reſpondent inſtar oſculi grata erunt.*

Meliores ſunt qui vitia palã reprehendunt quã qui ea tegunt.

Quod ſupra dixerat, hoc nunc paulo accuratius declarat: nempe cæteris meliores eſſe, qui vitia palam reprehendunt, quam qui callide ea tegunt aut tenebris obruunt adeoque iniuſtum, quod iñ ſe iuſtum faciunt: ſuper quos proinde ventura eſt omnis proſperitas, & benedictio Domini. Diliguntur autem & inſtar ſuauij grata ſunt labia, quæ fidei doctrinam recte ſecant: quæ verò peruerſe aut diſtorte iure meritoque apud bonos omnes exoſa ſunt.

27. *Para ad exitum opera tua, & excole agrum tuum, & ſequere me, & inſtaurabis domum tuam.*

In omnibus nos gerere debemus tanquam verè mortales & breui morituros.

Quæ dicit huc ſpectare videntur: operare omnia tanquam moriturus: ſiue ergo agrum colueris, tanquam mortalis cole illum: ſiue lætus fueris, tanquã mortalis iucundus eſto. Quod ſi vitam rectè inſtituere volueris, me tanquam legiſlatorem ponè à tergo ſequere, hoc eſt quodcunque lege caui aut alias iuſſi, id fideliter exequere.

ALIVS. Si ad futurarum rerum ſtatum perſpexeris, præſentem rectè moderabere. Itaque per iuſtitiam, virtuteſque, & ſtudioſas actiones, quæ domus tua ſunt me ſequaris.

Ne

Ne falſum teſtimonium contra ciuem tuum proferas: neque labijs tuis te nimium efferas. 28.

Senſus eſt: Ne de ijs operibus glorieris, de quibus merito erubeſcere te oportebat.

Ne dicas, vt ille contra me ſe geſſit, ita ego viciſſim me geram aduerſus illũ: reponam iniuriam, qua me affecit. 29.

Huic aduerſatur illud Scripturæ: *Non malum pro malo reddentes, &c.* Rom. 12.

Tanquam ager ad culturam idoneus vir ſtultus, & tanquam vinea homo mentis inops: ſi incultum demiſeris, euadet ſenſim 30.
horrida, planeq́; ſylueſcet; & tandem omnino deſeretur, lapideſq́; maceriæ eius effodientur. 31.

Practica ſtulti vita eſt prorſus otioſa, ſpiniſque & lappis plena: at vero contemplatrix eiuſdem vinea fert vuas felle amariores.

ALIVS. Per hoc, quod virum ſtultum comparat agro ſatiuo, vel vineæ; quæ neglecta producunt ſpinas & tribulos, exculta autem ſuauiſſimos fundunt fructus, inſinuat improbum quoque meliorem fertilioremq́ue euaſurum, ſi animæ ſuæ agrum non negligeret, ſed impigre ſtudioſeque excoleret. Quare mox quoque ſubiungit.

Poſtea

26 *fauſta acclamatio. Labia porro quæ bona verba reſpondent inſtar oſculi grata erunt.*

Meliores ſunt qui vitia palã reprehendunt quã qui ea tegunt.

Quod ſupra dixerat, hoc nunc paulo accuratius declarat: nempe cæteris meliores eſſe, qui vitia palam reprehendunt, quam qui callide ea tegunt aut tenebris obruunt adeoque iniuſtum, quod in ſe iuſtum faciunt: ſuper quos proinde ventura eſt omnis proſperitas, & benedictio Domini. Diliguntur autem & inſtar ſuauij grata ſunt labia, quæ fidei doctrinam recte ſecant: quæ verò peruerſe aut diſtorte iure meritoque apud bonos omnes exoſa ſunt.

27. *Para ad exitum opera tua, & excole agrum tuum, & ſequere me, & inſtaurabis domum tuam.*

In omnibus nos gerere debemus tanquam verè mortales & breui morituros.

Quæ dicit huc ſpectare videntur: operare omnia tanquam moriturus: ſiue ergo agrum colueris, tanquam mortalis cole illum: ſiue lætus fueris, tanquã mortalis iucundus eſto. Quod ſi vitam rectè inſtitûere volueris, me tanquam legiſlatorem ponè à tergo ſequere, hoc eſt quodcunque lege caui aut alias iuſſi, id fideliter exequere.

ALIVS. Si ad futurarum rerum ſtatum perſpexeris, præſentem rectè moderabere. Itaque per iuſtitiam, virtuteſque, & ſtudioſas actiones, quæ domus tua ſunt me ſequaris.

Ne

Ne falſum teſtimonium contra ciuem tuum proferas: neque labijs tuis te nimium efferas. 28.

Senſus eſt: Ne de ijs operibus glorieris, de quibus merito erubeſcere te oportebat.

Ne dicas, vt ille contra me ſe geſsit, ita ego viciſsim me geram aduerſus illũ: reponam iniuriam, qua me affecit. 29.

Huic aduerſatur illud Scripturæ: *Non malum pro malo reddentes, &c.* Rom. 12.

Tanquam ager ad culturam idoneus vir ſtultus, & tanquam vinea homo mentis inops: ſi incultum demiſeris, euadet ſenſim horrida, planeq́ ſylueſcet; & tandem omnino deſeretur, lapideſq́ maceriæ eius effodientur. 30. 31.

Practica ſtulti vita eſt prorſus otioſa, ſpiniſque & lappis plena: at vero contemplatrix eiuſdem vinea fert vuas felle amariores.

ALIVS. Per hoc, quod virum ſtultum comparat agro ſatiuo, vel vineæ; quæ neglecta producunt ſpinas & tribulos, exculta autem ſuauiſſimos fundunt fructus, inſinuat improbum quoque meliorem fertilioremque euaſurum, ſi animæ ſuæ agrum non negligeret, ſed impigre ſtudioſeque excoleret. Quare mox quoque ſubiungit.

Poſtea

32 *Poſtea ego quoque egi pœnitentiam; reſpexique vt eligerem diſciplinam.*

Exemplo à ſeipſo petito docet ſe tandem quoque ad frugem rediiſſe, & ad morum diſciplinam reſpexiſſe. Nam quæ dicit, huc ferè tendunt: Initio peccati nulla ducebar pœnitudine, neque vlla tangebar diſciplinæ cura, quia peccati grauitatem non expendebam, neque diſciplinæ quoque peculiarẽ aliquam rationem habebam. At poſteaquam vtrunque ſeriò animo pertractare cœpiſſem, ad pœnitentiam mox, & diſciplinam animum mentemque conuerti. Obſerua autem conſentaneum cõgruumque ſermonis ordinem. Niſi enim pœnitentiam egiſſet, diſciplinam non elegiſſet. Nam nemo ante diſciplinam elegit, quàm ſuper his, quæ male admiſit, compungatur. Rei itaque præſentis ſcopus ad pœnitentiam tendit.

Pœnitẽtia ordine naturæ diſciplinam antecedit.

SCHOL. Verſ. 32. *Poſtea egi poenitentiam, &c.* Ita LXX. nam Vulgata longè aliter: *Per agrum hominis pigri tranſiui, &c. Quod cum vidiſſem poſui in corde meo & exemplo didici diſciplinam.* B. Hieronymus lib. XIII. Comment. in Ezechielem cap. 43. legit vt Græci: *Nouiſſimè egi poenitentiam.* Vide & Auguſtinum dubitantem lib. XXII. contra Fauſtum Manichæum, Tom. VI. & Ioannem Cognatum De exitio Salomonis, Duaci excuſam, & in Prolegom. P. Io. Pinedam, & Mart. Delrium in Cantica.

33. *Parum dormito, parum dormio, parum mani-*
34. *bus pectora demulceo. Quod ſi hæc facere*
perrexeris, dicebam apud me, Veniet præ-
pro-

propere paupertas tua, & egeſtas tua quaſi expeditus curſor.

Hæc iam ante propoſuit ruborem ijs iniiciens, qui ignauiæ morbo laborant; neque animum, vt aliquid, quod vtile & ſalutare ſit, faciant vnquam adiiciunt. Aliter tamen hic perſonas vſurpat, aliter ibi. Hic enim omnia transfert in ſuam ipſius perſonã. Fingit enim hæc ſe apud ſe dixiſſe, prout forte quoque dixit: ſupra autem eadem ſub nomine cuiuſque ignaui, exponebantur.

De ſe Salemon hic loquitur & ſup. verſu Alibi ſemper de pigro & impio.

CAP. XXV.

Et hæ itidem ſunt parabolæ Salomonis, citra certum delectum collectæ quas amici Ezechiæ regis Iudææ deſcripſerunt. 1

PAROEMIÆ quæ vſque ad hunc locum expoſitæ ſunt, ab ipſomet Salomone in vnum corpus redactæ, digeſtæque compertæ ſunt. At multæ adhuc aliæ ſententiæ in apophthegmatum ſpecie ab ipſo Salomone depromptæ ſparſim ferebantur, quas amici Ezechiæ, regis hinc inde nullo certo ordine obſeruato, & in vnum quaſi faſcem redactas, Regi Ezechiæ, quod is pius admodum & religioſus haberetur, quaſi honorarium aliquod obtulerunt.

Duplices Salomonis Parœmia feruntur.

Gloria Dei fugit ſermonem: gloria autem regis mandata ſua magni facit. 2

Dei,

Dei maieſtas omnē excedit orationem. Dei, inquit, gloria & maieſtas omnem excedit humanum ſermonem : ad regis autem gloriam pertinet, vt ſua decreta mandátaque magni faciat, neque permittere vt quis ea impune violet.

ALIVS. Qui Dei regiſque gloriam quærit, is illorum mādata infra ſe abdit, datque operam vt diligenter ea cuſtodiat.

3. *Altum eſt cælum, & profunda terra; cor autem regis eſt imperſcrutabile*, vel, vt alij legunt, *irreprehenſibile, omniue reprehenſione maius.* ἀνεξέλεγκτος.

Quo ſēſu cor Regis inculpatū vel irreprehēſibile dicatur. Dicitur autem cor regis irreprehenſum vel inculpatum, non quod omni peccato careat; ſed quod nulli mortalium ſatis apertum exiſtat. Vel certè quod nullus regis peccata arguere, vel propter peccatū admiſſum ipſum punire audeat. Poſſunt hæc quoque ad Chriſtum, & Spiritum Sanctū; imo verò ad quemuis ſpiritalem virum referri: ſiquidem *ſpiritalis iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur.* 1. Cor. 2. 15.

4. *Percute adulterinum argentum, & totum quod in eo impurum latebat mundatum mox cernetur.*

Hoc eſt, impuram, aut de falſitate ſuſpectam doctrinam adhibito accurato examine, diſcute & à falſitate exue.

Tolle

Tolle impios è conſpectu regis, & iuſtitia coro- 5.
nabit feliceḿq; reddet thronum eius. Ne 6.
arrogantem te exhibeas coram rege: neque 7.
in Principum locis pedem figas. Præſtat
enim vt dicatur tibi: Aſcende huc ad me,
quam vt coram principe humilieris. Quæ 8.
oculi tui viderunt, ea dicito: Ne temerè
proruas in pugnam, ne ad finem facti te pœ-
niteat. Si quando probro te affecerit ami- 9.
cus tuus, diſſimula, retroque ſecede; neque
ob id illum aſperneris, ne conuitijs te appe-
tat: adeoque talis hinc rixa, & inimicitia 10.
oboriatur, quæ non facilè decedat, verùm
diu multuḿq; inſtar mortis te infeſtet.

Qui carnis deſideria perimit ad iuſtitiam ſeſe componit.

Tolle impios, &c. Qui turpia carnis deſideria, prauoſque eiuſdem ad libidinem impetus in ſe mactat, is mentem ſuam ad iuſtitiã componit; in qua Chriſtus Dei ſapientia & ſcientia requieſcit. *Cætera, quòd plana fortaßis intellectuque viderentur facilia, nullam in Græco codice explanationem adiunctam habebant.*

Gratia & amicitia libertatem pariunt, quas, ne probris obnoxius fias, tibi ſerues; viaſq́; tuas beneuolè placideq́; cuſtodias.

Qui Chriſti gratia potiti ſunt & huius & aliorũ amici sũt.

Per *gratiam* accipe virtutem: per *amicitiam* autem corporis & animæ inter ſe concordiã, mutuamque conſenſionem. Qui ita autem comparatus eſt, culpa obſtrictus non eſt.

ALITER. Per gratiam virtus, per amicitiam notitia inſinuatur. Chriſtus autem exiſtit in

in vtraque. Qui ergo Chriſti gratiam & amicitiam nacti ſunt, & illius & aliorum quoque amici ſunt.

11. *Quod malum aureum eſt monili ſardio, hoc ſermo opportunus ſuo eſt auctori: Rurſum*
12. *quod precioſus ſardius inſertus eſt aureæ inauri; hoc ſermo ſapiens dimiſſus in aurem obſequentem, eſt auri.*

Quid per aurum & ſardiũ deſignetur. Senſus eſt: Quemadmodum malũ aureum congruit ſardio, ita Dei cognitio conuenit animæ caſtæ & puræ. Per aurum enim deſignatur cognitio, per ſardiũ autem honeſta actio.

13. *Sicut eruptio niuis meſſis tempore ardorem reſtinguit, æſtuque laborantibus grata exiſtit; ita fidus legatus his, qui miſerunt illum. Siquidem animos illorum, qui vſi eo*
14. *fuerãt, recreat atque refocillat. Quod ſunt venti & nubes, & pluuiæ clarè oſtenſæ, neque tamen exhibitæ, hoc ipſum ſunt, qui gloriantur in cognitione mendaci.*

Diuinarũ rerum notitia mortaliũ ſolatur labores Quemadmodum nix refrigerat æſtum, ita diuinarum rerum notitia ſolatur mortalium labores atque moleſtias. Diſſoluit namque & diſcutit tentationum nubes & tempeſtatem.

15. *Regum proſperitas in patientia & animi lenitate præcipuè poſita eſt: mollis enim lingua confringit oſſa.*

Regibus patientia animique Etenim cum reges multas quotidie querelas & controuerſias audire, multaſque cauſas cogno-

cognoſcere compellantur; niſi leni patientique animo prædití fuerint, atque ita comparati, vt in iram non ſtatim efferantur, non poterunt & ſibi & ipſis quoque rebus, & negotiis diſcernendis & diiudicandis non maximum detrimentum adferre. Cæterum vt regem patientem eſſe decet, ita eundē quoque ſagacem, & iudicandi gnarum eſſe oportet; quo nimirum aſſentatores è medio ſubmouere, placideque & patienter deliberare, & iudicare valeat.

Mollis enim lingua, &c.

Mollis lingua oſſa confringere perhibetur, quia duriorem iraque inflammatiorem ſedat, pacatioremque reddit. Quin ea quoque *lingua mollis* dici ſolet, quæ eadem ſæpius explorat & ruminat: tum ea rurſum, quæ aduerſariorum potentiam infirmat. Poteſt denique quod de linguæ mollitie hic traditur, ad eos etiam referri, qui per ſuauiloquentiam ſermonumq́ue blandimenta, ſimplicium corda ſeducunt, & in errorem pertrahunt. *Quo ſenſu mollis lingua oſſa cōfringere dicatur, & quenā dicenda ſit mollis.*

Melle reperto comede quantum ſat eſt: ne ſi forte nimium te obſaturaueris euomere compellaris. Rarò ad amicum tuum inferas pedem tuum, ne nimia illa frequentia ſatiatus tædioque affectus, te auerſetur. 16.

ALIVS. Verba Domini mel ſunt: tantum itaque ex illis audi & hauri, quantum in commodum vſum conuertere potueris. Ne ea inquiras quæ animæ tuæ vires & facultates ex- *Dei Verbū mel eſt. Pſal. 18.*

cedunt, ne illa fortè quæ ante hauſeras, euo-
mere obliuionique tradere compellaris.

Carni non plus indulgendũ quã oportet.

ALITER. Ne ſupra id, quod vſus & neceſſitas poſtulat, carni indulgeas, ne in odium Dei fortaſſis incurras.

Raro infer pedem, &c.

Hoc eſt rarius arcaniora diuinitatis myſteria attingas, ne quando per mentis infirmitatem à ſpiritali cognitione excidas.

18 *Clauæ & gladio, & ſagittæ acuminatæ ſimilis eſt vir qui falſum contra amicum ſuum promit teſtimonium.*

Per *clauam* & *gladium*, & *telum acuminatum* deſignantur hoc loco maligna & iniqua opera, quæ in die iudicij non ſubſiſtent, ſed peritura ſunt omninò.

19. *Dens hominis improbi, & pes iniqui, in die*
20. *mala interibunt: ſicut acetum officit dentibus, & fumus oculis, ita morbus qui cor-*
21. *pori accidit, contriſtat cor. Rurſum vt tinea lædit veſtimentum, & teredo lignum; ita triſtitia cor viri offendit.*

Dies Iudicij impijs orietur infauſta.

Diem malum appellat diem iudicij, hæc enim incommoda & infauſta orietur omnibus iniquis & impiis.

ALITER. Ne aduerſus proximum nempe ſenſum & corpus tuum nimium pugnax vindictæq; auidus fueris. Superuacaneis miſſis ea tantum molire & obſerua, quæ vel neceſſaria vel congrua videntur. Hoc enim ſi obſeruaueris, & percommodè à vitiis illud repurgabis,

Corpus non nimiũ affligendũ

Digitized by Google

purgabis, & facili negotio in officio contiuebis.

Si eſurit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, da 22.
illi bibere. hoc enim faciens, carbones ignis 23.
accumulabis ſuper caput eius. Dominus autem retribuet tibi bona.

Per *beneficentiam*, ait, excitabis illum ad gratitudinem, adeoque iniurias & contumelias quæ antea tibi iniuſtè intulerat, in illum quodammodo transferes, illique impinges. Et ipſe nihilo ſecius Dominus tuæ benignitati atque beneficentiæ iuſtam mercedem olim perſoluet.

ALITER. Triſtitiam è pœnitentia ortam ipſi nimirum Diabolo impinges; nam hoc ſenſu *incendes caput eius*, non ad hominem inimicū, ſed ad diabolum referendum eſt.

Ventus boreas excitat nubes, vultus autem in- 24.
uerecundus irritat linguam. In angulo do- 25.
mus habitare ſatius eſt, quam in domo communi cum mulieri conuitiatrice.

Durus & indomitus *ventus* eſt diabolus: hic enim os impudens, vultumque omnis pudoris expertem indutus, varias Chriſti fidelibus excitat tentationes, animoſque illorum ad malitiam & vitia allectat, ſed & linguam quoque illorum ad blaſphemiam prouocat.

Sicut aqua frigida ſitienti animæ eſt periu- 26.
cūda; ſic nuncius quoque bonus, qui de terra longinqua præſto eſt, mire eandem recreat.

Nuncius de carnis reſurrectione, diuinarumque promiſſionum certitudine cœlitus allatus non poteſt homini iuſto non eſſe pergratus, animęq; benè affectæ non oblectabilis.

27. *Vt turpe eſt, ſi quis os fontis obſtruat: aut aquæ exitum diſperdat: ita indecorum eſt quoque cernere virum iuſtum coram impio concidiſſe.*

Vt illota ſuis pedibus conturbat fontē: ita hæreticus ſuis cōmentis ſcripturam ſacrā. Quemadmodum, inquit, qui fo[...]s orificium, vel ipſammet aquæ ſcaturiginem obturat, fontem ipſum corrumpit, planeque perdit: ita qui illuſtres Ieſu Chriſti ſermones (ex quibus perinde atque ex ventre quopiam viuentis aquæ flumina dimanant) aliquando hauſit, ſi poſtea à dogmate aliter ſonante, aut impura aliqua cogitatione occupetur, ſacræ illius doctrinæ, viuentiſque & *in vitam æternam ſcaturientis aquæ* iacturā facit; vt quæ impiorum perſuaſibilitate iam ſit corrupta, planeque deperdita.

Ioan. 4. v. 14. & 7. 37.

ALITER. Perinde Dei cognitio ex manſuetorum corde procedit, atque aqua ex viuo fonte; ex qua quidem aqua, ſi quis in nomine diſcipuli poculum alicui propinauerit, non perdet mercedem ſuam.

Mat. 10, 42.

28. *Vt multum mellis comedere non eſt bonum; ita doctrinam ſublimem ſobriè oportet guſtare, magnoq́; in pretio habere.*

Inſinuat per hæc in diuinorum iudiciorum rationes parcius inquirendnm eſſe; neque dogmata de eiuſmodi rebus tradita, promiſcuè omnibus proponenda & quaſi proſtituenda

ſed

Digitized by Google

ſed dignis tantum, eademque magno in honore & reuerentia habenda.

Vir qui quiduis citra delectum aggreditur; ſimilis eſt ciuitati dirutæ, muriſq; & mœnibus orbatæ. 29.

Sunt qui hæc non ad actionem; ſed ad orationem referant: vt ſit ſenſus: vir qui quidquid in buccam venit temerè effundit, vrbi omnibus patenti, mœniorumque ambitu deſtitutæ ſimilis eſt.

CAP. XXVI.

Sicut nix meſſis tempore, & pluuia in æſtate 1.
parum ſunt opportuna; ita ſtulto non conuenit gloria. Sicut aues & paſſeres citra 2.
vllius offenſionem volitant; ita ſtulta maledictio neminē cum offenſione inuadit. Sicut 3.
flagellum debetur equo, & ſtimulus aſino; ita virga iniquitati obſtricto populo. Ne 4.
reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne illi ſimilis efficiaris. Imo verò reſponde ſtulto ad ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſolus ſapere videatur.

QVI diuitibus amentibus aſſentantur, omnibus, quæ dicunt, etiam ſi ſtulta alioqui & inepta fuerint, applaudūt & adſtipulantur: tu verò ita ne feceris. Quamobrem ſi vſu quandoque venerit, vt homo quiſpiā opibus affluens carnis voluptatem, aut ſuperbiam, aut aliud quodcunque vitium laudibus extulerit,

Nullius vitijs eſt adulandū

lerit, caue illi aſſentiaris: quin potius in faciem illi reſiſtas, palamque illius ſtultitiæ obuiam eas, hoc eſt manifeſtè illam reprehendas, atque incuſes; neutiquam autem laudes. Atque hoc apertè inſinuat aduerſatiua illa, quæ ſubditur: *Imo vero*, ait, *Reſponde ſtulto ad ſtultitiam ſuam, ne ſibi ipſi videatur ſapiens.*

Inter ſtultos ſtultiſſimi hæretici.

ALIVS. Apparet ſapientem Salomonem doctrinam hanc ex inſtituto contra hæreſes & hæreticos direxiſſe & edidiſſe. Si mens tua linguæ tuæ inſipientem aliquam orationem ſuggerere voluerit, reſponde illi iuxta ſtultitiam ſuam, hoc eſt, per internum cordis imperium contine & comprime illam, ne videatur ſibi rationi conſentanea ſuggeſſiſſe. Aut periphraſticῶs dictum illud accipe, vt ſit ſenſus: ſtultæ illius orationi occurre per prudentiam, & conuenientia verba; cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſtultitiæ illius morbum ſanare queant.

6. *Ex vijs ſuis probrum refert, qui mittit verbum per nuntium ſtultum. Adime ſtulto*
7. *tibiarum vſum, & prouerbia ex ore amentium tolle.*

Stultis adimenda omnis dominandi poteſtas.

Stultis, inquit, & crurum, σκελῶν, poteſtatẽ & prouerbiorum elegantiam adime, hoc eſt, aufer ab illis omnem omnino dominatum; ita vt neque practicum, neque theoricum imperium teneant; ſiquidem per πορείαν greſſum peccatorum, & vitiorum occaſiones præſcindendas inſinuat. Quod enim hic traditur, ſimile eſt illi, quod alicubi dicitur à Chriſto Domino.

Digitized by Google

Domino. *Si* inquit ille, *manus tua ſcandalizat te,* *Matth.5.* *abſcinde illam*. Non enim membra truncare licet, ſed prauos illorum vſus abſcindere oportet.

Qui ſtulto impertitur gloriam, ſimilis eſt illi, 8.
qui ligat pretioſum lapidem in funda.

Stulti enim de re augenda anxij, opibuſque cogendis & quæſtui faciendo toto animi ſenſu intenti nulla honeſti aut decori habita ratione turpia quæque conſectantur.

SCHOL. Vulgata: *ſicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij*, &c. Explicat hunc locum diſertè Laurentius Ramirezius in Penticōtarcho cap. penultimo ex Etymologici autore, quibus addo & Scholiaſtē Homeri paruum, & Adagia de mercurialibus.

Spinæ naſcuntur in manu temulenti, ſeruitus 9.
autem in manu ſtultorum.

Temulēti nihil homine dignum faciunt aut proponūt, animæque adeò fundū prorſus incultum relinquūt.

Temulentus namque aſſiduæ ignauiæ ſeſe dedit; neque quicquam vnquam quod homine dignum ſit, facere ex animo proponit, adeoque animæ ſuæ manus fundumque eiuſdem vniuerſum prorſus ſpinoſa & inculta relinquit. Amens autē & excors non intelligit quid, aut quomodo, vel quatenus operandum ſit. Nam cum proprij ſenſus dominus non ſit, ſine ratione & delectu operatur, ſi quid eſt tamen, quod operatur.

Multum fluctuat omnis omnino ſtultorum 10.
caro; ſiquidem inſania mentiſq; alienatio
conſumit illos.

Malitia ſenſuum iudicium tollit. Anima per malitiã incraſſata & impinguata ſenſus ſui iudicio tantum nõ excedit, atque ita multum fluctuat grauiterque quaſſatur.

11. *Quemadmodum canis ad vomitum ſuum regreſſus fit exoſus & execrabilis, ita ſtultus quoque, qui per innatam malitiã ad ſuum redit peccatum.*

Qui à ſancto propoſito retrorſum conuertitur, ſtatuæ ſalis, in quam vxor Lothi conuerſa legitur, haud iniuria aſſimilatur. *Geneſ. 19. 26.*

12. *Eſt pudor qui adducit peccatum, & eſt rurſum pudor, qui adducit gloriam & gratiam. Vidi virum, qui ſe apud ſapientem cenſebat, interim maior de ſtulto eſt ſpes quam de illo.*

Qui ſe ſapientem putat cũ non ſit, inſanabili laborat ſtultitia. Qui ſtultitiam ſuam edoctus, ab illa deſiſtit, is laudem & gratiam promeretur. Qui autem inani ſpe ducitur, detrimentum patietur, miſereque in ſua ſtultitia morietur.

Vidi virum, &c.

ALIVS. Huc pertinet, quod de Euangelico Phariſæo & Publicano traditum legimus: *Lucæ 18.* Phariſæus enim, quod ſe cæteris ſanctiorem, maioreſque in virtute progreſſus habere exiſtimaret, à Deo repudiatus & condemnatus eſt, Publicanus autẽ, quod infirmitatem ſuam agnoſceret, ab eodem laudatus & iuſtificatus eſt.

13. *Piger foras miſſus dicit: Leo graſſatur in vijs, homicidæ verſantur in plateis. Quemadmodum*

modum oſtium voluitur in cardine, ita pi- 14.
ger in ſuo volutatur ſtrato.

Qui è pigritiæ ſuæ lecto exſurgere animum non inducit; neque boni aliquid facere apud ſe ſtatuit, is rectè in lecto ſuo ſeſe volutare dicitur. Per *lectum* autem accipe pigri hominis corpus; ſiquidem nihil ille nouit amplius, quàm carnem, eaque quæ ad carnis ſenſum faciunt, curare.

Pigri cura eſt corporis tantum.

Piger, qui in ſinu ſuo manum abſcondit, non 15.
valet illam ad os inferre.

Qui ex ignauia ſapientior circa diuina euadere detrectat, ille in ſinu ſuo abſcōdit manum. Tum is rurſum, qui circa virtutis ſtudium & vſum adeò deſes & ignauus eſt, vt nihil quidquam de ea audire, aut dicere ſuſtineat. Tum is denique, qui virtutem aut doctrinam alias vtilem abſcondit, qui ex rebus illis vtilibus & ſalutaribus, neque paſcit, neque paſcitur.

Quis manum ſuam abſcondere dicatur in ſinu.

Sapientior piger ſibi videtur eo, qui adfert 16.
nuncium in ſaturitate.

Deſidioſus multo ſe illo ſapientiorem eſſe exiſtimat, qui diuinas leges annunciat. Ait enim: *Sapientia inflat*. Satius eſt ergo in ſimplicitate viuere quam ad comparandam ſapientiam caput torquere. Transferre dictum hoc in eos licet, qui quoſdam ſacerdotio indignos ad ſacerdotium promouent.

1. Cor. 8.

17. *Qui litis alienæ patrocinium ſuſcipit, ſimilis eſt homini canem cauda apprehendenti.*

18. *Qui ſpecioſis dictis inſidias amicis ſtruunt, haud abſimiles ſunt circulatoribus medicis.*

20. *Nam vt hi glorioſa verba inter homines iactant; interim qui in ſermonem illorum primus incurrit, ſupplantatur; ita illi callida oratione amicos circumueniunt: vbi autem in fraude deprehenſi fuerint,* ioco feci *dicunt.*

Adulatores fictiq; amici peiores ſunt apertis hoſtibus.

Quandoquidem callidus adulator afflictis amicis videri vult compati; nec prius ceſſat conari & adulari, quam hoc illis perſuaſerit, vereque illorum ſe cauſa laborare oſtenderit, cum tamen peſtem in corde foueat (eſt enim de illis, de quibus ſcriptum extat: *Ore*
Pſal. 61. *ſuo benedicebant, corde vero maledicebãt.*) Proptérea accuratè doloſos aſtutoſque iſtorum hominum ſermones obſerua, ne mollibus illis blandiſque verbis te decipiant; ſunt hi enim peiores illis, qui apertò Marte inſectantur, ſtudioque ad iram prouocant.

20. 21. *Vbi adſunt multa ligna, ibi feruet ignis: vbi autem abſunt rixoſi, ibi quieſcunt iurgia & pugnæ.*

Focus deſtinatur carbonibus & ligna igni. Vir autem conuiciator valet ad concitandas turbas & ſeditiones. Vbique, ait, diligenter obſerua, & caue hominem iracundum tanquam eum, qui multarum turbarum & calamitatum

imitatum auctor eſſe ſoleat. Cum ipſo autem & ſecundũ ipſum quoque deriſorum & conuitiatorum conſuetudinem deuita.

Aſſentatorum ſermones ſunt molles; penetrantq́ vſque ad intimos viſcerũ receſſus. 22.
Argentum malo dolo oblatum teſtæ loco 23.
habendum eſt. Labia blanda cor triſte tegunt. Inimicus labiis ploratuq́ promittit 24.
amica omnia; aſt in corde verſat dolos, & imposturas machinatur.

Qua arte vulpeculæ aues venãtur ſimpliciores de hac autem voce κερκώπων. vide Græcorũ Prouerbiorũ collectanea P. Andr. Schotti & Hadriani Iunii adagia.

Vox κερκώπων aſtutorum caudaue blandientium ſumpta eſt à vulpibus. Hæ namque non alia arte ſimpliciores aues venari, & capere ſolent, quam vna hac. Etenim caudis oculis obtenſis, fingunt ſe dormire, & interdum quoque verè dormiunt, eoque ſomni figmento ſimpliciora & infirmiora animantia alliciunt temereque accedentia vel aduolantia intercipiunt.

Si inimicus tuus magna te voce rogauerit, fidem illi habeas. ſeptem enim nequitiæ in 25.
corde illius latent. Qui tegit inimicitias, 26.
meditatur dolum. Ingenuus autem peccata ſua in concilio manifeſtat.

Satanas variis modis nos tentat.

Satanas variis modis nos rogat, & ad peccatum prouocat; modo namque immundos obſcenoſque ſuggerit, diuerſaſque voluptatum illecebras proponit: modo rurſum cladis aut calamitatis cuiuſpiam rumorem ſpargit; modo denique alia via in nos inuadit; cui viriliter

riliter reſiſtendum eſt, vt qui continuum & irreconciliabile bellum aduerſum nos gerat, ſeptemque, hoc eſt, omnis generis nequitias in corde ſuo verſet.

ALIVS. Quem hic declinauit malignus hypocrita & ſimulator eſt. Per hoc autem quod *ſeptem nequitias* in corde illius latere aſſerit, omni malitia & ſcelere plenum eſſe oſtendit. Aut ſanè numerum certum pro incerto poſuit, aut quia ſecundum ſeptem immundorum ſpirituum nequitias, quos ſecum aſſumſit efformatus eſt, iuxta illud: *Egreſſus immundus ſpiritus ab homine, aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe & reuerſus habitat ibi*, hoc eſt in eo, ex quo exiuerat,

27. *Qui proximo ſuo foueam fodit, incidit in eam. Qui autem voluit lapidem, ſuper ſe-*
28. *ipſum deuoluit eum. Lingua mendax odit veritatem, os autem detectum & lubricum excitat ſeditionem.*

Hæc nullum explanationem adiunctam habebant.

CAP.

CAP. XXVII.

Ne de iis glorieris, quæ ad diem craſtinum 1.
exſpectantur: neſcis enim quid ſuperuen-
tura paritura ſit dies. Laudet te proximus 2.
tuus & non os tuum, extraneus, & non
labia tua.

NE bonus videri velis, cum bonus alioqui non ſis. Verum vt bonus euadas, adeoque ab aliis lauderis, & in admiratione habearis, toto pectore conare.

Turpe eſt velle id videri quod reuera non ſis.

Graue eſt ſaxum, res itidem quæ difficulter
portatur eſt arena: at ira ſtulti vtraque 3.
eſt grauior & difficilior.

Iracundus enim ſe furore incenſum non animaduertit; atque ita vt animum ab ira ſeuocet, furoremque comprimat, non laborat. Credit namque ſe prudentem & intelligentem eſſe, adeoque iuſte inſanire.

Grauis & admodum moleſta res eſt hominis ſtulti ira.

Res crudelis eſt furor & acuta ira; at viri ze- 4.
lus eſt prorſus intolerabilis.

Zelus, inquit, & æmulatio viri de vxoris fide res eſt, quam ſufferre nemo poteſt. Idem alibi quoque docuerat.

Melior eſt aperta reprehenſio, quam ſimula- 5.
ta amicitia: ſicut maiorem quoque fidem 6.
& beneuolentiam teſtatur amici vulnera,
quam voluntaria oſcula inimici.

Nam

Nam cum ex amore illud ſe facere confingat, neque tamen faciat (ſiquidem ex animo non amat; ſed odio habet) fœdè contra amicitiæ leges peccat.

Vtilior & honeſtior eſt manifeſta inimicitia quam ſimulata amicitia.

ALIVS. Vtiliores ſunt amicorum correptiones & manifeſta eorum vulnera, qui peccata palam arguunt, quam illorum oſcula & adulationes, qui illa diſſimulãt & tegunt. Nam cum placere & prodeſſe hac ratione velint, magis obſunt.

7. *Anima exſatiata, mellis fauis ludit, at animæ verò inedia laboranti, etiam amara apparent dulcia.*

Anima, inquit, pura & in diuinarum rerum cognitione ſuauiter enutrita, ad externam doctrinam, philoſophorumque placita ſe cõfert, non tanquã ad ſalutare aliquod alimentum; ſed tanquam ad quoddam externũ animi oblectamentum. At quæ immunda eſt, falſam illam vanamque rerum externarum diſciplinam, quod eam verã eſſe credat, magna cum auiditate haurit.

ALIVS. Vir ſapiens, qui omni bonorum genere animam refertam habet, illecebrarum vſum nullo loco ducit: imò vero omnes vitæ huius voluptates palam contemnit.

Iuſti & in lege Dei eruditi ex Philoſophorũ & Hæreticorum placitis fructum colligunt.

ALITER. Qui eiuſmodi illecebris aſſueti ſunt, quibus væ adiunctum eſt, illi Apoſtolicorum eloquiorum & Propheticorum oraculorum fauos ludibrio habent (ſunt enim eloquia & oracula illa inſtar mellis, quod ex venuſtis beneque olentibus floribus collectum,

& in

& in alueare Eccleſiæ ab illis ipſis congeſta & dulcia admodum & ſalutaria.) At qui iuſtitiam eſuriunt & ſitiunt beati in Euangelio prædicantur, ex eo non parum adiuti, quod in amaris illis pſeudodoctorum commentis quæ aliquam tamen probabilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, probe exercitati ſunt, habent amara illa tanquam dulcia; ſiquidem nihil illis obſunt, imò prudenter in vſum ſuum conuertunt.

Sicut auis cum nidum ſuum deſerit, capturæ periculo ſeſe exponit: ita homo cum à loco ſuo peregrè abit, in ſeruitutem abripi conſueuit nonnunquam. 8.

Per locum, quem homo deſerit, virtutum ſtudium, rerumque diuinarum notitiam, aut orthodoxam fidem à prima ætate hauſtam accipe. Nam qui hęc ſemel ſuſcepta deſeruerit, in peccati ſeruitutē redigetur; ſicut auis procul à nido ſuo deuolans plerumque capitur.

Pernitioſiſsimum ac periculoſiſsimum eſt fidem ſemel acceptam deſerere.

Vnguentis & vinis, variiſq; odoribus & ſuffimentis delectatur cor, anima autem aduerſis caſibus iactata tantum non diſrumpitur. 9.
Ne tuum aut patris amicum facilè deſeras: porro autem cum infortunio quopiam conflictans in fratris domum ne introeas. 10.

Mens quæ in cogitationes ſuas dominatum obtiret, variis modis in ſapientiæ ſtudio ſeſe oblectat. At cum concupiſcens aut iraſcens

vis

vis principatum in anima tenet; tunc obſcuratur, & quaſi ad nihilum redigitur.

11. *Oportunior eſt amicus, qui propè degit, quam frater, ſi procul habitat. Sapiens eſto, fili, vt lætetur cor meum, probroſos autem ſermones longe abs te ſemoue.*

Bonos æmulari oportet, nõ autem per inuidiam procedere.

Hominis ſtudioſi domus eſt virtus: ne itaque fratri tuo inuideas, ſi fortè in ſublimiori aliquo vitæ inſtituto verſetur quam tu; verum omni contentione illum imitari ſtudeas. Aut *frater* hic vocatur, qui per virtutem & ſcientiam germani fratris gradum attigit.

Semoue abs te ignominioſos ſermones.

Per *ſermones ignominioſos* aut *probroſos* deſignat hoc loco obſcæna & turpia verba, aut facta quoque probro & ignominia digna.

12. *Aſtutus ab ingruentibus malis ſeſe ſubducit: Stulti autem qui quiduis temerè aggrediuntur, detrimentum capiunt.*

Qui incõſultè quiduis aggreditur damno plerũque afficitur.

Prudens, inquit, rei initium prouidè expendens, ſubmouet illa, quæ damnum aliquod paritura creduntur. Conſiderat enim quæ commoda vel incommoda ex hoc vel illo exordio conſequi queant, tum illa etiam, quibus animi periculum adiunctum videt. At ſtultus, quod citra delectum ad quiduis aduolet, ſuæ temeritatis pœnas luit plerumque.

13. *Tolle veſtimentum tuum; præſto eſt enim violentus oppreſſor, qui aliena diſperdit. Qui*
14. *mane magna voce benedicit amico, ab execrante nihil differre videtur.*

Deli-

Delineat hic noxiam hominis ſub ouis veſtimento lupum tegentis ſimulationem: nam cum veritatis ſit oppreſſor improbuſque calumniator, alienas oues ſua contagione perniciosè inficit. Aut certè virtutum reliquias illorumque ſcientiã, qui donis diuinitus conceſſis malè vtuntur, intercipit.

Præ cæteris Eccleſiæ ſũt & Reip. pernicioſi qui ſub ouina pelle lupũ tegunt.

Guttæ ſtillantes hominem è ſua domo hyberno tempore expellunt. Pari modo mulier conuitiatrix maritũ ex proprio domicilio eijcit. 15.

Hominis domus, vt paulo ante dicebatur, ſunt virtutes. Qui igitur tentationum ingruentium tempore, diligentem illarum curam non habuerit; facili momẽto ex illis excidit.

Tentationum tempore virtutũ facilis eſt iactura.

Aſper ventus eſt Boreas: at fauſto nomine 16.
appellatur. Ferrum acuit ferrum, homo au- 17.
tem exacuit faciem amici.

Cur Diabolus in Angelum lucis nonnunquã ſe transformet.
2. Cor. 11. 14.

Etſi diabolus ſit inconcinnus, ſibique diſſimilis; attamen quo homines vitæ huius mare nauigantes facilius capiat, ſæpè in Angelum lucis ſeſe transformat.

Qui plantat ficum, comedit fructus eius:
qui autem Dominum ſuum obſervat, ho-
nore potietur. Vt vultus vultibus non ſunt 18.
ſimiles; ita hominum quoque corda inter ſe 19.
ſunt diſsimilia. Vt infernus & perditio nunquam implentur; ita mortalium quoque oculi ſunt inſaturabiles.

Digitized by Google

Dominus eſt ficus, fructus illius ſanat lepram. Qui ſermonem acceptum ſeruat, in honore & precio erit.

Dominus execratur oculos obfirmantem hominem. Indocti petulantis ſunt linguæ. Aurum & argentum probantur per ignem; vir autem per os ſe laudantium.

21.

Indocti in tẽperantis ſunt linguæ.

Per hominem oculos obfirmantem deſignat hoc loco ſuperbum, faſtuque turgidum, eundem alibi malè videntem nominat. Viri indocti intẽperantis ſunt linguæ, inquit. Iſtud autem & iræ & ebrietatis quoque tempore in mentem reuocare conuenit. Vir probatur & exploratur per os laudantium, hoc eſt, per id cognoſcitur, quod neque extollitur in proſperis, neque deiicitur in aduerſis & triſtibus. Nam boni laudãt, quia bonus eſt: mali autem laudant, quia malus eſt.

Cor iniqui inquirit mala: Cor autem rectum exquirit ſcientiam. Si ſtultum in medio prudentum cœtu flagris turpiter cecideris, non auferes ab illo ſtultitiam.

22.

Non facilè, inquit, ſtultum à ſtultitia ſua abduxeris, etiam ſi publicè loris illum ceciderìs ac deturpaueris. Plus autem ea in re profeceris, ſi priuatim, quantam ignominiam & notam ſtultitia homini conciliet, illum admonueris.

ALIVS. Difficulter hominem ſtultum publica obiurgatione ſobriũ prudentemque effeceris, maximè verò ſi coram nobilium homi-

hominum cœtu res hæc tentata fuerit. Imò verò ſi ſtultum in media turba ignominioſè caſtigare volueris, incendes potius, quam corriges. Quamobrem cum vſus & opportunitas id poſtulauerit, priuatim increpationem adhibe. *Stulti publicè non ſunt obiurgandi niſi publicum peccatum aliud exigat.*

ALIVS. In grauius aliquod peccatum prolapſum, ne coram omnibus argue: Dicit ſanè Apoſtolus, *peccantem coram omnibus argue;* 1. Tim. 5.
verum is de eo loquitur, qui in modico exorbitauerat & publicè nihilo ſecius offenderat. 20.
Lapſus enim publici publicam exigunt ſatisfactionem & obiurgationem.

Diſerte agnoſce animas gregis tui, tuiſq; gregibus ſedulo adiunge animum. 23.
Viri enim paſtoris imperium & robur non ſe protendit in æuum; neque de generatione in generationem vitæ pabulum adminiſtrabit illis. 24.

Hæc ad Doctores & Paſtores pertinent. Agnoſce, ait, auditorum tuorum animas, & obſerua, quænam ex illis perfectiora ſpiritalis vitæ præſidia ferre queant; quæ rurſum tanquam adhuc infantes lacte pro nutrimento opus habent. *Cuiuſmodi debeat eſſe cura & ſtudiū Paſtorum.*

Curam eorum habe, quæ virent in agro; demete gramina & montanum fœnum conuehe, 25.
vt habeas oues, quarum lana te veſtias & lacte nutrias, honora & excole agrum, quo agnos & agnas nutrias. 26.

Agrum appellat hic mentem; virentes autem herbas beneque olentes flores virtutes, quæ in illa exiſtunt. Harum porrò rerum qui curam habet, is demetit herbam viridē, nempè Dei cognitionem: Per fœnum montanum cœleſtium ſanctarumque virtutum & poteſtatum cognitio deſignatur; quæ infirmiori, & rudi adhuc animarum conſtitutioni conuenit. Solent enim Scripturæ Sanctos
Pſal. 120. *Montium* nomine exprimere: vt *Leuaui oculos*
Pſal. 123. *meos ad montes; vnde veniet auxilium mihi.* Rurſum: *Montes exultauerunt vt arietes*; vtique propter Iſraelis ſalutem. Etenim ſi propter vnū peccatorem
Luc. 15. 7 pœnitentiam agentem gaudēt Angeli, quanto magis propter tam multos, qui relicta malitia ad virtutem tranſitum fecerunt; Quare vel ſola ſanctorum Angelorum cognitio nutrit illas, quæ in nobis ſunt virtutes; ex quibus anima induit viſcera miſericordiæ, benignitatis, aliaque ſimilia.

27. *Fili accepiſti à me veneranda & fortia verba; quibus & tuam & famulorum tuorum quoq; vitam nutrias atque ſuſtentes.*

Inter verba Dei, alia quidem ad filiorum vitam ſunt ſcripta: alia verò ad famulorum ſalutem extant edita.

CAP.

CAP. XXVIII.

Impius fugit nemine perſequente: iuſtus au- 1.
tem tanquã leo confidit. Propter impiorum 2.
peccata iudicia & lites ſuſcitantur, vir 3.
autem prudens extinguit illa. Qui impie-
tate excellunt, per calumnias pauperes op-
primunt.

IMPIVS conſcientiæ ſtimulis agitatus meticuloſus timiduſque efficitur; adeoque nemine prorſus inſequente, fuga ſibi conſulit. Sunt autẽ qui loco *χρίσεις iudicia, βρίσεις* legũt: quod nomen *grauamen* aut *oppreſsionem* ſonat.

Mala cõſciẽtia hominẽ timidũ & meticuloſum reddit.

Qui lege deſerta impietatem laudant; ſimiles 4.
ſunt inutili impetuoſoq́; imbri, qui autem
legem diligunt valido muro ſeſe cingunt.

Hæreticorum opes rectè comparantur vehementi inutilique imbri. Hi enim ſunt, qui & legem deſerunt, & turpia, quæque non cõueniunt, extollunt. Qui autem diligit legem, ille facit legem. Qui illam autem facit, is quãdam impatibilitatẽ, Deique fauorem & cognitionem ſibi parit, qui illum deinde cuſtodit, tutumque ab hoſtibus reddit.

Viri improbi nullum intelligunt iudicium: qui 5.
autem Dominum inquirunt, in quauis re
induſtria & intellectu valent.

Parua laus eſt in malis eſſe induſtriũ. Vir agendi induſtria præditus, etſi aſtuto ſimplicior habeatur; attamen honoratior eſt eo, qui in rebus malis prudens eſt.

6. *Pauper in veritate ambulans melior eſt diuite*
mendaci: Filius prudens cuſtodit legem:
7. *qui autem ſectatur luxuriam ignominia*
afficit patrem.

Filius prudens cuſtodit, &c.

Nam quæ in illa occurrunt ſpiritalia, ea quiete fideliterque conſeruat, per luxuriæ autem ſectatorem hoc loco accipe mentem; hæc eſt quæ immundas fouet cogitationes, carniſque ſectatur cupiditates. Qui autem per legis præuaricationem haſce nutrit, ille Deum citra vllam controuerſiam offendit. Quemadmodum & ille quoque, qui falſa dogmata fouet, docet aut ſpargit.

8. *Qui auget opes ſuas vſuris & exceſſibus; illi*
vtique eas congregat qui benignus & libe-
ralis eſt in pauperes. Qui auertit aurem
9. *ſuam ne audiat legem, orationem ſuam ex-*
ecrabilem reddit.

Impiorum opes vitia ſunt & peccata. Sermonis huius ſenſum liberalem non facilè quiſpiam conſtituerit; niſi ad tropum ſe conuerterit. Ecquænam, inquis, impiorum ſunt opes? vitia ſanè & peccata. Hæc autem viri ſapientes per ſpiritalem doctrinam abſumunt; immundos nimirum pollutoſque ad virtutem virtutiſque & caſtitatis ſtudium adducentes.

Qui

Qui per dolũ abducit rectos in viam malam, ipſe in interitum & corruptionem incidet. Iniqui autem tranſibunt per bona, neque tamen attingent illa. 10.

Senſus eſt, qui rectos, hoc eſt iuſtos vel ſapientes ſeducit aut offendit, in mortem ruet, ad vitam autem veram nunquam pertinget.

Vir diues ſe apud ſe ſapientem iudicat, aſt pauper intelligens condemnabit eum. 11.

Vir, inquit, agendi facultate inſtructus, & induſtrius, eos qui falſis mendacibuſque ſermonibus affluunt, tanquam fruſtra laborantes, ſeſeque incaſſum defatigantes, ſtultitiæ reos peraget.

Per & propter auxilium iuſtorum multa obtingit gloria: in locis autem impiorum homines capiuntur. 12.

Qui peccatores ad frugem reducit magnam apud Deũ promeretur gratiam.

Qui peccatores ad frugẽ reducũt, & Deum honorant, & ſeipſos commendant. Impij autem in impiis machinationibus ſuis capiuntur, malum nimirum malo ſemper accumulant.

Qui impietatem ſuam cælat; haud facilè proſperabitur. Qui autem iniuſtitiam ſuam dilucidè enarrat, fauorem & gratiam promerebitur. 13.

Per ſolam pœnitentiã patet aditus peccatori ad vitam.

Qui peccata ſua non confitetur, inquit Sapiens, ille non ad vitam; ad quam per ſolam pœnitentiam venitur; ſed ad mortem viam ſibi munit.

14. *Beatus vir qui quadam Dei reuerentia tactus extimeſcit omnia; aſt homo duri præfractiq́ cordis incidit in mala.*

Dei timor reddit hominē pauidum & cautū & in omnibus circūſpectum.

Qui Dei timorem obtinet, ille, inquit, omnia, quæ aliquod contagium vel detrimentū animæ adferre poterant, formidat, ſuſpectaque habet: adeoque beatus cenſendus eſt. Aſt improbus neminem timet, atque ita in varia incidit incommoda:

15. *Tyrannus inops inopi populo præfectus, eſt*
16. *veluti leo eſuriens, aut lupus ſitiens. Rex*
prouentuum indigens magnus eſt calumniator. Qui autem odit iniuſtitiam, longo
17. *viuet ille tempore. Qui in cauſa cædis pro*
altero ſpondet, & exilio multabitur, & nulla vnquā ſecuritate potietur. Erudi filium tuum, & amabit te, addetque ornamentum animæ tuæ.

Inops Princeps miſera & inopi plebi eſt flagellum.

Acris fames, & arida ſitis omnem ſyluam, omnemque locum perſcrutari leonem & lupum compellunt. Quæ autem ſatiatis reliqua fiunt, ea non recondunt. Pari modo rerum neceſſariarum inopia, inopes Principes varias extorquendi pecunias artes excogitare & exercere cogit.

18. *Caue obſequaris genti iniquæ. Qui ambulat*
19. *iuſtè, auxilium conſequetur: qui autem*
graditur vijs peruerſis, erroribus & tricis implicabitur. Qui ſuam ipſius terram exercet

ercet & excolit, implebitur panibus: qui autem otiũ ſectatur, obruetur egeſtate.
Vir fidelis larga potietur benedictione: ma- 20.
lus autem non erit impunis. Qui iuſtorum 21.
faciem non reueretur, ille neque bonus neque honeſtus cenſendus eſt. Talis quippe ob panis bucellam proximum tradere paratus videtur. Vir inuidus feſtinat ad opes, 22.
neſcius fore quandoq́, vt crudelis dominetur illi. Qui hominis iniuſtas vias reprehē- 23.
dit, maiorem promeretur gratiam, quam qui lingua blanditur & adulatur. Qui de- 24.
nique vi aliquid extorquet ex patre vel matre; neque ob id tamen videri vult peccare, ille impij viri ſocius eſt.

Qui nunc miſericordiam exercent, in futuro ſeculo inuidis diuitibus dominabuntur: ſic qui prauas hominum vias reprehendunt, maiorem apud DEVM gratiam potiuntur quã illi, qui aliorũ vitijs aſſentãtur. Imitãtur illi enim induſtrios medicos, qui vbi id opus eſſe intelligunt, ſectionibus & aduſtionibus vti conſueuerunt.

Qui miſericordiã exercẽt olim immiſericordibus dominabũtur.

Inſatiabilis vir iudicat temerè: Qui autẽ cõ- 25.
fidit in Domino in Domino curæ erit.

Senſus eſt, qui lubricũ inconſtanq́ue animi iudiciũ habet, is temerè & ſtultè iudicat: qui autẽ ſpẽ in Dominũ reijcit, is in animi & corporis ſanitate à Domino conſeruabitur.

26. *Qui in cordis ſui audacia ſpem ponit, ſtultus*
eſt: Qui autem ambulat prudenter & cau-
27. *tè, ſalutem conſequetur. Qui opem fert*
mendicis, citra indigentiam viuet: qui au-
tem oculum ſuum ab illis auertit, cum mul-
ta egeſtate conflictabitur.

Qui in audacia ſua ſpem ponit, ſtultus eſt.

Stultus meritò vocatur, qui audaci cordi ſuo confidit: quia plus tribuit temeritati, quàm iudicio, plus rurſum iniquitati, quàm æquitati. Cætera iam antè ſunt expoſita.

28. *In locis, vbi regnant impij, gemunt iuſti; in*
illorum autem interitu & clade iuſti cre-
ſcunt.

Cur iuſti ſub impiorum imperio degentes gemãt.

Impiorum loca ſunt quæuis ſpatia terrena, in quibus velut in tabernaculis habitant. Iuſti autem gemunt ſub impiis, vtpote oneribus, quæ imponunt, nimium grauati, ſi autem impij impietatem depoſuerint eidemque mortui fuerint, mox fiunt iuſti, adeoque iuſtorum numerus augetur. Hęc autem iniuſtorum mutatio illorum appellatur interitus. Sic Dominus perdidit Matthæum quatenus Publicanum, quando illi gratiam & iuſtitiam impertiuit: idem ſtatuas de reliquis peccatoribus ad ipſum conuerſis.

Matt. 9. 9. & 10. 3.

CAP.

CAP. XXIX.

Melior eſt vir, qui leniter corripit, duræ cer- 1.
uicis homine. Nam cum hic ſubitò incen-
datur iraq́; ardeat, nulla contingit ſanitas.
Cum laudantur & exaltantur viri iuſti, 2.
gaudio exultant populi; contra verò cum
dominantur impij, viri boni & iuſti ge-
munt.

QVI dextrè reprehendit ſanat, qui verò pro ceruicis ſuæ duricia cōuitiatur, non tam ſanat quam irritat; & propter ruborem, quem temerè ingerit, quos obiurgat impudentes reddit. Gemunt autem viri non quiuis ſed iuſti & ſapientes dominante impio.

Dextrè & ſuauiter reprehēdat oportet qui vult prodeſſe.

Gaudio afficit patrem vir qui amat ſapien- 3.
tiam. Qui autem paſcit ſcorta, opes ſuas
perdit ac dilapidat.

Per *viri patrem* accipe hoc loco piam ſapientemque mentem quæ in ipſo eſt. *Scorta* autem vocat ægros affectus, prauaſque cogitationes, per quas ſpiritales opes perimi & aboleri ſolent.

Ægri affectus praue cogitationes ſcortorū nomine interdum ſignificantur.

Rex iuſtus prouinciam erigit: vir autem ini- 4.
quus euertit eam. Qui dolum machinatur 5.
in perſonam amici ſui, rete iniicit pedibus
ſuis. Virum peccantem magnus inuoluet la- 6.
queus: iuſtus autem gaudio lætitiaq́; per-
funde-

Digitized by Google

21. Qui à puero delicijs indulget, ſeruus euadet:
At nouiſsime ſortem ſuam deplorabit gra-
22. uiter. Vir furioſus ſuſcitat contentiones
& lites: vir autem iracundus coaceruat
23. peccata. Superbia virum humiliat, Domi-
nus autem ſpiritu humiles gloria firmat.
24. Qui cum fure diuidit, odit animam ſuam.
25. Quod ſi qui ſunt qui iuſiurandum propo-
ſitum audiuerunt, neque auditum tamen
homines veriti aut timore perculſi, denun-
ciauerunt, illi ad vnum omnes ſubuerten-
tur. Qui autem confidit in Dominum, læ-
26. tabitur. Impietas homini conciliat lapſum:
at qui fiduciam ſuam reijcit in Dominum,
27. ſaluabitur. Multi obſeruant faciem prin-
cipum; interim æquum & iuſtum obtingit
28. homini à Domino. Vir iuſtus deteſtatur in-
iuſtos; iniquus contra execratur viam re-
ctam, rectaue ad virtutem ducentem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXX.

1. *Hæc ijs hactenus vir diſſeruit, qui Deo fidem* 2.
habent. Nunc finem facio. Sum enim mortalium omnium ſtultiſsimus neque vlla omnino humana prudentia in me exſtat.

VIRILEM ætatem nactus hæc Deo credentibus diſſerui, inquit ſapiens; ſiquidē diuina myſteria, aut quæ olim ventura ſunt, non quibuſuis concredere oportet, ſed fide dignis. In poſterum autem morum doctrinam vobis tradere; aut ad illam vos amplius exhortari deſiſtam, quandoquidem mortalium omnium ſtultiſſimus ſum, hoc eſt, Deo diuina ſapientia me illuſtrante & inſtruente omnis humanæ prudentiæ iacturam feci.

Diuina myſteria non quibuſuis cōmittenda, ſed dignis tantum.

Deus docuit me ſapientiam, ſanctorumq́; co- 3.
gnitionem hauſi. Quis aſcendit in cælum, 4.
& inde deſcendit? quis collegit ventos in ſinu?

Proponit hic quædam humanis viribus impoſſibilia, quæ proinde ad nullum alium, quam ad Chriſtum Seruatorem noſtrum referri debent. Hic vnus enim eſt qui rerum omnium quæ ſub ſenſum cadunt, vires & naturas moderatur. Cæterùm per ſpiritales alas, quibus in altum ſubuehimur, ſublimiores quædam de Deo ſententiæ & rationes deſignantur. Verſantur autem in ſublimi, qui diuinorum

uinorum myſteriorũ contemplatione & ſenſu digni effecti ſunt. Dominus itaque *Ieſus*, è radice Ieſſe exortus, ventos ſimul in ſinu collegit. De illo namque proditum extat, *Requieuit ſuper illum Spiritus ſapientiæ & intellectus.*
Eſai. 11. *Spiritus ſcientiæ & pietatis, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus timoris Domini.*

Deus docuit me ſapientiam, &c.

Hoc eſt, per veram ſcientiam, è medio ſuſtulit falſi nominis notitiam.

4. *Quis vniuerſam aquam quaſi intra veſtimentum concluſam in vnum coëgit? quis in omnem terræ ſummitatem dominatum obtinuit? dic age, ſi noſti: Quod eſt ipſi nomen? aut quod eſt nomen filiis eius?*

Quod Salomon de *aqua* & *veſtimento* hic tradit, non eſt abſimile illi, quod parens eius Dauid eadem de re alicubi proponit. Ait enim
Pſal. 103. *Abyſſus ſicut veſtimentum indumentum eius.*

ALIVS. Quis verã Dei notitiã virtutibus impoſuit? hoc eſt, quis per ſapientiã ſuam aut potentiam inconſtanti rerum naturæ & conſtitutioni ſtabilitatem indidit?

Aqua vndique terram ambit.

ALITER. Quemadmodum indumentum homini vndique iniicitur; ita Deus vniuerſæ terræ circunfudit aquam.

ALIVS. Chriſtus Seruator noſter à vitæ ſuæ inſtituto omne caducum & fluxum ſecluſit; ſiquidem nullum peccatum fecit, nec inuen-
1. Pet. 2. tus eſt dolus in ore eius. Quod autem per veſtimentum vitæ inſtitutum nonnunquam denotatur, id clarè ex Euãgelio liquet. Ibi

Ibi enim illi, qui in agro agebat, mandatur ne domum reuertatur ad tollendam veſtem ſuam, hoc eſt, ne inchoatum ſpiritalis vitæ curſum deſerat retroué reſpiciat. *Matt. 25.*

5. *Omnia Dei verba ſunt ignita? protegit autem omnes, qui ipſum reuerenter colunt.*

Omnes, inquit, ſermones Dei ſunt igniti. Nam & omne ſpinoſum, & ſurculoſum igne ſuo abſumunt; & quod mundum & repurgatum eſt palam oſtendunt, & ad ſalutem obtinendam ſat ſunt. *Dei verbũ eſt ignitũ & qua de cauſa.*

6. *Ne quid addas ſermonibus eius; ne redarguat te, mendaxque deprehendaris.*

Ad veram illius doctrinam, ait, quæ illius lex eſt, nihil falſæ doctrinæ adiungas; ne veritatem mendacio contaminare & eleuare videare.

7.
Duo abs te peto; ne adimas mihi gratiam an-
8. *tequam moriar, ſtultum rurſum mendacemque ſermonem longè fac à me. Diui-*
9. *tias porro & paupertatẽ ne dederis mihi, conſtituas autem ea tantum mihi, quæ ad neceſſarium vitæ vſum ſat ſint.*

Hoc loco Sapiens ſimplicem ſermonem in ſupplicationem transformans Dominũ eiuſmodi oratione compellat, *Domine duo, &c.* Aduerte autem licet duorum tantũ mentionem faciat, attamẽ diuina gratia linguam ipſius moderante, petitio illius terrarum

Digitized by Google

numerum excedit; atque ita plura quam duo à Deo petit. Deinde ſingulas petitiones ſecundum nomen & ſpeciem proponit. Dici tamen poſſet primam ad cæteras viam munire.

Duo peto abs te, &c.

ALIVS. Vel ſapiens à ſapientia, vel *Chriſtus* ſeuerus à *Chriſto* Domino iſthæc petit. Petit autem de pluribus; verum quod primum & quaſi viam ad ea obtinenda, quæ petiturus erat munire videbatur, illud præmittit, dicit enim: Ne auferas à me gratiam tuam, hoc eſt, te mihi facilem & exorabilẽ præbeas. Hoc autem exordio præmiſſo, primam ſtatim petitionem infert dicens: ſtultum inanémque ſermonem, hoc eſt falſi nominis ſciẽntiam aufer à me; ne vanitate illa repletus mendacium promam. Satietas itaque & nauſeam, & ſimul quoque ſuperbiam generat; ſicut & illud quoque, quod quis in opere & ſermone ſeſe omni reprehenſione maiorem, omniſque adeo peccati expertem exiſtimat, falſoque perſuaſum habet. Nam quod paulo poſt ſubditur, *quis me videt?* idem eſt, quod Et quis me redarguet? *Ne*, inquit, *mendax efficiar, & dicam, quis me videt?* Ne, inquam, ſapientia repletus, ea loqui videar, quæ & comprehendi nequeunt, & captum meum excedunt, & ſic in mendacium & vanitatem incidam.

Falſi nominis ſcientia plus obeſt quã prodeſt. Satietas nauſeã & ſuperbiam generat.

10 *Ne ſatiatus mendax fiam, & dicam: Ecquis me videt? aut in paupertatem redactus, fur-*

furtum committam, & nomen Dei peierem.

Ne, inquit, inani ſapientia repletus, ſuperbus & arrogans euadam, & dicam: quis eſt Dominus? aut è diuerſo rudis indoctuſque exiſtens, theoremata à veritate aliena furtim hauriam? Si enim ſapientia plenus fuero, ait, dicam Quis me de verbo, vel opere malo redarguet?

Vtrumque malū eſt & nihil ſcire & nimis multa velle ſcire.

Ne fugitiuum ſeruum tradideris in manus Domini, ne fortè maledicat tibi, & è medio tollaris. 11.

Noli eum offendere, inquit, qui à diabolica ſeruitute & tyrannide liber euaſit: ne tua forte offenſione priora ſtudia illum repetere compellas.

Soboles proleſque mala patri maledicit, & matri non benedicit. Soboles proleſque mala iuſtam ſeipſam iudicat; neque tamen exortus ſui ſordes abluit. 12.

Qui circa virtutis ſtudium deſides ſunt, doctrinam quidem inculpatam agnoſcunt: verum eos, qui præſunt prauos ineptoſque eſſe contendunt.

Exortum non abluit, &c.

Exitum vel exortum aut originis peccatum, aut alias vitæ maculas hoc loco vocat: ſenſus enim eſt. Vitam à ſordibus, aut os ab obſcœnitate, aut cor ab immundis cogitationibus, aut inquinamenta, quæ ex ortu contraxerat, per Baptiſmum non abluit.

Cuiuſmodi ſint ſordes originis.

13. *Soboles mala elatos præ ſe fert oculos, ſuiſq; ſeſe palpebris extollit.*

Ioan. 8. Semen Abrahæ ſumus, inquiebant Iudæi, & nemini vnquam ſeruiuimus.

Palpebris ſeſe ſuperbus, &c.

Quales ſint qui elatis incedunt palpebris. Nam & contra infirmos ſeſe effert, eoſdemque mordet, & deuorat dicens: ne accedas ad me, quia mundus ſum, neque ſum ſicut tu, aut cæteri homines.

14. *Soboles mala dentes habet ſimiles gladijs, & molares inſtar forcipis ſcindentes, vt deuoret, & è terra abſumat infirmos & humiles; & pauperes eorum ex hominibus tollat.*

Vox τομὶς plura Græcè ſignificat. Vox Græca τομὶς quæ hic pro *forcipe* vſurpatur, ſignificat quoque bidentes, & bipennes, & aſcias vtrimque ſcindẽtes, & anteriores dentes. Mordet autem & deuorat generatio hęc infirmos, quia contendit illos de terra tollere, vitaque propria inopes orbare.

15. *Sanguiſugæ tres erant filiæ admodum dilectæ; & tres illæ non explebant illam; & quarta dicere nequibat ſatis eſt. Tria*
16. *ſunt inſatiabilia, & quartum nunquam dicit ſufficit: infernus, amor mulieris, & terra aqua non ſaturata. Sed ignis quoque & aqua nunquam dicunt, ſat eſt.*

San-

Digitized by Google

Sanguiſuga naſcitur in aquis dulcibus: eſt autem animal lumbrici ſpeciem præ ſe ferens, contactum admittens admodum mollem. Quamobrem ſuo liuore ſuaque mollitia fretum, clanculum ad homines & cætera animantia adrepit, moxque partem aliquam corporis complexũ, non prius inde diſcedit quam ſanguinis ſuctu ſeipſum totum expleuerit, vel hominem necauerit. Sanguinem enim ſugit, & inde alitur, & ad iuſtum incrementũ perducitur. Sapiens itaque diabolum ſanguiſugæ hoc loco aſſimulat. Nam cum is hominem vi in ſuam poteſtatem redigere non queat, triplici incitamentorum genere eum adoritur. Primò enim callidè illum demulcet & allicit, mox decipit, tandem perimit. Primò inquam, per falſæ doctrinæ cuniculos illum inducit in perditionem. Hanc *Inferni* nomine hîc deſignat; ſiquidẽ per vindictæ vel pœnæ qualitatem; peccati magnitudinem oſtendere voluit. Deinde dulci intemperantiæ veneno voluptatumque illecebra vndique illum conſtringit; hanc per mulierum amorẽ exprimit. His tandem auaritiam, habendique ſitim (quam terram ſiccam, quæ aqua nunquam ſatiatur, vocat) adiungit. Terra enim præſertim arenoſa, nũquam aqua expletur. Hæc tria igitur ſunt retia & laquei, quos malignus ille dæmon ad hominum capturam & perditionem excogitauit. Quæ proinde tanquã proprias filias amat & fouet. Quartum

Quid ſit ſanguiſuga vbi naſcatur & vnde alatur.

Diabolus ſimilis ſanguiſugæ.

autem ex tribus illis conflatur. Eſtque illud nihil aliud quam inueteratus malarum rerũ vſus, alteque infixa in hoc vel illo genere peccandi conſuetudo. Neque enim, qui ſemel aut iterum tantum falſum opinatus eſt; aut vna vel altera tantũ opinione falſa correptus eſt, neque qui ſemel tantum aut iterum ſcortatus eſt; neque qui ſemel ſolum pecunijs plus æquo inhiauit, illis ſtatim animi moribus ceſſit; ſed qui diuturna conſuetudine in his detritus eſt, & tandem illarum rerum ſenſu ſuperatus eſt. Hoc ferè modo illos comparatos inuenies, qui ab ineunte ætate in erroribus falſiſque opinionibus educati ſunt. Tum illos rurſum, qui in carnis illecebris diu multumque volutati ſunt; tum eos denique omnes, qui in quibuſcunque vitijs, vel flagitijs iam olim detriti ſunt; ſed neque ita affecti ſatietatẽ adhuc capiunt, verum animi morbos magis magiſque ſemper firmare contendunt, neque ſua perditione contenti alios quoque in eiuſmodi obſcœnitatem & vitiorum barathrum deiicere nituntur. Nam vt aqua & ignis ſi cremabilem vel humidã materiam adijcias, nunquam eſſe deſinunt, neque vnquam ſat eſſe dicunt, ſed incrementum per adiectam materiã ſumunt. Nam vt ignis, materiæ quæ inflammari nata eſt additione fit maior, & aqua aquæ affluxu fit auctior; ita tria iam dicta vſu ipſo perficiuntur & confirmantur. Quæ tu proinde expendens, abſtine ab illis, ne ſenſim & clam quaſi per ſanguiſugam ex-

Cõſuetudo peccandi vſuſque inueteratus cuiuſcũq. vitij difficillime ſuperantur, ſuntque adeò expedita ad damnationem via

Digitized by Google

exſuctus illecebrarum ſuauitate vita priueris.

Infernus & amor mulieris, &c.

ALIVS. Sanguiſugæ; hoc eſt, peccato vniuerſè accepto tres ſunt filiæ, nimirum *inuidia, ſcortatio*, & *idololatria*, & tria hæc nunquã implent illud; culpa namque hominem per eiuſmodi infames actiones mortificans, ſenſimque perimens nullo tempore impletur, præſertim apud inferos.

Quarta autem nunquam dicere poteſt, Sat eſt. Per quartam communem quandam de omnibus & circa omnia cupiditatem exprimere videtur. Nam vt vnum vnius animantis eſt corpus, quod conſtat membris multis, ita peccatum vnum multas libidines & deformitates in ſe comprehendit. *Sanguiſuga* eſt diabolus, hic enim eſt, qui animarum ſanguinem, hoc eſt vitalem illarum vim exſugit. Habet autem filias, & non filios: Quia nihil virile & maſculum exercet, ſed in omni effæminata illecebra & voluptate ſeſe ſuoſque volutat & verſat. *Infernus* eſt malitia, quæ eſt filia diaboli animas occidens, neque ſatietatem vllam capiens. Amor mulieris, eſt impia ſeductionis erroriſque doctrina, quæ nunquam expletur. *Terra* quæ aqua nunquã ſaturatur, eſt anima arenoſa & ſterilis, quæ ſacris Literis ſemper potatur & irrigatur, nec vnquam tamen emendatur, in quibus omnibus punitionis ignis olim graſſabitur.

Vt vnum animal multis cõſtat membris ita vnũ peccatum multas complectitur deformitates.

Tres filiæ, &c. Cuiuſmodi ſunt illæ per quæ diabolus homini inſidias ſtruit, exemplis declarat. Sunt autem illa *infernus*, & *amor* mulieris, & *terra* quæ non ſaturatur aqua, & aqua tandem & ignis, quæ non facilè dicunt, ſufficit. Quemadmodũ enim infernus, quotquot impiorum hominum ſpiritus ad ſe amandatur, nunquam illos ſuſcipere deſinit; ita peccatricis quoque mulieris amor ſcortari ſuæque animæ ſalutem prodere nunquam finem facit. Quare meritò quoque infernus *tartarus* appellatur, vt qui in humidis obſcuriſq; locis ſemper degat; neque veræ lucis radiis vnquam illuſtretur. Talis enim eſt qui in omni carnalis libidinis genere peccato ſeruit. Eſtque idem ſimilis terræ, quæ aqua nũquam ſaturatur; nunquam enim vel ad peccatorum confeſſionem vel regenerationis lauacrum venire poteſt, adeoque igni & aquæ, quę nunquam ſat eſſe dicunt, ſimilis eſt.

Cur infernus alio nomine Tartarus appelletur.

17. *Oculum illum, qui patrem deridet, & matris ſenectutem inhonorat, corui ex conuallibus eruant, pulliq́; aquilarum eundem deuorent.*

Per oculũ mens deſignatur. idq́; variis de cauſſis.

Variis modis mens oculus appellatur; vt quæ vna omnis bonæ & malæ laudatæ rurſum & illaudatæ ſit cauſa actionis. Quando ea ergo contra diuinorũ iudiciorum abyſſum os aperit; aut ſalutares Scripturas peruertit, cæleſtem patrem inhonorat. Cum autem doctrinam Eccleſiæ per Prophetas & Apoſtolos traditam inſectatur, matrem dehoneſtat. Hunc

Hunc talem ergo oculum quædam malignæ poteſtates & diræ, quæ ſuppliciis irrogandis & expiandis præſunt, excindant, vel ſi fieri poteſt, in partem expient. Appellat autem has diras coruos tanquam non altè volantes, ſed quaſi ex cauernis & vallibus prodeuntes. Porrò autem, qui oculum totum deuorant, aquilarũ pulli vocantur: propterea fortaſſis, quod integra purgatio ipſis cõmittatur. Sunt tamen, qui illud *ex cauernis vel vallibus* ad oculum ipſum referant, vt ſit ſenſus ex profundis, ſiue radicitus oculum illius excindant.

Tria ſunt, quæ intelligere omnino non valeo; 18.
& quartum prorſus ignoro: nempe veſtigia 19.
aquilæ volantis, & iter colubri ſuper petram, & ſemitas nauis mare tranſeuntis, & vias viri in adoleſcentia.

Per *Aquilæ volantis* diaboli veſtigia deſignat: Nam Ezechiel quoque aquilæ nomine diabolum appellat. Huius autem veſtigia iuſti facilè deprehendunt; ſed & tu quoque præſentiæ illius veſtigia noli deſpicere. Declinante à me maligno, inquiebat Dauid, non auertebam.

Iuſti Aquilæ, nẽpe Diaboli veſtigia agnoſcũt.

Viam ſerpentis ſuper petram, &c.

ALIVS. Petra dicitur *Chriſtus*: Hic vnus enim eſt, qui peccatum nullum fecit, adeoque ſerpentis viam carniſue concupiſcentiam in ſe non habuit. Quin ſacrum quoque illius corpus haud inconcinnè myſtica quædam nauis appellari & eſſe intelligetur. vt quod omni bonorum genere, opibuſque

Chriſtus nullã ſenſit carnis libidinem, ſicut nullum quoque fecit peccatum.

apprimè precioſis fuerit refertiſſimum. Eſtque idem haud ſecus ferè in mortali hac vita verſatum, atque nauis in mari ſolet. Idem ille Chriſtus Dominus ſolus vitæ huius mare inoffenſe pertranſijt ſuamque œconomiam, quæ humanis cogitationibus cōprehendi nequit, admirabiliter expleuit. Meritò proinde adoleſcētis viri vias Sapiens nō cognouit. Idem tandem peruerſas ſerpentis vias, tanquam malignis libidinibus plenas neque quicquam firmum, aut ſtabile præ ſe ferentes, odio habuit. Aut per aquilam accipe Chriſtum, per aquilę veſtigia incomprehenſum eiuſdem è cælis deſcēſum, & ad eoſdem rurſum aſcenſum. Per ſemitas nauis, admirabilem illius ex Matre Virgine exortum. Per viam denique anguis diabolicas tentationum vires & operationes.

Solus Chriſtus Dominus præſentis vitæ mare inoffenſe pertranſiit.

20\. *Eiuſmodi eſt via mulieris adulteræ. Hæc enim poſt perpetratum flagitium ſe abluit, ſeſeque nihil abſurdum commiſiſſe aſſerit.*

Anima à cœleſti ſponſo aliena, vbi adulterinæ doctrinæ ſordibus ſeſe per aquam expiauit, ſeipſam iuſtificat.

21\. *Per tria mouetur terra, & quartum ferre omnino non poteſt.*

Per terræ concuſſionem rerum, quæ in ea geruntur mutatio & viciſſitudo ſignificatur.

22\. *Si ſeruus regnum obtinuerit, & ſtultus cibo ex-*

exſatiatus fuerit, & ſerua Dominũ ſuum eiecerit, & odioſa mulier in nobilis viri coniugium aſſumpta fuerit.

Igitur culpa, quæ natura ſua ſerua eſt, ſeruũque efficit; iam olim regnauit in mortali hominum corpore, ſemel quidem vniuerſalis diluuij tẽpore, mox verò ætate Sodomorum, terræ ſuæ vbertatẽ modeſtè ferre non valentium, nec non exteris peregriniſque hominibus ex mera petulantia vim adferentium. Hinc rurſum ſub odioſa Ægypto; hæc enim virum bonum, nempe Ioſephum nacta, ingrata extitit. Ioſeph namque ne fame interirent, omnibus frumenti menſuram diſtribuebat, deque omnibus benè mereri ſtudebat: verum ſuperbia ebria filios Iſraël nihil tale meritos per ſummam iniuriam & contumeliam miſerrimè diuexabat & opprimebat. At verò ancilla, quæ Dominam ſuam expulit, eſt Eccleſia ex gẽtibus collecta. Hæc enim cum ſerua, & à diuinis promiſſionibus aliena eſſet, ingenua dominaque ſua ſynagoga expulſa, Domina, Chriſtique ſponſa effecta eſt.

Culpa ſuapte natura & ſerua eſt & ſeruum efficit.

Eccleſia ex Gentibus collecta cum ſerua eſſet dominam ſuam ſynagogam expulit.

Per tria, &c.

ALIVS. Hoc eſt, per Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum terra commouetur, & gubernatur; quartum autem nõ poteſt ferre, neque enim in diuinis eſt quaternitas, ſed Trinitas tantum. venit autem hic Deus Trinitas per legem naturæ nos docens, mox verò per Moyſem & Prophetas. Poſtremo

Terra mouetur per hac tria Patrem Filium & Spiritum Sanctum.

autem

autem per ſeipſum Apoſtolos & Euãgeliſtas. Ad ſeculi autem conſummationem denuo venturus eſt ad iudicandũ viuos & mortuos, cuius quidem gloriam & maieſtatem vniuerſa creatura ferre non poterit. Vt ergo myſteria hęc Sapiens nos doceat, ait: Tria ſunt quæ terra ferre non poteſt. Poteſt & aliter quoque hic locus exponi. Populus filiorũ Iſraël ſeruus in Ægypto effectus, regnum in propria terra tandem obtinuit; verũ non multò poſt frumenti & vini copia ſaturatus & incraſſatus, ſtultè & petulanter contra Chri-

Deut. 32. ſtum Dominũ ſuum inſurrexit. *Comedit enim dilectus, & ſaturatus eſt, & recalcitrauit.*

Et ancilla ſi expulerit dominam ſuam, &c.

Terrena Hieruſalẽ propter frequẽtes captiuitates, quas apud gentes perpeſſa eſt, appellatur omniũ ſerua vel ancilla. Hęc autẽ ejecit dominam ſuam, ſacram nimirum Chriſti Dei noſtri carnem deicida & dominicida effecta.

Et mulier exoſa ſi adepta fuerit virum bonum, &c.

Ecquænam eſt mulier illa exoſa, quæ viro optimo coniuncta fuit? Non alia ſanè quam quæ Chriſtum dudum antè promiſſum habuit, non ſolum ducem & doctorem, verum etiam redemtorem. Verum per meram ſuperbiam, incredibilemque ingratitudinem, malitiam & cæcitatem eum non ſolum non recepit, verum ludibrio quoque habuit, ludificatumque in crucem egit.

Si ſeruus obtinuerit, &c.

Atqui ſupra oppoſitum docere viſus eſt Sapiens. Aſſeruit enim ſeruum prudentem

ſtultis

ſtultis dominis imperaturum;ita omnino eſt, ſed hîc non eſt ſermo de ſeruo prudente & cordato, ſed de ſeruo ſimpliciter : ſiquidem regis amentia multa deſignat præter decorem & regiam dignitatem, cuius incommodi auctores ſunt illi præcipuè qui ipſum in regem eligunt. Neque enim Rex ſeruus & ſtultus, qua ratione imperio vti debeat, perſpectum habet. Si enim ingenuè educatores hæc ſæpe præcipitat, quanto magis ſeruilis ingenij conditioniſque homines? Nihil enim ſerui, quod ad regnum adminiſtrandum idoneum ſit, adferunt; vt ſunt humilitas, ſcientia experientia aliaque eiuſmodi. Regnauit ſanè ſeruus Hieroboam at tanta mala hic perpetrauit, quanta nullus ante, vel poſt ipſum, vt rerum exitus demonſtrauit.

Regnum adminiſtrare non eſt ſtulti aut ſeruilis conditionis hominis.

Quatuor in terra degunt ; quæ cum minima 24.
ſint ſapientes tamen ſapientia præſtant.
Formicæ, viribus habentur infirmis & ta- 25.
men æſtatis tempore annonam congerunt
ac præparant. Chœrogrylli itidem inuali- 26.
dum animantis genus ſunt, nec alibi ta-
men quam in rupibus & petris domicilium
ſuum collocant. Regem nullum habent lo- 27.
custæ, nihilominus ad vniusiuſsionem acies
ſuas eleganti ordine educunt. Calamotes 28.
tandem & manibus nititur, & facilè ca-
pitur, & interim in regum munitionibus
verſatur.

Minime

Minimi in terra ſunt qui ſe per fidē Chriſto adiunxerunt.

Minimi habentur in terra, qui ſe Chriſtō per fidem adiungunt. Infirma enim mundi huius elegit Deus, qui tamen mundi ſapientibus ſapientiores ſunt, & maximi in cælis. Hos Dominus operari docet, quouſque dies eſt. Admonet eoſdem quoque regiones albas iam eſſe ad meſſem. Tum ante futuram iræ hyemem alimentum comparādum eſſe.

Quid formica, chœrogrylli, locuſta & cilamota myſtice deſignent.

Chœrogrylli autem illorum, qui fide in vitæ petra, hoc eſt in Chriſto, habitant, ſymbolū prę ſe ferunt, ſpiritaliſque Pharaonis regnū euertunt. At Eccleſia ex Gentibus coacta, locuſtæ haud inconcinnè comparatur. Tum quod apud ſæculi homines mundique ſapientes cōtemptibilis habeatur. Tum etiam quod vnius Domini Ieſu iuſſu coacta, voceque conuocata, aciem cōtra diaboli inſidias dirigat, Ægyptiorumque labores abſumat & in nihilum redigat. Idem ille paganus gentiumque populus vocem incertam, & quodammodo cōfuſam calamotis more edebat, hoc eſt quandam confuſam intelligentiam agreſtemque ſermonem habebat. Verum poſtea virtutū actionibus ditatus ſtipatuſque in cæleſti regno habitationem obtinere promeruit.

29 *Tria ſunt, quæ feliciter gradiuntur: & quartum, quod eleganter incedit, nempe leonis*
30 *catulus animantium fortiſſimus. Neque enim ab vlla ille ſe auertit aut vllam om-*
31 *nino expaueſcit beluam. Et gallus animosè*

fœminas

Digitized by Google

fœminas iniens; & hircus gregẽ ductans, & Rex in populo verba faciens.

Catulus leonis eſt Chriſtus ſecundum Patriarchæ Iacob prophetiam, qui principatum exercet in omnia bruta rationeque deſtituta animantia, nimirũ in omnes animæ morbos & dæmones. Idem quoque animoſus gallus appellari poteſt: vt qui fidelium animos à peccatorum ſomno excitet, vtilemque ſermonem illis ferat; & verum diem veramque lucem cunctis mortalibus annunciet, Petrumque in atrio Põtificis ad admiſſi peccati ſenſum & pœnitentiã exuſcitauit. Idem rurſum eſt myſticus hircus, nam & gregem ſuum quotidie auget, & piorum hominum multitudinem amplificat, & ad ſublimia paſcua prouocat. Ipſe quoque eſt vnus ille, qui per hircum tanquam per vmbram pro peccatis populi olim ſe offerebat, & immolabat. Idem ille tandem eſt, qui tanquã poteſtatem habens, & nõ vt Scribæ & Phariſæi in Iudæorum ſynagogis verba faciebat, verboque & opere ſe Iudæorum regem eſſe palàm oſtendebat.

Chriſtus Dominus ſublimiori ſenſu Leo Gallus Hircus & Rex eſt

Mat. 7. 29

Si teipſum in lætitiam abieceris, manumq́ tuam ad pugnam extenderis, turpitudinis notam tibi adſciſces. Mulge lac, & exibit butyrum. Quod ſi nares nimium expreſſeris, exibit ſanguis. 32.

Mulge fideliter duo teſtamenta, inquit, & inuenies ſalutaria præcepta, tanquam lac, vt

Duo teſtamenta ſobrie examin[an]da.

fundunt lac: curioſe autem prolacte ſanguinē fundunt.

vt in illis nutritus & educatus in fidelem & perfectum virum excreſcere, Chriſtoque in ea forma occurrere queas. Quod ſi verò infideliter & peruerſè, quæ ad Chriſtum & religionem ſpectant, inueſtigaueris, lac tuum conuertetur in ſanguinem, eritque adeo tibi inutile, vtpote in ſanguinem iam verſum.

Pari modo ſi orationem nimium produxeris, orientur iudicia & pugnæ.

Quemadmodum, inquit, qui vim naribus infert, educit ſanguinem: ita qui ſermonem obiurgationum præſertim, quaſi violentum nimium producit: pro pace & emendatione parit iudicia, lites, & pugnas. Iudicium autem vocat hic non finem iuſtitiæ, ſed principium condemnationis.

CAP. XXXI.

1. *Mei ſermones profecti ſunt à Deo quos equidem veluti oraculum didici à matre mea.*
2. *Quid fili? quid tandem cuſtodies, niſi ſermones Dei? Quid fili primogenite (te enim*
3. *compello.) Quid fili vteri mei? quid fili votorum meorum aliud te moneam, quam ne mulieribus dederis diuitias tuas, aut mentem vitamq́ tuam ei ſtudio mancipes cuius te poſtea pæniteat.*

Salomon inter omnes matris ſua filios.

MI fili primogenite, aiebat ad me illa, omnia fac cum conſilio, certaque deliberatione. Primogenite mi, hoc eſt, ſpecie, pul-

pulchritudine, & prudentia, & cæteris omnibus ornate, & ſecundum mea vota ad tantam eminentiã euecte. Dicuntur hæc autem omnia, ex perſona matris Salomonis, vel ipſius certè ſapientiæ.

Cum conſilio bibe vinum; cum conſilio fac om- 4.
nia. Principes iracundi ſunt, vinum ergo 5.
ne bibant, ne fortè cum pluſculũ biberint, ſapiẽtiæ rectiq; iudicij obliuiſcantur, adeoq; infirmos ac debiles conterant.

Vino potius & crapulæ tute imperes, quam imperiũ illorũ ſubeas. Nam ſi iſthuc feceris, ab honeſto, quod natura vel ratio dictat, non facilè excides, occuperis autẽ circa veræ vitis vinum, hoc eſt, circa diuinarũ ſcripturarum interpretationem, rerumque natura conſtantium conſiderationem, magnoque iudicio & mentis deliberatione in ea incumbas.

Satius eſt vino imperare quã eius ſubire imperium

Vinum non bibant, &c.

Senſus eſt. Omnes ab ebrietate coerce, maximè verò viros principes & in poteſtate conſtitutos. Sunt enim tales plerunque iracundi, & faſtu turgidi, ſoloque imperij titulo contenti; ſiquidẽ pluſcula vini potatio iram furoremque incendere ſolet.

Ebrietas incendit furorem, ideoq; viris Principibus admodum noxia.

Ne obliuiſcantur, &c.

Ne iudices, inquit, qui negotia tractant, cauſaſque ciuiles dirimunt, & practicæ vitæ functionibus inſiſtunt, circa theorica multũ verſentur, ne aut inflectantur, aut vim rectè iudicandi infirmorũ cauſam deperdant. Sapientiã namque rectum hoc loco iudicium vocat.

6. *Date merũ illis, qui graui tenentur mœrore, vinique potum ijs, qui in moleſtis curis & crucibus verſantur; quo hac ratione obli-*
7. *uiſcantur egeſtatis ſuæ, neque laborum ſuorum recordentur amplius.*

Per *triſtitiã*, labores & moleſtias deſignat. Qui ergo propter Deũ laborant, doloreſq; & moleſtias tolerant, poſtquã pinguedine domus Dei inebriati fuerint, omniũ ſtatim dolorũ, laborum, & moleſtiarũ ſuarum obliuiſcũtur.

8. *Aperi fili os tuum verbo Dei, & iudica omnia ſanè. Aſperi os tuum, inquã, & iudica*
9. *iuſtè, diiudica porro & decide cauſam pauperis & imbecillis.*

Accuratè iis intendere velis, inquit, quæ dicuntur à Deo: pande os tuũ diffuſius, & cũ fiducia accipe ſermonẽ. Os enim animę eſt ſermo apertus, audacterq; & ingenuè prolatus.

ALITER. Iudica & diſcerne recte ac iuſtè omnia. Nam quo acrius incitet, verbũ geminat. *Iudica pauperem & infirmum, &c.*

Pauperem autem & infirmum eum hîc vocat, qui neceſſaria cognitione deſtituitur, & immundæ præterea conſcientiæ ſordibus inquinatus tenetur.

10. *Mulierem fortem quis inueniet: lapidibus*
11. *precioſis eſt precioſior eiuſmodi. Confidit in ea cor viri ſui: Honeſtis ſpolijs huiuſmodi indigebit nunquam.*

Mulieris nomine quid Sa-

Mulier in Salomonis parœmiis, & ſapientia & Eccleſia, & anima ſecundum virtutem perfecta

ſecta dicitur. Vocatur autem fortis & virilis, quia aduerſus contrarias poteſtates præualet. Particula autem, *quis* raritatem indicat, quaſi dicat, nullus facilè talem inuenerit. Quod ſi ad Dei ſapientiam, quæ hîc exponuntur referas, per *lapides precioſos* externam ſapientiam accipias. *Confidit in ea cor viri ſui, &c.*

pientem tria deſignantur: Sapiētia, Eccleſia, & Anima Item B. Virgo Maria, vt mox ad pie.

Vir ſapientiæ eſt ſapiens ipſe; vir autem Eccleſiæ eſt Chriſtus.

Honeſtis ſpoliis non indigebit, &c.

Ad ſapientiam quod ſpectat, ea eorum hominum numero ſemper abundat, qui intellectum omnem in obſequium Chriſti conuertunt. Eccleſia autem iis affluit cogitatis & ſententiis, quæ contrarias opiniones diluunt & euertūt. Anima denique iis rationibus & ſententiis abūdat quæ prauos peruerſoſque habitus tollunt atque peruertunt. Non indiget ergo hęc mulier honeſtis ſpoliis, hoc eſt prouentibus. Appellantur autem eius fructus vel honeſta ſpolia bona, ad differentiā malorum, qualia ſunt, quæ iniuſtè comparantur.

Tota vita viro conciliat bonū & non malum. 12.

Lanam adhæc & linum filans, vtilia manibus ſuis opera conficit. 13.

Si ad ſapientiam hæc transtuleris; illa quidem lanæ loco cœleſtia & ſpiritalia dogmata depromit, circa quæ contemplans ratio verſatur. Ducit hæc enim originem ex illo, *qui vt ouis ad occiſionem ductus eſt*, hoc eſt ex Chriſto. *Iſa. 53.7.*
Loco lini autem illa omnia, quæ ſub ſenſum veniunt. Siquidem linum è terra oritur. Ec-

cleſia verò vtriuſque loco ſpiritalem adfert doctrinam: anima autem diuinarum humanarumque rerum conſideratione; aut vtiles de rebus practicis ſermones, aut vtilem certè de corporibus rebuſque corporatis diſputationem. Hæc enim illa omnia per rationem practicam ad ſe trahit.

14. *Aſſimilata eſt naui mercatoriæ, quæ è longinquis locis opes cõgregat, merceſq; deportat.*

Qui à ſapientia cõſtituti ſunt doctores, precioſas margaritas venales proponũt. Venantur enim vtilia & ſalutaria, nõ ſolũ ex ſentẽtiis communibus, verum etiam ex oppoſitis.

15. *Exſurgit de nocte, cõſtitutaſq; familiæ diſtribuit eſcas, nec nõ ancillis ſuas præfinit operas.*

Ab omni obſcuro & tenebroſo opere exſurgit, cum ſit ſcientia & ſapientia. Aut à præſenti ſæculo exſurgit, & ſe trãsfert in futurũ.

ALIVS. Seruator Sol Iuſtitiæ animam pietati deditam, noctu ſurgentem, & vigilantem iugiterque, ne in tentationem incidat, orantem comperit.

16. *Conſiderauit agrum, & emit illum; de manuũ ſuarum fructibus plantauit vineam, remq; inſtituit familiarẽ. Accinxit validè lũbos*
17. *ſuos, firmauit brachia ſua ad opus. Experta*
18. *eſt enim & bonum & honeſtũ eſſe operari, lucerna eius tota nocte non extinguitur.*

De proprijs manuum laboribus cumulatè ea, quæ familiæ neceſſaria ſunt, ſubminiſtrat. Per brachia autem operatorias vires de-

deſignat. Per lucernam verò mentem puram contemplationiq́ue deditam, ac donis ſpiritalibus ornatam.

Extendit ad vtilia cubitos ſuos: manus autē 19.
ſuas applicat ad fuſum.

Fuſus eſt ſermo externus, qui interiorem hominem ad ſpiritalem theoriam & cōtemplationem inuitat. Aut *fuſus* eſt mens pura, quæ virtutem virtuti, dogmaq́ue do[illegible] tinuò attexit.

Manus ſuas [illegible] *inopi, & palmam extendit* 20.
[illegible]*pauperem.*

Sapientia neceſſariæ ſcientiæ penuria laborantibus, ſcientiam eruditumq́ue ſermonē impertit, ignorantiæq́ue anguſtias dilatat. Reuocat ad hæc illum ad ſanam mentem, qui Ioan. 7.
ex virtute exciderat, clamat enim: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.*

Maritus eius, cum foris alicubi moratur, de 21.
re familiari, eiuſque cura non eſt ſolicitus.
Omnes namque, qui apud ipſam degunt, probè ſunt induti, rectéq́; conſtituti.

Vir eius eſt ſapiens, *domus* autem eiuſdem ſunt dona dogmataq́ue ſupernaturalia; è quibus, ſi quando euagatur ſenſilibus rebus attendens, è diuinæ virtutis veræq́; cognitionis opibus ſe non caſurum certò confidit.

Duplices veſtes viro ſuo, ſibi autem ex byſſo, 22.
& purpura indumenta fecit.

Terræ & maris indumēta, ſunt vtiles animæ rationis compotis ſermones, accurataque re-

Digitized by Google

rum conditarũ cõtemplatio. Ex byſſo autem & purpura veſtitur anima, quia non tantum ſumma ſapientiæ dogmata capeſſit, verum infima quoque illius rudimenta.

23. *Conſpicuus eſt vir eius in portis; quando cùm ſenatoribus terræ in concilio locum cepit.*

Cum ſenibus vel ſenatoribus terræ, hoc eſt, cum ſapientiſſimis quibuſque; aut cum il[illegible] in humanis ſcientiis excellunt, in iiſdemque pr[illegible]dum conſenuerunt.

24. *Syndonas texuit & tradi[illegible]nicibus: zonas autem, & vendidit Cananæis.*

Syndon contexitur ex lino; adeoque fructuum, qui ſub ſenſum cadunt, typum præ ſe fert. Primũ namque Sapiens occupat ſe circa illa, quæ externis ſenſibus cõprehenduntur: Deinde verò circa ea, quæ mente tantũ cernuntur, vt ſunt ſpiritalia. Fortè per ſyndonẽ inſinuat doctrinã, quę *Phœnicibus*, hoc eſt Gentibus de fide & Baptiſmo adminiſtrata eſt. *Cananæi* autem ſi vocem Latinè interpreteris, ſonant *humiles*. His autem zonas vel cingula vendidit, quæ operatricis virtutis ſymbola ſunt, patibilemque animæ partem conſtringunt, & in officio continent.

25. *Fortitudinem & decorem induit, lætaq; &*
26. *iucunda erit in diebus nouiſſimis. Os ſuum aperit cautè & legi cõſentaneè, ordinemq; & modum præſtituit linguæ ſuæ.*

Videtur hoc loco exponere virilia ſapientiæ facta. Primò enim aperit os ſuum prudenter

ter & ornatè. Mox eutaxiam venuſtumque ordinem præfigat linguæ ſuæ. Hinc in operibus miſericordię aliiſque honeſtis actionibus ſeſe fortem virilemque oſtendit. Ex quo tandem ſequitur, vt nouiſſimis diebus, quando nimirũ bonis operibus plena hinc excedet, gaudeat. Tunc enim bonæ honeſtæque illius actiones apud omnes manifeſtabuntur, & magnificabuntur; multiſque & magnis præmiis remunerabuntur.

Anguſtæ ſunt ſemitæ domus eius, cibum otioſa nullum ſumpſit. 27.

Hoc loco ſummè caſtæ, ſummeque ſanctæ Virginis matris ortum ſubindicare videtur. Nam per hoc, quod ſemitas domus eius anguſtas prædicat, immaculatam integerrimãque matris Dei virginitatem minimè obſcurè adumbrat. Eapropter ſi cætera quoque capitis huius membra ad illam referre volueris, à ſcopo neutiquam aberrabis.

Quæcũq; de muliere forti apud Salomonem leguntur, ea omnia ad Virginẽ matrem referri poſſunt.

Eleemoſynæ illius excitarunt liberos eius, & dilati ſunt, ſed & vir eius laudauit eam quoque. 28.

Nullus apud illam, inquit, claudicat, aut ceſpitat: nam ſi quos in flagitium aliquod prolapſos animaduertit, ſtatim pro ſua pietate & clementia è ſordibus, in quibus iacent, excitat illos, opibuſque ſpiritualibus auget. Quare etiam vir eius laudat, & admiratur illam.

Digitized by Google

29. *Multæ filiæ compararunt diuitias: multæ rurſum fecerunt virtutes, at tu excellis, & tam olim ſupergreſſa es vniuerſas.*
30. *Mendaces gratiæ, & vana mulieris pulchritudo nulla eſt in te. Mulier prudens apud omnes benè audit, ipſa autem timorem Domini laudet & extollat.*

Multæ, inquit, ſunt artes & diſciplinæ externæ ſapientiæ, quæ hominem ad ſe pelliciunt, & diſtrahunt: verum diuina ſapientia, vera illa & ſalutari pulchritudine ornata, excellit omnes.

Timorem autem Domini laudet, &c.

Anima, inquit, quæ hanc ſapientiam adepta eſt, non ſe efferat, ſed Deum timeat & laudet, vt qui omnis cognitionis auctor & parens ipſi extiterit.

31. *Date illi de fructibus manuum ſuarum, & laudetur in portis vir eius.*

Date illi, ait, de fructibus manuum, hoc eſt ſermonum ſuorum, laudeturque propter illos, nec non orationis copiam ab illa petite & accipite. Quin vnà cum illa laudetur quoque ſapiens vir eius, vt qui nõ modò diuina, planeque illuſtria ſapientiæ documenta hactenus expoſuerit; verũ prima quoque veræ ſapientiæ rudimenta fideliter nobis tradiderit.

FINIS.

Digitized by Google

IN ECCLESIASTEN SALOMONIS METAPHRASIS

B. GREGORI THAVMATVRGI

CAESARIENSIS EPISCOPI

Græcis etiam, quo conferri queant, additis.

Digitized by Google

AND. SCHOTTVS S. I.

PIO LECTORI.

DVO præfari de more viſum eſt: cum de vero auctore aurei huius libelli in *Eccleſiaſten Salomonis*, tum de operis huius & Capitum ſingulorum argumento. Illud quidem, vt legitimus eius parens vindicando demõſtretur; hoc vt methodus totius opuſculi luce clarius appareat, legaturque deinceps ob perſpicuitatem maiore cum voluptate. Verum autem parentem eſſe huius libelli *B. Gregorium* Neocæſarienſem Epiſcopum (qui & *Theodorus* antea, & à miraculorum copia *Thaumaturgus* in faſtis ſacris nominatur) vidit Sixtus Senenſis in ſacrâ Bibliothecâ, & Iacobus Billius Prunæus, Abbas longè doctiſſimus, qui & Nazianzeno Gregorio ob nominis affinitatē falsò attributā hanc *Metaphraſin* huic Gregorio Thaumaturgo, id eſt, veris natalibus reſtituit: atque de Greco ſermone Latinè reddidit, tandēque Græcè Lutetiæ exiit; non item Coloniæ cum reliquis Thaumaturgi opuſculis à Gerardo Voſſio euulgatis. Nunc *Ioannis monachi* Brigittani interpretationem, vt anti-

antiquiorem, cum Billianâ demum comparaui atque identidem interpolaui: Græcè etiam, quo conferri poſſit, addendum curaui, & Scholia quibus emendationum redditur ratio, ſubieci. At longè his vetuſtiores, qui Thaumaturgum verum agnoſcunt auctorem, laudabo. In primis Euſebius Cæſarienſis Epiſc. vel potius Rufinus presbyter ad Euſebij interpretationem lib. VII. Eccleſiaſticæ Hiſt. cap. XXV. ſic ſcribit: *Sed & ingenij ſui nobis in paruo maxima monumẽta reliquit: in Eccleſiaſten namq; Metaphraſim idem Gregorius magnificentiſſime ſcripſit, & Catholicæ Fidei expoſitionem breuiter editam reliquit*. Et B. Hieronymus in Catalogo Eccleſiæ ſcriptorum idem affirmat: *Scripſit*, inquit, *&* μετάφρασιν *in Eccleſiaſten, breuem quidem, ſed valde vtilem*. Hoc & Græcè Sophronius, & ex illo Suidas in Collectanea retulit, ibidẽque Theodori fratrem *Athenodorum* nominat, qui Rhetor de Incarnatione, ac Fide ſcripſerit. Idem vero Hieronymus copioſius teſtatum reliquit, vt dubitandi anſam omnem eripuerit, & hoc opuſculum ſuo auctori reſtituerit. Sic enim in IV. caput Eccleſiaſtę, ad illa verba: *Melior eſt puer pauper, &c.* ſcribens: *Vir ſanctus Gregorius Ponti Epiſc. in*

Digitized by Google

in Metaphraſi Eccleſiaſtæ ita hunc locum intellexit: Ego vero intelligo adoleſcentulum pauperem & ſapientem, Rege ſene & ſtulto meliorem, &c. Legendus de hoc Gregorio & Socrates lib. IV. Hiſt. Eccl. c. 22. & Euagrius lib. III. c. 31. Meminit & Haymo Halberſtatenſis Epiſc. lib. VII. Chronici c. 8. de re Chriſtiana verba faciens.

Nunc argumenta capitũ & artificium, breuiter tamen, oſtendamus. *Eccleſiaſtes* enim Regis Salomonis mortalium ſapientiſſimi diſputationem continet de ſummo hominis bono: quo de M. Tullius Cicero libris quinque de Finibus bonorum & malorũ ita diſſeruit, vt Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, Peripatetica M. Piſoni tribuerit: & M. Varro ducentas amplius περὶ τελῶν opiniones recẽſuit. Quod etiam ſummum bonum Philoſophi antiqui veſtigarunt ſtudioſè, non tamen inuenerunt. Definit autem *ſummum bonum* Salomon eſſe coniunctionẽ cum Deo, ac perpetuam Dei fruitionẽ. Quamobrem primo ſtatim capite eos refellit, qui ſcientiâ ſummum bonũ metiebantur; ſecundo item ac tertio capp. eos redarguit qui in voluptate finem bonorum, vt Epicurei, collocarũt. Quarto cap. eos qui in honoribus. Quinto & ſexto

eos confutat, qui in diuitiis & opibus felicitatem poſuere. Prior itaque hæc capitum ſex portio in refellẽdis alienis occupatur; altera vero totidem capitum pars in confirmanda ſuâ ſententiâ verſatur.

Igitur cap. VII. de tribus bonorum generibus diſſerit, *Animi* inquam, *Corporis*, *&* *Fortunæ*, deque contrariis malis. Quis horum omnium ſit vſus; vtq́ue res omnes noſtræ à diuinâ pendeant Prouidentiâ, luculenter oſtẽdit. Hinc ad finem vſque libelli agit de vita piè ac iuſtè tranſigenda, quo tandem Deo coniũgamur & felicitate perfruamur æterna, concionatur. His ita rite perceptis, partes prudenter diſtinguere, & hinc obiectiones, inde dilutiones collocare, obſeruatis diligenter argumentorum formulis, non erit difficile: præſertim quæ ſub perſona Eccleſiaſtæ, quæque in perſona aduerſariorum contrà opinantium pronuntientur, cito diiudicabis. Nunc Spiritum ſanctum diſſerentem audiamus.

B. GRE-

Digitized by Google

B. GREGORII EPISC. NEOCAESARIENSIS COGNOMENTO THAVMATVRGI IN ECCLESIASTEN SALOMONIS METAPHRASIS.

Ioanne, monacho Brigittano, interprete.

CAPVT I.

1. *IN hunc modum dicit* SALOMON *ille, Dauid Regis atque Prophetæ filius, tam regni gloria, quàm vaticinandi ſapientia mortalium omnium clariſſimus, ad vniuerſam Eccleſiam Dei.*

2. *Quàm inania ſunt nulliuſque penſi, cuncta hominum ſtudia ſimul ac negocia.*

3. *Neque enim facile quis vel vnam aliquam recenſebit vtilitatem concinnatam ex omnibus, quæ homines ſuper terram reptantes, tanto corporum, animorumque molimine parturiunt. Et licet in his temporalibus efficiant nihil, ſed magis ab eis vincantur & fatigentur; ad contemplanda tamen ſupercœleſtia generoſiores mentis oculis attollere nolunt.*

4. *Atqui tranſigitur interim ipſorũ vita; præterit optimus quiſque dies, tranſeunt anni tẽpora, tranſeunt & anni.*

5. *Sed & ſol curſum ſuum intra deſignatos terminos perficit.*

6. *Et nunc tempora hæc fores pulſant, nunc illa ſeſe latenter ſubducunt.*

Res

ECCLESIASTES SALOMONIS.

EDITIO VVLGATA.

CAPVT I.

Quidquid eſt in mundo, 1. vanitati 13. curioſitati, cupidini 14. & 17. & anxietati ſubiectum eſt.

VANITAS VANITATVM, dixit Ec- 2.
cleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia
vanitas. Quid habet amplius homo de v- 3.
niuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?

Generatio præterit, & generatio aduenit. 4.
Terra autem in æternum ſtat. Oritur ſol & 5.
occidit,& ad locum ſuum reuertitur: ibique 6.
renaſcens, gyrat per meridiem, & flecti-
tur ad Aquilonem: luſtrans vniuerſa in cir-
cuitu pergit ſpiritus: & in circulos ſuos re-
uertitur.

Omnia

Digitized by Google

7. Res autem ipſæ recte comparantur fluxui torrentium, qui in immenſum maris profundum ingenti ſtrepitu incidunt. Sunt tamen quæ eadem manent ſemper, ipſa ſcilicet, quæ propter homines à Deo ſunt condita; qualia ſunt, naſci è tellure, verti in terram, eandem perpetuò conſiſtere terram; ſolem cum totam terram circumeat, perfecto circulo ad eandem recurrere exitus ſui metam: item flare ventos, totq́ ac tantos amnes ſe in pontum effundere, ventoſq́ irruentes, neque cogere illum ſuos egredi fines, neque ipſos ſuis aberrare legibus. Et ea quidem vti conducibilia noſtræ huic vitæ ſic fieri congruebat.

8. At quæ ab hominibus elucubrata ſiue verba ſiue opera, menſuram modumq́ neſciunt. Quàm frequens enim ſermonum ſtultaque nugacitatis farrago? citra omnem tamen commoditatem. Veruntamen ita ſe habet hominum genus, audiendo narrandoq́ fabulas, & rerum elabentium, quamuis incertis, aſpectibus expleri nequit.

9. Iam de operibus dic, erit ne aliquid poſt nos, quod non ſuperioribus quoque ſæculis ſit perfectum? aut quod nouum illud hominum opus, quod non olim attentatum, modo memoria dignum ſit?

10. Ego ſanè nihil video, quod quis vel recens vel nouum, vel priſcis ignoratum iure dicat.

11. Et omnes qui diligenter rem perpendunt, mecum ſentient, & inuenient, quod quemadmodum priora obliuione ſunt occultata, ita & præſentia apud poſteros tempore obſcurabuntur.

12. Neque hæc nunc concionatorio munere fungens, temere immeditatè in medium affero. Equidem cum mihi regni Hebræorum in Hieroſolymis adminiſtratio fuerit credita, ſatis accurato ſtudio comperta ſunt omnia.

Sanè

Omnia flumina intrant in mare, & mare 7.
non redundat: ad loca, vnde exeunt flumi-
na, reuertuntur vt iterum fluant.

Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo 8.
explicare ſermone. non ſatiatur oculus vi-
ſu, nec auris auditu impletur.

Quid eſt quod fuit? ipſum quòd futurum eſt. 9.
quid eſt quod factũ eſt? id ipſum quod faci-
endum eſt. Nihil ſub ſole nouum, nec valet 10.
quiſquam dicere: ecce hoc recens eſt: iam
enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerũt ante
nos. Non eſt priorum memoria: ſed nec 11.
eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit
recordatio apud eos, qui futuri ſunt in no-
uiſſimo.

Ego Eccleſiaſtes fui rex in Ieruſalem, & pro- 12.
poſui in animo meo quærere & inueſtiga- 13.
re ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſo-
le. Hanc occupationem peſſimam dedit
Deus filiis hominum vt occuparentur in
ea. Vidi cuncta, quæ fiunt ſub ſole, & ecce 14.
vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.

Per-

13. *Sanè diligenti indagatione animaduerti maxi-
me variam eſſe rerum, quæ in terris aguntur, conditionẽ,
didicique cum primis hominem ad laborem natum, plu-
rimiſque fruſtra occupari.*

14. *Animum enim inferiora hæc omnia, graui, ama-
rulento, & abominato ſpiritu diſtendunt.*

 Atque

Digitized by Google

15. *Atque adeò ad tantam rerum deordinationem peruentum eſt, ne vel ad integrum boni ſtatum mundus reparari, vel quantis abſurditatibus humana negocia inuoluantur, poſſit cogitari.*

16. *Mihi vero (reputanti mecum, quod maiori præ omnibus regibus, qui ante me hic fuerunt, ſapientia præditus*
17. *tus eſſem, callerémque Parabolarum myſteria, & rerum intelligerem naturas) venit aliquando in mentem,*

18. *Si qua alia non vulgaris pateret via illuc deducens, ſcilicet vt ſapientiæ beneficijs ſcientiam, ſcientiæq́ adminiculis laborem commodius aſſequerer.*

CAPVT II.

1. *HOC itaque conſilio firmato, in alio viuendi genere verſaturus, decreui vacare delicijs, variaſq́ experiri voluptates. Statim autem probe intelligens eſſe etiam ea omnia vana, &*

2. *Riſum, qui temere admitti poterat, coercebam, & voluptatem amara increpatione, temperantiæ ſtudio, emendabam.*

3. *Poſtea vero quàm conſideraui, quod animus poſſet naturam corporis, parentem illam ebrietatis & fluidã, quaſi vinum diluere ac ſiſtere (appetitum enim ſobrietas in ſeruitutem deducit:) mirum me inceſſit deſiderium, vt viderem, quidnam mortalibus contingere poſſet, quod reuera bonum, & in quo digne per hanc vitam occuparentur. Quocirca nihil omnium, quæ admiratione digna cenſentur, omiſi, quod non tractarim.*

4. *Exſtructa ſtant in excelſum palatia; vineæ conſitæ ſunt.*

5. *Horti etiam ex omni genere fructiferarum arborum*

Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum 15.
infinitus eſt numerus.
Locutus ſum in corde dicens, ecce magnus 16.
effectus ſum & præceſſi omnes ſapientia,
qui fuerunt ante me in Ieruſalem, & mens
mea contemplata eſt multa ſapienter, &
dedici. Dedique cor meum vt ſcirem pru- 17.
dentiam, atque doctrinam, erroreſque &
ſtultitiam, & agnoui quod in his quoque
eſſet labor & afflictio ſpiritus, eo quod in 18.
multa ſapientia, multa ſit indignatio: & qui
addit ſcientiam, addit & laborem.

CAPVT II.

In affluentia deliciarum, diuitiarum, ædificiorum & illarum labore vanitas eſt & afflictio ſpiritus.

DIXI ergo in corde meo, Vadã & affluam 1.
delitiis, & fruar bonis. & vidi quod hoc
quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui er- 2.
rorẽ, & gaudio dixi: quid fruſtra deciperis?
Cogitaui in corde meo abſtrahere à viuo car-
nem meam, vt animum meũ transferrem 3.
ad ſapientiam, deuitaremque ſtultitiam,
donec viderem quid eſſet vtile filiis homi-
num: quo facto opus eſt ſub ſole numero
dierum vitæ ſuæ.
Magnificaui opera mea, ædificaui mihi do- 4.
mos, & plantaui vineas, feci hortos, & po- 5.
maria, & conſeui ea cuncti generis arbori-

6. rum magna cura plantati. Piſcinæ quoque inſtructæ ad excipiendas aquas, quæ diſtributæ plantas largiter rigent.

7. Inſuper numeroſo miniſtrorum miniſtrarumq́ familitio ſtipabar, quorum opera partim foris, partim domi & mecum vtebar. Nec deerant animalium quadrupedū armenta. Plura enim ac precioſiora in meam, quàm vllius ex priſcis illis facultatem cum boum, cum pecorum erant.

8. Adde, quod auri argentiq́ gazis affluebam. Adducti enim eò erant, tributum vt penderent omnium Reges. Plurimi item adoleſcentulorum adoleſcentularumq́ue chori ſuauiſſima carmina, quibus me oblectarent, modulabantur. In eandem etiam delitiarum partem inſtitui conuiuia, tamq́ue multos ex vtroque hominum genere pocillatores & pincernas delegi, vt ne ipſe quidem eos dinumerare poſſem.

9. Tanta gloria omnes qui ante me regnauerunt in Hieroſolymis antecellebam. Verum quid deinde ſit ſubſecutum, accipe. Sapientia imminuebatur paulatim, concupiſcentiaq́ parum ſanæ inualeſcebant crebrius.

10. Nam vbi me quibuſlibet oculorum illecebris, & cuiuſi infreni pectoris impetui, vndecunque ille irrueret, permiſi, nuſquam aliò ſpectans quàm vnde voluptatum ſpes aliqua affulgeret, tum me miſerum omnifariis delitijs, in quaſcunque trahebat cupido, irretiui. Quin & in eam me miſeriam reprobi illi cogitatus impellebant, vt perſuaderem mihi delitias vel per ſe bonas eſſe, vel officium meum decere.

11. Porrò vt reſipui, vt apertis oculis vidi quæ in manibus haberem, manifeſte comperi, etiam illa væſani ſpiritus opera minus feliciter ſuccedere, eſſeq́ in eis difficultatis malitiæq́ plurimum, atque adeò iam nihil in omnibus,

quæ

Digitized by Google

bus; & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt 6.
irrigarem ſiluam lignorũ germinantium,
poſſedi ſeruos & ancillas, multamque fa-
miliam habui: armenta quoque, & magnos 7.
ouium greges vltra omnes qui fuerunt
ante me in Ieruſalem: coaceruaui mihi 8.
argentum, & aurum, & ſubſtãtias Regum
ac prouinciarum: feci mihi cantores &
cantatrices, & delicias filiorũ hominum,
ſcyphos & vrceos in miniſterio ad vina
fundenda? & ſupergreſſus ſum opibus 9.
omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem:
ſapientia quoque perſeuerauit mecum.
Et omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non 10.
negaui eis: nec prohibui cor meum, quin
omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe
in his, quæ præperaueram: & hanc ratus
ſum partem meã, ſi vterer labore meo.
Cumque me cõuertiſſem ad vniuerſa ope- 11.
ra, quæ fecerant manus meæ, & ad labores
in quibus fruſtra ſudauerã, vidi in omni-
bus vanitatẽ & afflictionem animi, & nihil
permanere ſub ſole: Tranſiui ad contem- 12.
plandam ſapientiam, erroreſque & ſtulti-
tiam (quid eſt inquã homo vt ſequi poſſit
regem factorem ſuum?)

*quæ homines conſectantur, approbatione dignum, ratio-
niſque iudicio amplectendum videbatur.*

12. *Collatis tamẽ inter ſe ſapientiæ bonis, & inſipien-
tiæ malis, meritò admirabilem eum virum pronuncio,
qui aliquando abſurde acta vita, ſemetipſum corripiens,
in quam decet viam reuertitur.*

13. Grande etenim ſapientiæ inſipientiæque interſtitiū, diſcrimenq́ tantum, quantum diei eſt ac noctis.

14. Nam qui virtutem ſectatur, ſimilis eſt homini clare ſurſum & vndequaque cernenti, atque fulgidiſſimo iubare iter facienti. Contrà qui vitiis erroribuſq́ implicitus, comparandus eſt erranti in tenebris. Cæcus enim eſt, & oculos illi tenebroſa opera ſua effoderunt. De varietate etiam finis vtriuſque in inſipientia mea cogitanti mihi, occurrebat diuerſum nihil.

15. Dicebam autem, æquali ſorte ſapientem ſtultumq́ue mori. Sed his ego verbis me ex ſtultorum numero eſſe declaraui, dignus qui inſipientiæ recipiam mercedem. Quid boni ex his argutiis naſcitur? vel qualis vtilitas huius multiloquij, vbi nugacitatis fluenta quaſi ex ſcatebris inſipientiæ propelluntur? Nihil enim dignius ſuſcepiu, quàm ſapienti inſipientiq́ue commune fore nihil.

16. Neque iuxta hominum memoriam, neque iuxta Dei retributionem. Etiam ſi nunc rerum omnium, quæ tamen adhuc oriri videntur, inſtaret finis, non tamen eundem cum ſapiente finem ſortiretur inſipiens.

17. Proinde merito exoſam habeo omnem hanc vitam, quam terreſtribus negociis totus intentus, in eiuſmodi vanitates inſumpſi.

18. Nam (vt paucis dicam) omnes labores meos amaritudo reſperſit, omniaque opera inconſiderato concitatioris animi impetu præcipitata ſunt.

19. Miſeri autem laborum meorum fructus, alteri (incertum ſapiensne ille an inſipiens futurus ſit) obueniēt. Cæterum vbi eos abiecerimus, tunc perſpicuum erit veræ hominis bona eſſe ſapientiæ theſauros, & fortitudinis peculiū. Quod ſi hæc alicui curæ non fuerint, non tamen ideo ſecurus euadet. Iam enim pro bonis mala, pro iucundis aſpera, pro quietis moleſta recepit.

Et vidi quod tantum præcederet ſapientia 13. 14.
ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris: *Inf. 8. 1.
ſapientis oculi in capite eius: & ſtultus in Prou. 17.
tenebris ambulat. 24.

Et didici quod vnus vtriuſq; eſſet interitus. 15.
& dixi in corde meo: ſi vnus & ſtulti &
meus occaſus erit, quid mihi prodeſt, quod
maiorem ſapientiæ dedi operam? Locutuſ-
que cum mente mea, animaduerti quod
hoc quoque eſſet vanitas. Non enim erit 16.
memoria ſapientis ſimiliter & ſtulti in
perpetuum, & futura tempora obliuione
cuncta pariter operient: moritur doctus ſi-
militer vt indoctus.

Et idcirco tæduit me vitæ meæ videtem mala 17.
vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem
& afflictionem ſpiritus.

Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam
meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, 18.
habiturus hæredem poſt me, quem igno-
ro, vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & 19.
dominabitur in laboribus meis, quibus de-
ſudaui & ſolicitus fui, & eſt quidquam tam
vanum? Vnde ceſſaui, renuntiauitque cor 20.
meum vltra laborare ſub ſole. Nam cum 21.
alius laboret in ſapientia, & doctrina, & ſo-
licitudine, homini otioſo quæſita dimittit:
& hoc

20. *Siquidē diu noctuque ſemper vrgentibus & animi & corporis laboribus, cor ſuum perpetuis & euanidis curis lancinat, ſeque moleſtis negociis & curis torquet ac diſcruciat.*

21. *Igitur perfectum bonū non circa epulas potumque*

 reſidet,

reſidet, quamuis non aliunde nobis quàm à Deo alimenta erogentur. Nihil enim ſaluti noſtræ ſeruiens citra ipſius eſt prouidentiam.

22. *Et bonus quidem vir ſapientiam à Deo aſſequutus cœleſti lætitia fruitur.*

23. *Improbus autem ſicubi affligatur à Deo, inſatiabili laborat habendi cupiditate, opeſque magis ac magis coaceruare ſtudet.*

26. *Eum etiam qui à Deo honoratus eſt, vel coram ipſo omnium Domino ignominia afficere audet, pollicendo inutilia dona. Doloſa enim vanaq; ſunt iſtius miſeræ animæ ſtudia.*

CAPVT III.

1. *Porrò quantum mihi videre licet, per hoc tempus omnia maximeq; contraria contingunt.*

2. *Nata ſunt aliqua, dein emoriuntur, plantata ſunt, dein ſubuertuntur.*

3. *Quæ nunc curabilia, dein letalia: extruuntur ædes, paulò poſt ſolo æquantur.*

4. *Lachrymatur, paulò poſt ridetur: nunc luctus, dein tripudium.*

5. *Nunc terræ fructus quis congregat, dein abÿcit: & nunc inſano amore mulierem deperit; eandem dein aliquando capitali odio inſectatur.*

6. *Nunc quis dedita opera quærit aliquid qualecunq; id ſit, dein illud ipſum rurſum diſperdit: & nũc anxia ſeruat cuſtodia, quod dein faſtidiens ſponte proÿcit.*

Nunc

& hoc ergo, vanitas, & magnum malum.

22. Quid enim proderit homini de vniuerſo
labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub
ſole

ſole cruciatus eſt? Cuncti dies eius dolori- 23.
bus, & ærũnis pleni ſunt, nec per noctem
mẽte requieſcit: & hoc nonne vanitas eſt?
Nõne melius eſt comedere & bibere, & oſtẽ- 24.
dere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? &
hoc de manu Dei eſt. Quis ita deuorabit & 25.
delitiis affluet, vt ego? Homini bono in 26.
conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam &
ſcientiam & lætitiam: peccatori autẽ dedit
afflictionem & curam ſuperfluã, vt addat,
& congreget, & tradat ei qui placuit Deo:
ſed & hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo
mentis.

CAPVT III.

In omnibus his fluxis nulla eſt mentis quies, ſed cuncta pro tẽporis opportunitate agenda ſunt & varianda.

OMNIA tempus habent, & ſuis ſpatiis 1.
tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Tempus 2.
naſcendi, & tempus moriendi. Tempus
plantandi, & tempus euellendi quod plan-
tatum eſt. Tempus occidendi, & tempus ſa- 3.
nandi. Tempus deſtruendi, & tempus ædi-
ficandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. 4.
Tempus plangendi, & tempus ſaltandi.
Tempus ſpargendi lapides, & tempus col- 5.
ligendi. Tempus amplexandi, & tempus
longe fieri ab amplexibus. Tempus acqui- 6.
rendi, & tempus perdendi. Tempus cuſto-
diendi, & tempus abiiciendi.

Digitized by Google

7. *Nunc quis occidit, dein occiditur: locutus eſt quis, idem poſtea obticuit.*

8. *Dilexit, non multò poſt odio habuit. Humanæ res bellorum motibus nunc turbantur, nunc pacata ſunt: & ſi quando bonæ feliceſque videntur, ſubitò in aduerſas & ex confeſſo malas vertunt.*

9. *Dicamus igitur tam infructuoſis laboribus aliquando longum valere.*

10. *Siquidem omnia hæc, mea ſententia, ad exagitandos homines aculeis venenatis armata ſunt.*

11. *Et malignus Dæmon, qui ab initio mundi vſque ad finem, nocendi ſemper eſt auidus, ringenti ore ſæculum hoc circuit, & immodice contendit, ſi qua occaſione nacta figmentum Dei perdere poſſit.*

12. *Propterea perſuaſum habeo, maxima hominis bona*
13. *eſſe, iucunditatē mentis. Et bonorum operū actionem.*

14. *Quanquam non inſitias ierim ex Deo eſſe, etiamſi temporalibus fruamur; modo per ea, duce Iuſtitia, ducamur in cæleſtia intermorituraque nunquam opera.*

15. *Quæcunque Deus adeò ſtabiliter obſeruanda præſcripſit, vt quiſquam, quantuſcunque is ſit, ex eis vel detra-*
16. *here, vel addere quidquam non poſſet. Reuerentia enim & admiratione digna ſunt. Itaq; iuxta præſcientiā Dei, ea quæ olim ſunt facta, nunc exiſtunt; & futura perinde certa ſunt, atque ſi nunc ſint facta. Vnde indubitatum ſit eum qui iniuria afficitur, etiamnū vti Deo adiutore.*

17. *Ecce vidi in regionibus inferis barathrum ad ſontes & impios plectendos; & delicatam alteram regionem pijs deputatam.*

18. *Quomodo ergo ego olim inſipienter cenſui, apud Deum reputari, iudicarique ſimiliter; nihilque differre iuſte & iniuſte agere, ratione præditum vel brutum eſſe.*

19. *Sed & nihil diſtare apud Deum, hominum & iumen-*

tum

Tempus ſcindendi, & tempus conſuendi. 7.
Tempus tacendi, & tempus loquẽdi. Tem- 8.
pus dilectionis; & tempus odij. Tempus
belli, & tempus pacis. Quid habet amplius 9.
homo de labore ſuo?

Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis ho- 10.
minum, vt diſtendantur in ea. Cuncta fe- 11.
cit bona in tempore ſuo, & mundum tra-
didit diſputationi eorum, vt non inueniat
homo opus, quod operatus eſt Deus ab
initio vſque ad finem.

Et cognoui quod non eſſet melius niſi lætari 12.
& facere bene in vita ſua. Omnis enim 13.
homo, qui comedit & bibit, & vidit bonum
de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. Didici 14.
quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſe-
uerent in perpetuum; non poſſumus eis
quidquam addere, nec auferre, quæ fecit
Deus vt timeatur.

Quod factum eſt, ipſum permanet: quæ futu- 15.
ra ſunt, iam fuerũt: & Deus inſtaurat quod
abiit. Vidi ſub ſole in loco iudicij impieta- 16.
tem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem.

Et dixi in corde meo: iuſtum & impium iudi- 17.
cabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.
Dixi in corde de filiis hominũ, vt probaret 18.
eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis.
Idcirco vnus interitus eſt hominis, & iu- 19.
mentorum, & æqua vtriuſque conditio:
ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur:
ſimiliter

torum genera, quia omnibus ſine diſcrimine tempus diſpenſatur.

20. Et mors irrogatur, ſed diſcreta inter ſe ſola vocis articulatione, cætera autē fermè eadem obuenire vtriſque, neque eſſe iura mortis ſeueriora in alia animantia quàm in homines.

21. Quin & ſpiritum omnibus ſimilem, nihilq́ amplius in homine, ſed vna ratione vana quæcunque ex eadem terra conſtituta in eandem ſint reditura. Incertumq́ de animabus humanis, an in altum ſubuolaturæ, & de reliquis brutorum an deorſum ſint defluxura?

22. Sicq́ue mihi videbatur nihil aliud bonum præter delitias, & qui è præſentibus capitur bonis, vſum. Non enim hominem, ſi ſemel mortem guſtaret, ad illa fruenda redire poſſe arbitrabar.

CAPVT IV.

1. VBi autem ab huiuſcemodi cogitationibus memetipſum reduxi, conſiderabam & auerſabar præ nimio dolore tot calumniarum genera ab hominibus fingi, propter quas plerique iniurÿs affecti plorant & lamentantur, quia in extrema inopia per vim aliorum deſtituuntur non modo auxilio ſuorum, ſed omni etiam conſolatione: interim calumniatores tolluntur in ſublime, vnde poſtea & ipſi corruant grauius.

2. Inter iniuſtos autem & impios, melius habent vita defuncti quàm ſuperſtites.

3. Et vtriuſque conditione potius eligeretur ſors eius qui futurus malus nondum natus eſt, neque humanam attigit improbitatem.

4. Iam hoc exemplo meo liquidū fit, ſi qui in viros claros euadant, quanta eos proximorum ſequatur inuidia.

Tametſi

ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet ho- 20.
mo iumento amplius: cuncta ſubiacent
vanitati, & omnia pergũt ad vnum locum:
de terra facta ſunt, & in terram pariter re-
uertuntur. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum 21.
Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumẽ-
torum deſcendat deorſum. Et deprehendi 22.
nihil eſſe melius quam lætari hominem in
opere ſuo, & hanc eſſe partem illius: quis
enim eum adducet, vt poſt ſe futura co-
gnoſcat.

CAPVT IV.

Multæ impiorum in pauperes & iuſtos calumniæ & vexationes mirabilem huius vitæ arguunt vanitatem.

VERTI me ad alia, & vidi calumnias quę 1.
ſub ſole geruntur, & lachrymas inno-
centium & neminem conſolatorem: nec
poſſe reſiſtere eorũ violentiæ, cunctorum
auxilio deſtitutos.
Et laudaui magis mortuos quam viuentes. 2.
Et feliciorem vtroque iudicaui, qui nec- 3.
dum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub ſole
fiunt.
Rurſum contemplatus ſum omnes labores 4.
hominũ, & induſtrias animaduerti patere
inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas
& cura ſuperflua eſt.

Stultus

5. Tametſi is qui maligni dæmonis œſtrū & ſtimulum illum in præcordijs gerit, & ex aliena felicitate inconſolabilem mœrorem concipit, nihil aliud inde conſequatur, quàm quod ſuam ipſius animam vnà cum corpore abſumens diſcruciet.

6. Vnde fit, vt qui ſapiunt, ſatius putent alteram manum impleſſe in ocio & tranquillitate, quàm vtramque in laboribus, ſubdoliq́; ſpiritus verſutia.

7. Eſt & aliud quoddam inconueniens, quod tamen ſcio non raro homini contigere.

8. Sæpe viro ſolo relicto, cui nec frater nec filius eſt, opes multa affluunt, ipſe tamen ob deprauatos inſatiabilis animi mores, nullam omnino ſibiipſi quietem, recreationemue concedit. Blande illum rogarim, quanam de cauſa laboret, & lucro ſtudens varijs perpetuiſq́; ſolicitudinibus animū diſcruciet; cum tamen ſi quod bonum obuiam fiat, fugiat, & quod amplecti queat, repellat.

9. Quanto feliciores illo ſunt, qui familiaritatem cum aliquibus inierunt, è qua fructus optimos percipiunt.

10. Nam cum duo viri in idem negocium incumbant, acciderit q́; aliquid aduerſi vni, is non longe requiret auxilium. Habet enim ad manum qui iuuet. Contrà, homini infeliciter agenti & refocillationis indigo, calamitas ſumma eſt ſolitudo. Contubernales ſane, & qui in eodem cœnaculo victitant, ſi qua oriatur tempeſtas, ſtatim eam ſedant mutuis conſolationibus gemina nimirum felicitate.

11. Nam & per diem dicendi libertate feſtiui, & per noctem honeſta grauitate fulgent.

12. Solitariam autem vitam trahens, horrendam viuit vitam, neque credit ſi quis perſuadere conetur, homines vel temere conglobatos bene munitos eſſe: funiculumque triplicem difficile rumpi.

13. Ego

Stultus complicat manus ſuas, & comedit 5.
carnes ſuas, dicẽs: melior eſt pugillus cum 6.
requie, quam plena vtraque manus cum
labore, & afflictione animi.

Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub 7.
ſole. Vnus eſt, & ſecundum non habet, 8.
non filium, non fratrem, & tamen laborare
non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diui-
tiis: nec recogitat, dicens: cui laboro, &
fraudo animam meam bonis? in hoc quo-
que vanitas eſt, & afflictio peſſima.

Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quam vnum:
habent enim emolumentũ ſocietatis ſuæ: 9.
ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ 10.
ſoli: quia cum ceciderit, non habet ſuble-
uantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebun- 11.
tur mutuo: vnus quomodo caleſiet? Et ſi 12.
quiſpiam præualuerit contra vnum, duo
reſiſtunt ei: funiculus triplex difficile
rumpitur.

Melior eſt puer pauper, & ſapiens, rege ſene 13.
& ſtulto, qui neſcit præuidere in poſterũ.
Quod de carcere, cateniſque interdum 14.
quis egrediatur ad regnum: & alius natus
in regno, inopia conſumatur.

Vidi

13. *Ego etiam magis probarim adoleſcentulum pauperem & ſapientem, quàm ſtolidum regem, licet ſenem, cui nunquam venit in mentem tantam fieri poſſe rerum viciſſitudinem.*

14. *Vt compeditorũ aliquis olim regno præficiatur, & ipſe ex iniuſto principatu iuſte excidat.*

Nonnul-

15. Nonnunquam enim contingit eos qui tyrannidem inſipientis antea tulerunt, ſub prudentioris iuuenis moderamine reſpirare, & hilares agere: licet æquales ſui & iuniores, & qui præter illum non nouerunt alium.

16. Seducti opinione peruerſa & impetu ſpiritus contrarij, laudes ipſius prædicare neſciunt.

17. Porrò Eccleſiaſtæ eſt munus, in primis vitæ ſuæ rationem habeat, & ipſe rectus ambulet, dein pro inſipientibus precetur, vt in poſterum recepto intellectu mala opera vitare diſcant.

CAPVT V.

1. TVM etiam perpulchrum fuerit lingua parcè, pectore autem conſtanter vti. Nam licet abſurdis quibuſdam motibus impetatur animus, dedecus tamen foret, eos continuò effutire, moribuſve eſſe minus compoſitis. Licet enim longe à cœlo diſtemus (quod diligenter aduertendum eſt) præſenti tamen auſcultantiq; Deo loquimur. Grauiter itaque loqui vtiliſsimum.

2. Vt enim variarum animi curarum aſſeclæ ſunt multiformes inſomniorum phantaſiæ, ita & imprudentiæ perpetua comes eſt loquacitas.

3. Verum tu ſi quid vouendo promiſeris, re præſta. Inſipientium propria eſt leuitas, quare tu in promiſsis verax eſto.

4. Sciens quod longe melius eſt nihil vouere, citraque votum aliquid facere, quàm omittere, vbi voueris.

5. Quin & ocioſorum turpiumq; verborum omniu abundantia fugienda. Audiet enim Deus. Et aſtans cum in animum ſuum induxerit, ſentiet res ſuas à Deo & pendere & corrumpi.

Digitized by Google

Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub 1
ſole cum adoleſcente ſecundo qui cõſur-
get pro eo. Infinitus numerus eſt populi 1
omnium, qui fuerunt ante eum: & qui po-
ſtea futuri ſunt, non lætabuntur in eo, ſed
& hoc vanitas & afflictio ſpiritus.
Cuſtodi pedem tuũ ingrediens domum Dei, 17.
& appropinqua vt audias, *multo enim me- 1 Reg 15 22.
lior eſt obedientia, quam ſtultorum victi- Oſeæ 6.6.
mæ, qui neſciunt quid faciunt mali.

CAPVT V.

Nil incautè in Deum & eius prouidentiam loquendum, ſed verbis & cupiditatibus eſt cauendum, & virtutum honeſtati & moribus ſtudendum.

NE temere quid loquaris, neq; cor tuũ ſit 1.
velox ad proferendũ ſermonem coram
Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terrã:
idcirco ſint pauci ſermones tui.
Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis 2.
ſermonibus inuenietur ſtultitia. Si quid vo- 3.
uiſti Deo, ne moreris reddere: Diſplicet
enim ei infidelis & ſtulta promiſſio: *ſed
quodcunque voueris redde: multoque me- 4.
lius eſt non vouere, quam poſt votum pro-
miſſa non reddere.
Ne dederis os tuũ vt peccare facias carnem
tuam: neque dicas coram Angelo: non eſt 5.
prouidentia: ne fortè iratus Deus contra
ſermones tuos, diſſipet cuncta opera ma-

6. Et ſicut ſomniorum, ita verborum maiorem partem eſſe vanam, timoremq́; Dei in primis ſalutarem, tametſi valde infrequens ſit.

7. Vnde non eſt quod mireris, ſi videas pauperes calumnijs opprimi, iudiceſq́; ſubdolis ſtrophis circũuenire leges.

8. Cauebis autem ne potentioribus tibi videare maior. Etſi enim nunc ſis impunis, à futuris tamẽ horrendiſque cruciatibus, non eximet te ærumnoſa hæc ſuperbia.

9. Iam ſicut bona, per rapinã parta, poſſidere damnoſiſſimum ſimul eſt ac ſceleſtiſſimũ; ita & viro poſſidendarũ opũ cupiditate ardenti nulla ex eis obueniet vel ſatietas, vel ſyncera proximorũ beneuolentia, quantumuis plurimum argenti, quod poſſeſſuri ſunt, ab eo expectent. Quippe hominis vani hoc fuerit: at boni contrà, vt ſe accedẽtes lætos & ad deſpicienda omnia eiuſmodi fortes reddat.

10. Et profecto magnum quiddam cenſeri debet talibus in curis animum non defixiſſe.

11. Ecce pauper, quamuis ſenex ſit, nec habeat quo ventrem ſuum expleat, placido tamen ſomno refocillatur; cum interim auaro vigiliæ, cruciatuſq́; animi quietem excludunt.

12. Quid autem ineptius eſſe queat, quàm dum repoſitis theſauris incubatur, tantoq́; ſtudio cuſtoditur infinitorum malorum occaſio?

13. Equidem neceſſariò corrumpẽtur & diſperibunt aliquando diuitiæ illæ, ſiue eas filij poſſideant, ſiue non,

14. Et diues ipſe velit nolit talis iterum in terram abibit, qualis olim erat cum in lucem prodijt.

15. Sed & hoc hominis augebit miſeriam, quod vacuis manibus abiturus eſt. Non enim cogitat futurum vitæ finem natiuitati ſuæ ſimillimum: neque attendit cuiuis ventorum impetus potius quàm ſibi per inutilia opera ſua conſultum.

Dum

nuum tuarũ. Vbi multa ſunt ſomnia, pluri- 6.
mæ ſunt vanitates & ſermones innumeri:
tu vero Deum time. Si videris calumnias 7.
egenorum, & violenta iudicia, & ſubuerti
iuſtitiam in prouincia, non mireris ſuper
hoc negotio.

Quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos 8.
quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper
vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti.

Auarus non implebitur pecunia & qui amat 9.
diuitias, fructum non capiet ex iis: & hoc
ergo vanitas.

Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt 10.
eas, & quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod
cernit diuitias oculis ſuis? dulcis eſt ſom- 11.
nus operanti ſiue parum, ſiue multũ com-
edit: ſaturitas autem diuitiſ non ſinit
eum dormire.

Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub 12.
ſole: diuitiæ conſeruatæ in malum Domini *Iob 20.*
ſui. Pereunt enim in afflictione peſſima: *verſ. 20.*
generauit filiũ, qui in ſumma egeſtate erit, 13. 14.
ſicut egreſſus eſt nudus de vtero matris *Iob 1.21.*
ſuæ, ſic reuertetur. *1. Tim. 6. 7.*

Et nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſera- 15.
bilis prorſus infirmitas: quo modo venit,
ſic reuertetur, quid erga prodeſt ei quod
laborauit in ventum?

Digitized by Google

16. Dum ſic vitam ſuam omnem in impiiſsimis deſideriis, & veſanis conatibus, & triſtitijs, & infirmitatibus conſumit: & vt ſummatim dicam, eiuſmodi viro dies ſunt tenebræ, & vita luctus.

17. Non autem negauerim etiam opes bonas eſſe, & non reprobatas.

18. Dei enim donum eſt, ſi homo latè perfruatur laborib. ſuis, modò opes illæ à Deo ſint conceſſæ, & non rapina acquiſitæ.

19. Talis enim neque prauis deſideriis ſeruit, neque mœroribus tabeſcit, imo benefico in omnes eſt animo, & in munere diuino exultat, & omnem vitam ſuam bonis operibus ac largitionibus adornat.

CAPVT VI.

1. NVnc aliam moleſtiam frequentem & infeſtam mortalibus ſermone perſequar.

2. Reſpondet nonnunquã Deus omnibus aliquorũ hominum votis, conceditq; eis facultates, honores, & quæcunq; alia animis mortales ad ſtuporem vſque concipiunt. Et ita inuenies virum abundantem omnibus; vna tamen hac plaga diuinitus immiſſa, ne vel minimo fruatur, ſed alteri potius reponat: Emigrat is ex hac vita, neque ſibi neque proximis fructum afferens.

3. Equidem hoc magnum argumentum certiſsimumq; indicium extremæ puto ærumnæ; quãdo qui plurimorum filiorum appellatur pater, incolumis longo tempore vixerit, animum tamen ſuum virtutibus impinguare adeò negligit, nec vel mortis quidem memoriam guſtumq́ue admittat. Huius ego nec prolis numeroſitatem, nec annoſitatem mihi æmulando optarim: imò meliorem aio conditionem intempeſtiui fœtus qui abortientis matris vtero clapſus eſt, quàm illius viri.

Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tene- 16.
bris & in curis multis, & in ærumna atque
triſtitia.

Hoc itaque viſum eſt mihi bonum vt come- 17.
dat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex la-
bore ſuo, quo laborauit ipſe ſub ſole, nu-
mero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus,
& hæc eſt pars illius, & omni homini cui 18.
dedit Deus diuitias atque ſubſtantiam, po-
teſtatemque ei tribuit vt comedat ex iis, &
fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo:
hoc eſt donum Dei. Non enim ſatis recor- 19.
dabitur dierum vitæ ſuæ, eo quod Deus oc-
cupet deliciis cor eius.

CAPVT VI.

*Auari tanta eſt tenacitas, vt partis ad ne-
ceſsitatem vti neſciat, vnde deterioris eſt,
quam abortiuus, conditionis.*

EST & aliud malum, quod vidi ſub ſole, & 1.
quidem frequens apud homines: vir cui 2.
dedit Dominus diuitias, & ſubſtantiam, &
honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex om-
nibus quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſta-
tem Deus: vt comedat ex eo, ſed homo
extraneus vorabit illud.

Hoc vanitas, & miſeria magna eſt. Si genuerit 3.
quiſpiam centum liberos, & vixerit multos
annos, & plures dies ætatis habuerit, & ani-
ma illius non vtatur bonis ſubſtantiæ ſuæ,
ſepulturaque careat: de hoc ego pronun-
tio quod melior illo ſit abortiuus.

4. *Vt enim abortiuum vanè aduenit, ita & abſque omni ſatietate & fructu clanculo abit.*

5. *Neque mali quippiam ſole non aſpecto attingit.*

6. *Eius ſanè ſors leuior, quàm longæui illius, cui de bonitate conſtat nihil, tametſi amborū idem finis ſit, Mors.*

7. *Inſipientis proprium eſt, nimium vt concupiſcentiis indulgeat, & propterea reprehenditur.*

8. *Sapiens ab eis ſua ſponte ſibi temperat. Fere autem vitæ rectitudo, homini recto ad inopiam dux eſt itineris.*

9. *Irritant quorundam oculos ferculorum ſpectacula, ſed cum inane ſit hoc viuendi ſtudium, pernicioſæ illecebræ animum in ſteriles occupationes trahunt.*

10. *Vt autem ſatis nota quæ facta ſunt, ita non minus & hoc manifeſtum, homini nullas eſſe vires in ea quæ ſupra ſe ſunt.*

11. *Quamuis homines nugas excogitant, & excolunt, quæ poſtea amplectentium eaſdem inſipientia, accipiunt incrementum.*

CAPVT VII.

1. *TAmetſi nihil inde accedit commodi, quod præſciam quæ ex voto homini in hac vita ſunt euentura: Diſſimularetur forſan hoc, ſi eo contenta eſſet immodica hominum ſolicitudo: verum futura etiam poſt mortem curioſius rimatur, ſeq; putat cognoſcere.*

2. *Enimuero non tam corpori oleum, quàm grata eſt animæ bona memoria: & vitæ exitus melior quā ortus.*

3. *Et ſatius fuerit lugere quam conuiuari, & adeſſe mœrentibus quàm vino ſe obruentibus. Qui enim finem ſuum recte ſecum cogitarit, non tanto ſtudio, quæ huius vitæ ſunt, amplexabitur.*

Sed

Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, 4.
& obliuione delebitur nomen eius. Non 5.
videt ſolem, neque cognouit diſtantiam
boni & mali: etiamſi duobus millibus an- 6.
nis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis:
nonne ad vnum locum properant omnia?
Omnis labor hominis in ore eius: ſed anima 7.
eius non implebitur. Quid habet amplius 8.
ſapiens à ſtulto? & quid pauper niſi vt
pergat illuc, vbi eſt vita? melius eſt vi- 9.
dere quid cupias, quam deſiderare, quod
neſcias. Sed & hoc vanitas eſt, & præſum-
tio ſpiritus.
Qui futurus eſt, iam vocatum eſt nomen eius, 10.
& ſcitur quod homo ſit, & non poſſit con-
tra fortiorem ſe in iudicio contendere.
Verba ſunt plurima, multamque in diſpu- 11.
tando habentia vanitatem.

CAPVT VII.

4. *Lætitiæ triſtitia eſt anteponenda, 12. & opulentiæ iungenda eſt ſapientia.*

QVID neceſſe eſt homini maiora ſe quæ- 1.
rere? cum ignoret quid conducat ſibi in
vita ſua numero dierum peregrinationis
ſuæ & tēpore, quod velut vmbra præterit.
Aut quis ei poterit indicare quid poſt eum
futurum ſub ſole ſit? Melius eſt nomen 2.
bonum, quam vnguenta pretioſa: & dies
mortis die natiuitatis. Melius eſt ire ad 3.
domum luctus, quàm ad domum conuiuij.

Digitized by Google

4. *Sed & riſu præferenda eſt ira prudens, & tempeſtiua indignatio: quandequidem ſeueritate vultus corrigitur*
5. *anima. Et hæc cauſa eſt, ob quam ſapientum animæ contractæ ſunt ac tetricæ; inſipientum vero elatæ & effuſæ.*
6. *Hinc etiam longe optabilius eſt, increpationem & caſtigationem ſapientis vnius ferre, quàm totius chori improborum hominum canentium fieri auditorem.*
7. *Equidem crepitui ſpinarum plurimarmm, lato igne ardentium, inſipientium riſus ſcitè comparatur. Eſt & alia miſeria in humanis.*
8. *Summum inquam hoc malũ calumnia, quæ ſapientum maxime animabus inſidiatur, generoſam ac denſam illam virtutum ſyluam extirpare molitur.*
9. *Sermo non in principio, ſed cum ad calcem peruenerit laudandus eſt. Morum probetur modeſtia, non faſtus aut ſupercilium.*
10. *Furor & primus indignationis impetus cohibendus eſt, ne præceps in iram (cui ſtulti ſeruiunt) feratur.*
11. *Errant autem qui aſſerunt priſcis meliorem vitam conceſſam; non intelligentes quantum à poſſeſſionibus opum, ſapientia differat.*
12. *Quæ illis tanto ſit clarior, quanto vmbra ſua ſplendidius apparet argentum.*
13. *Non enim vita noſtra diuitiarum ſubſidio, ſed ſapientia ſubſiſtit.*
14. *Dic precor, quis tantam, tamq; ſuauem Dei prouidentiam poterit enarrare?*
15. *Aut quis poterit reparare quæ iuſtè à Deo videntur neglecta?*
16. *Et ego olim non recte ambulans cognoui, quomodo iuſtus in iuſtitia ſua perſeuerans vſque ad mortem non excidat, inſidioſuſque & impius cum ſcelere ſuo commoriatur.*

Porrò

QVANDOQVIDEM ingẽs diſcendi tuum ſtudium, Imperator, explicari à me exoptat, atque enarrari reconditum illud, mireque varium *Cantici Canticorum* opuſculum; en tibi dicto audiens, Imperator, ac ſpe fretus ſummi omnium Conditoris, morẽ gero. Sed & integram pœnè *Canticorum* enarrationem damus, ſimplicioribus tamen verbis, ac protritis. Sapientiſſimus enim Propheta SALOMON, Dauidis filius, ex ea quæ fuit Vriæ, tria hæc viuus conſcripſit opuſcula. Primum omnibus generale conſilium PROVERBIA ſcripſit, quæ morum continent doctrinam, vitiorumque castigationem; officij denique perpetua diuinaque præcepta. Deinde *Eccleſiaſtes* nominatur,

natur, vitæ hominis vanitatem mortales docens. Tertium vero opus, quod continenter ſubiicitur, hoc ipſum eſt *Canticum Canticorum*, valde variè formam oſtendens perfectionis Animæ, alias ſub ſpecie venuſta ſponſi & ſponſæ. Clarè enim proponit Chriſtum vti ſponſum: Animã viciſſim vt ſponſam, ſponſi ſui captam amore, ac veluti alis amoris ſubuolantem, & gratiis illius ſubnixam. Cõtinet etiam dicta quædam congruentia Eccleſiæ: ſed, cum Deo, interpretationem nunc aggrediar. Alloquitur enim ſic ſponſa Angelos, quos hic *Sionis filias* appellauit,

CANTICORVM CAP. I.

Verſ.4. *Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem: ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.*

Ex Hom. II. Greg. Nyſſeni n Cãtica. ANGELOS his verbis ſponſa affatur, quæ ipſis erant verbis apponenda, non carminis legibus adſtringenda. Audite, ait, verba mea filiæ cæleſtis Hieruſalem (ſic triũphantis:) Equidem ſimul & *pulcra* exiſto & *nigra*. *Nigra* quidem, vt tentorium *Cedar* appaream: quia tranſiliui inquam ejus mandatũ. *Cedar* enim Hebræis ſonat obſcurum, & denſas tenebras: *Pulcra* vero ſum viciſſim, pœnitens facti: commortua Chriſto Ieſu verè pacifico. Salomon enim merito audit pacificus, Tu vero, ne ſtupore percellaris dicẽte ſponſa, ſe & nigram eſſe & pulcram. Omnis enim anima

anima ad virtutem proceſſum faciens, ad lucem accedit, fugitque tenebras; ſic lucida ſimul & munda euadit. Siquidem quantum ad virtutem laborando accedit, tantum à fraudulentis diſcedit tenebris, clariorque fit ac ſplendidior.

Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia 5.
decolorauit me ſol.

Caue igitur putes me ita conditam, obſcuram, fuſcam, ac tenebricoſam. Tota enim lucida ſum facta ab opifice Deo: verum tentationum ſol æſtuans exſiccando vſſit me, & valde aſpectu ſuo me colorauit. Deinde quomodo à Iuſtitiæ Sole deſpecta ſit, explicat.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

Me, inquit ſponſa, oppugnarunt, ac tranſgredi demum coëgerunt ſpiritus illi præuaricationis. Hos enim *filios* quoque *matris ſuæ* nominat, quandoquidē & angeli à Deo conditi ſunt. Itaque quæcunque vitæ vſibus fecit Deus, puta Angeli, homines, dæmones, imo & lapides, fratrum ſunt loco Dei reſpectu habendi. Deus enim condidit vniuerſa. Iam verò belli formam explicabit.

Poſuerunt me cuſtodem in vineis: Vineam meam non cuſtodiui.

In paradiſo, ait, formata, & collocata, vt præceptum illius ſeruarem religioſe, nec per nefas comederem ex arbore vetita: at, heu, lege non ſeruata tranſilui. Eum nunc caſum apud angelos deplorat. Progreſſa vero vlterius,

rius,

Digitized by Google

rius, tanquam reſpiciens, ingenti clamore conquirit vndique dilectum ac ſponſum.

6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.*

Dic ſtatim, age, dic mihi vbi moreris, vbi dormias, ô Verbum Patris, quem mediis geſtans præcordiis adamo. *In meridie*, care ſponſæ, ne cubes vnquam, quando me iubes caſte in meridie te expectare, te, inquam, lucem inacceſſibilem, omni carentem vmbra; vbi paſcis oues tuas, ô Dei Verbũ, & verè lumine vultus tui oblectas. Si in illo te loco præuertero, ibi conſopita ſuaviter tecum obdormiſcam. Metuẽs dehinc ne à ſemita aberret, quæ rectà ad illum ducit, ſponſum denuo ſic compellat:

Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.

Ad ouium tuarum paſcua admitte me. Vereor enim ne præter opinionem aberrans, declinem potius ad gregem paſtumque hœdorum, indeque diſcedam longius à paſcuis ouium tuarum, & ſiniſtrum ſortiar locum, cum iudex humani generis ſedebis. Hæc quidem ad ſponſum inclamat virginitatẽ caſtè ſeruans, & noua nupta, quæ Chriſto citius commori exoptet. Tu quoque ſponſa, ô anima, tecum ipſa velut argumentum reuolue virgineam ter magni Pauli animã ineffabili modo in tertium cœlum rapti ſupernæ Hieruſalem, hoc eſt, Angelorum chori. Sed quid amici

amici ſponſi reſpondeant nunc videamus. Sponſi enim tuorum iudicant Angeli, quos initio diximus *filias Hierusalem* nominari. Sic enim caſtam alloquuntur virginem.

Si ignoras te, ô pulcerrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. 7.

Quæ virginitatem ſeruas intactam, ô anima fidelis ac pia, ſiquidem in ouium gregibus numerari exoptas, noſce teipſam, qualis antea re ipſa fueris, vtque ad Dei ſis imaginem condita. Omnem itaque mundi fallaciam fuge, & iterum atque iterum veſtigia paſtorum ſpeculare. Quamobrem latam amplamque viam exſecrare atque euita; hœdorum enim propria eſt. Anguſtam cõtra laboriſque plenam ſemitam inſiſte, & conſectare, quia eſt ouium. Caue itaque ne in hœdorum fœtidorum viis aberres. Nunc reliquũ pulcri ſponſi auſcultemus. Sponſam enim prior ipſe ſic [laudando] affatur.

Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea. 8.

Ex Hom. III. Gre. Nyſſeni in Cãtica.

Ipſam amoris vi ſtare loco more generoſi equi neſciam, & ad ſe properare feſtinantẽ, vt cõquieſcat; ſponſus animaduertens, equæ cõparat aëripedi, id eſt, celerrimo per aërem curſu velut volanti. Adeo enim in virginem ait percelli hoſtes ac diſrumpi, vt olim diſtraxit ac fregit Pharaonitas equitatus mei

robur

robur in acie diſpoſiti, hoc eſt, Angelorum inuictus exercitus. Quod ſi quæras, qua de cauſa Angelorum ordinem equitatui ſimpliciter comparet Verbum, idemque ſponſus. Omnis certe ſagittâ pugnãs cum aduerſario iaculum capit, neruos intendit, & haſtam ſumit. Pedeſtris quidem, lanceâ pugnat haſtatus. Quia vero aciei inſtructio apud Ægyptios, robur omne in equitibus poſuit, idcirco *equitatui* comparat eam ſermo Angelorum: robur hoſti reſiſtens. Et ne ſponſam contumeliâ affici vel iniuria credas, quod *equitatui* aſſimuletur, audi quid deinceps ſponſus de illa prædicet.

9. *Pulcræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis; collum tuum ſicut monilia.*

Etſi celerrimo te equitatui adæquaui, fræno tamen ori impoſito minime indiges: pro quo fræno inſita tibi eſt pudicitia, quæ tuas valde pulcras exornat malas, in morem turturis pudicæ: turturis, inquam ſoliuagæ. Ceruix tua & collum miræ eſt pulcritudinis, auream geſtans torquem. Hoc monile, iuxta Prouerbium, quidnam hic *torquem* nominet, animo repete. Cum ſponſæ ad ſponſum ſcintillam, tum huius viciſſim ad illam inflexionem denotat, vt hinc negotij exitus cognoſcantur: quomodo vero ad eam ſe ſponſus demittet. Aduocationi regiæ hic ſponſam inſtruunt veſtibus aureis, vt cum ſponſus in publicum cum ea prodibit, reperiat iam maxime

maxime paratam. Sponſi itaque amici ſic ſponſam compellant.

Similitudines auri faciemus tibi cum punctulis argenteis, dum Rex eſt in accubitu ſuo.] Vulg. *Murenulas aureas fac tibi vermiculatas argento.* 10.

Quandoquidem futurum eſt, vt Rex in te adeo amore ipſius incenſa ac ſtudioſè querente ſedem figat, permitte, aiunt Angeli, te à nobis diligenter adornari: & tametſi non fulges adhuc auro virtutum, ſponſa, ſed pridem præ nigredine argento tantum reſplendes, inaurabimus tamen te ſimilemque reddemus Cherubico & flammeo, ac venerando throno, cui deſcendens Rex ſe inclinet, ac diſcumbat. Quare expende hoc negotium, puta mirandam mutationē Virginis ac ſponſæ, quæ inquam ex argentea aurea ſit futura, ope Verbi ac ſponſi, vt ſponſæ ſuæ auxilium laturi, gratiamque per Dei angelos dignè infuſuri. Hoc enim Deo familiaribus conſuetū, vt virgineam ad Chriſtum feſtinantem Animam, ad illum identidem reuocatam circumſtent, veluti cuſtodes, angeli illius auxiliātes, atque excitantes ad virtutis actionem, dum ad Domini ſiſtant latus. Verum enimuero progreſſi vlterius à throno, ac proficientem gratia Dei animam, quid ad illam ſponſi familiares reſpondeant, nunc audiamus. His enim vocibus ad Angelos, atque internuntiis vtitur.

Nardus

11. *Nardus mea dedit odorem eius.*

En animæ piæ in virtutis ſtudio progreſſionem? Ad deſideratum veluti accedens ſponſum, eius ſe pulcritudinem agnoſcere teſtatur; ſed ſenſu dumtaxat, puta odoratu. Verum cur aliud, inquies, nullum nominat extra *nardum* vnguentum? Nardo ſolum, ait, redolere ſponſum. An quia *Nardus* inter vnguenta primum obtinet locum? An quia, vt equidem ſentio, diuinius quiddam deſignat? Vt ſi quis in caducâ hac vitâ magnos ſubeat agendo labores, niſi Chriſtum in baptiſmate induerit, nihil hiſce virtutibus vitæ æternæ conſequatur. Vel hac etiam ratione *nardi* factam mentionem exiſtimes. Vnguentarius enim dum apparat vnguentum, ſi nardinum ſtudet efficere, etſi multa alia commiſceat, niſi & nardum demum adiiciat, fruſtra operam conſumat, perdatque oleum. Adhæc Chriſtus ſponſus ad Simonis leproſi cænam inuitatus cum eſſet, adhibitum hoc legitur vnguentum à peccatrice, & è nardo fuiſſe decenter narrat hiſtoria, ſed quod ſequitur audiamus. Sponſa etenim proficiendo præſens pergit diuini Verbi familiares ſic cōpellare. Subiicit enim poſt *nardi* mentionem.

Lucæ 7.

12. *Faſciculus ſtactes [myrrhæ] filius ſororis meæ: in medio vberum meorum commorabitur.*

Mos hic virginum eſt cultui plus ſatis deditarum, non foris modo ſtudere ornatui, vt amatores ad ſe celeriter alliciant, verũ etiam intus

intus potius in veſtimentis odorifera circumferre. [Vt paſtillos.] Quandoquidem etiam hæc Cantica fœminis vſui ſunt. Animam, inquit, & pudicam virginem, & maſculo prudentem animo, ſponſæque ritu nuptiis aptã, muliebri more ex decoro loqui condecet, licet arcanum ſenſum ſermo in nucleo contineat. Hoc itaque ait apertè, quaſi delicias faciens, ac pudibunda: Tametſi, inquit, odoris vnguenta quædam geſtent feminæ in veſtibus, amori iuuenum conciliando; equidem pro odoriferis ſponſum meas delicias intimis circumferam præcordiis, veluti faſciculum ſuauiſſimum fragrantium odorum de collo ſuſpenſum tenebo. Vel id potius obſcure ſignificat: Etſi aliæ in hac vita animæ impeditæ & inquinatæ curis huius ſæculi ac negotiis exſiſtant: ego tamen medullis ac viſceribus infigam meis, ac veluti tabulis inſculpam. Cordis enim ſedes in medio eſt vberum. E verbis autem ſponſæ explicanda adhuc nonnulla, quæ pro virili conabor explanare. Ita enim Angelos eadem affatur ſponſa.

Botrus Cypri ſororis meæ filius mihi in vineis 13.
Engaddi.

O pulcram commutationẽ, & progreſſum ſponſæ! Quæ enim paulo ante clarè equæ ſeu equitatui comparata, nũc apertè cum officiis erga amicos valde profeciſſet, frugiferæ viti adæquatur. Pura enim quæuis anima capta Domini Dei amore ac deſiderio operum bonorũ progreſſu, fit omnia omnibus. Femina

quidem ſoliū Cherubin, & thronus Regius, iam etiam fructibus vitis ſit in atriis Domini fœcunda. Sic itaque purè loquitur ſponſa: Talem agnoſco ſororis meæ filium, hoc eſt ſponſum, quaſi vuam, quæ nobis diſtillauit muſtum immortalitatis. Non eſt quidem botrus maturus omnibus, virtuti deditis animalibus, verum identidem pro virtutis modulo ac menſura iucunditatis ſpeciem ſubinde mutat. In aliis enim mentibus floret, in aliis nigreſcit, in aliis vero maturus fit: in aliis denique maturitate dulceſcit. Sponſa itaque florentem ferens vuam, oſtendit ſe ſummam nondum perfectionem veluti maturitatem eſſe aſſecutā. Deinde veluti exaggerans maturitatis venuſtatem: Ita mihi, inquit, Chriſtus eſt & ſponſus, qualis botrus maturus eſt in vico Gaddi, vuis abundante: hodieque inter ceteras ea regio omnibus vuæ fertilitate antecellit, & dulcedine vitium ſuperat. Hæc anima caſta atque integra ſic prolocuta cum eſſet, ſic ſponſus excepit.

14. *En pulcra & propinqua mea, en formoſa es. Oculi tui columbæ.*

Ex Hom. IV. Greg. Nyſſeni in Cātica.

Vt qui aurum tractant, quos aurifabros nominant, cum rude aurum, aut adulterinum purgare ac longe purius ſplendidiuſque reddere ſatagunt, in fornaces ſæpenumero coniiciunt: ad eundem nunc modū ſponſam hic Dei Verbum, vt denigratam mundat, quam equæ vel equitatui prius aſſimilarat, oſtendēs eam humi adhuc ſerpere, ad hanc virtutum ſubli-

ſublimitatem incitauit. Illa enim officiis erga amicos exhibitis verè progreſſum faciens, igneus fit thronus Regis vniuerſorum. Dehinc virtutibus altius euecta atque iterum puro appropinquans ſponſo, valde ab eo hoc nomine laudatur : *Ecce*, ait, *pulcra es propinqua mea, & venuſta*. Pulcritudinis nempe ingeminans laudem, repetit identidem: *Ecce, tu pulcra es, virgo*. Iucundis es etenim oculis columbæ prædita virgineis : quandoquidem, ab euagationibus auertiſti, & in me vnum conditorem tuum coniiciendo tranſtuliſti. *Columba* autem *oculos* commemorat, vt purum virginis obtutum ſignificet. Tam iucundos enim oculos habet, vt puriter aſpiciat pulcherrimũ ſponſum. Laudata autem ipſa à ſponſo, ipſum viciſſim ita prædicat.

Ecce pulcer es mi patruelis, & natura decorus. 15.

Vt geminata iam laude illã laudarat ſponſus, ſic & ipſa mutuò prædicando repetit: *Pulcer es ſponſe mi, & formoſus*. *Propinquum* autem appellat Dominũ, ſeu ſponſum, quòd homo factus cum ſit hominibus affinem ſe propinquumque redditum obſcure ſignificet, vt planius infra demonſtrabit. Sponſa vero ſic laudata ſubiicit ſponſo hæc verba.

Lectus noſter vmbroſus. [Vulg. *Lectulus noſter floridus eſt.*]

Acceſſiſti, ait, ad infirmum & imbecillem lectulum meum, tegens artificio quodam & obumbrans tremendum diuinitatis ſplendorem.

rem. Niſi enim texiſſet iis, quos ſolus tu noſti, modis, diuini forte luminis iubare præſtricti extincti eſſemus. Quod ita plane euenit, dum Verbum celat diuinitatem. Cum enim ſponſi amici ac paranymphi ſponſam, vt ſupra dictum eſt, ex argentea auream reddidiſſent, Regalem quoque lectum purpureum effeciſſent, Rex in eo accubuit. Quo nomine ſponſa veluti ſtupefacta in hæc verba erumpit: *Veniſti ad lectum noſtrum vmbroſus*, vt tibi placitum eſt. Sed reliquũ Cantici perſequamur: ſic enim ſponſum affari ſponſa pergit.

16. *Trabes noſtræ cedri, & laquearia noſtra Cupreſſi.* [Vulg. *Tigna domorum noſtrarum Cedrina: laquearia noſtra Cypreſſina.*]

Quandoquidem vt ad nos ſponſe vltro veniſti, non eſt cur amplius formidemus, aut validos cæli imbres, aut extra alueum ferentium virtutes, ac ne feruentis quidem Boreæ violentos aduerſoſque impetus. Me enim, quam domicilium eſſe tuum voluiſti, in te, ſponſe mi, egregie exædificaſti, qui es ipſe lapis angularis, & vitæ petra. Quo fit, vt inducar ad credendum, tigna domus huius eſſe cedrina: & laquearia quoq. noſtra è cupreſſi arbore. Quoniam vero *domus* facta mentio eſt, de *tignis* fuit & *laquearibus* aliquid ſubiiciendũ, in quibus Virtutes intellige, quibuſcum Verbum diuinum aduenieus illam communiit aduerſum ventos, imbres, & flumina, id eſt, contra dæmonum tentationes. Tempus nunc

nunc eſt reliqua cognoſcere. Sic itaq. denuo ad ſponſum velut igni ſuccenſa, loquitur.

CAP. II.

FRANC. ZINO interprete.

Ego autem flos campi: Lilium conuallium. Verſ. 1.

O Præclaram puræ virginis progreſſionē! Ecce enim te ipſam cum eximium totius campi, naturæ humanæ florem, tum diuinum conuallium lilium agnouiſti. Omnis enim profecto anima vitæ probitate, ac virtutibus florens, atque excellens, nec mundi ſollicitudinibus vllo modo ſuffocata, redolet. Cuius quidem rei teſtis eſt Chriſtus ac ſponſus, qui ſponſæ ſermonem, vt ordine inuenies, ita confirmat.

Sicut lilium in medio ſpinarum, ſic propinqua mea in medio filiarum. 2.

Recte, inquit, de te locuta es ſponſa. Sic enim inter animas quæ curarum & ſollicitudinum ſpinis ſuffocantur, vt odorifera roſa floruiſti. Hanc autem *ſororem* Verbum ac ſpōſus vocat, quoniam diuinæ obtemperat voluntati. Eos enim in Euangeliis fratres, & propinquos & amicos appellat, qui patris ſui voluntati parent. Matth. 12 49.

Sicut pomū inter ligna ſyluæ, ita nepos meus inter filios. In vmbra illius, &c. 3.

Digitized by Google

Has laudes ſponſa cum audiuiſſet, quibuſdam ipſa quoque ſponſum laudibus extollit. Dominum enim hiſce verbis alloquitur: *Sicut pomum inter ligna ſylua: ſic nepos meus inter filios.* Quemadmodum, inquit, inter omnes hominum animas, quas, ô Verbum ac ſponſe, filias appellaſti, ego ſola ſum tanquam lilium in germine: ſic etiam tu arcana ratione cœlos inclinans, & deſcendens ſuper terrã in hanc vitam mortalem, & carnem noſtrã aſſumens, in hac ſylua, te inter filios hominum conſpicuum præbuiſti; tanquã pomum ſuauiſſimum, & guſtu iucundiſſimum. Cur autem Verbum appellat *pomum?* Quia multiplici gratia hic fructus eſt præditus. Etenim ſi forte à quopiã comprimatur, liquorem ſanguineũ, & aqueum emittit, & proinde innuit fontes illos ſalutares, qui ex latere Verbi, & Saluatoris emanarunt. O puræ Virginis prudentiam admirabilem. Sapienter enim ipſum verè pomum dixit eſſe. Nam omnis profecto anima humana, licet virtutum præſtantia ad Angelos accedat, flos tantummodo & lilium conuallium iudicatur, non alens agricolam (neque enim herba alit) ſed ſeipſam ſpeciei pulcritudine exornans. Etenim lucrum ex nobis non quęrit agricola, vt quodã in loco ſponſum ſuum
Pſal. 15. 1 alloquens, oſtendit Dauid: *Deus*, inquit, *meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* At Chriſtus agricola ſponſuſque noſter, cum carnem noſtram induens, vere pomum euaſerit, tres noſtros, eoſque præcipuos ſenſus oblectat, *viſum odoratum*, atque in primis *guſtum*. *Aſpectu* enim ſane

ſane quàm decorus eſt; quippe cum ſit omnium, qui in terra nati ſunt, ſpecioſiſſimus, Pſal. 44. 3
reſpicienteſque ſe clariſſimos reddat. *Olfactu* autem periucundus: eſt enim vnguento plenus, immo vnguentum ipſum, quod deſcendit in barbam Aaron. *Guſtatu* vero quàm ſua- Pſal. 132. 2.
uiſſimus, guſtantibus enim ſe vitam tribuit immortalem. Nam qui digne manducat corpus eius, vt ipſe ait, vitam verè æternam poſſi- Ioã. 6. 52
debit. Ac de propoſito huius carminis, hactenus.

Ad reliqua Canticorum explicanda pergamus. Sponſa de verbo diuino, *In vmbra*, in- Verſ. 3.
quit, *eius deſideraui, & ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Huius, inquit, admirabilis, vitaliſq. pomi ſæpenumero vmbram aſpicere concupiui, cum ardor tentationum me vehemẽter exureret, At ecce in ea iam confidens oblector, & gaudeo, atque ardorem tentationum declino. Quandoquidem me in omnibus mandatis Domini meditantem Verbum ac ſponſus meus dulciſſimus diuinis ſuis obumbrans alis, procul auertit tentationum faces. Hæc cùm veluti lætabunda protuliſſet, ad amicos ſponſi conuertit ſermonẽ ſuum, hortaturque illos, vt progrediantur, & ad formoſum ſponſum accurrant. Sed verba ipſius mihi ſunt expendenda.

Introducite me in cellam vinariam: ordinate 4.
in me caritatem. Fulcite me vnguentis: ſtipate me in pomis, quia amore ſum vulnerata.

Siti vrgeor, inquit, ad ſponſum meum, ad vitæ botrum illum maturum, atque diuinum, per crucis mortem dulcedine fluentem. Quamobrem in eius cellam me quoque introducite, vt purè ſponſi pulchritudinē conſpicata, amoris ignem erga illum adaugeam. Adhuc autem ad maiora contendo. Hæc ad Angelos loquitur.

5. *Fulcite me vnguentis: ſtipate me in pomis.*

Quando, inquit, dilexit me abiectum admirandus ille, & metuendus atque pulcherrimus ſponſus, ad eius me caritatem, vos qui Verbi & ſponſi amici eſtis, Incitate: qui prius mihi adhibuiſtis aurum, nūc autem adhibete vnguenta, quę omnem arceant fœtorem peccati, ne amplius aberrem, aut rurſus è via declinem. Tu verò per amicorum vnguenta, Virtutes intellige. Sed pomis præterea flagitat vt conſtipetur. Amicos enim alloquitur Anima, modo vt ſponſa, & virgo nuptialibus veſtimentis exornata: modo vt lectus auro ſplendidus, modo vt diuinum ſolium. In vna enim profecto eademque anima puriſſima Chriſtus, & ſponſus nunc quieſcit; nunc ambulat & ſedet ſæpiſſime. Quæ quidem omnia indicat pomorum conſtipulatio. Prorſus autem flagrat ſponſa, ac plane ardet deſiderio ſponſi, qui dicitur *pomum è ſilua*, cupitq. illum ſemper hæc ſibi eſſe omnia, *cibum, deliciaſq;, & vmbram, & ſtipationem, & tectum*: quemadmodum & ipſa erga illum hæc eſt vniuerſa: *Sponſa* nimirum, *& ſedes, & cubile, & domus*. Tum aſſiduæ flagi-

Digitized by Google

flagitationis ſuæ cauſam Angelis explicans: *Ego enim*, inquit, *amore ſum ſauciata*. Ego veſtram opem imploro. Totam domum meam pomis conſtipari cupio. Quoniam ſagitta amoris iſtius confixa ſum. Per *amorem* intellige *Patrem*, qui nullum habet principium: Per *ſagittam* verè *electam* Verbum ac ſponſum. Hanc enim in eos, qui ſaluantur, coniicere conſueuit.

Hic rurſus ſponſa ſubiicit quædam verba, quemadmodum ordine reperies. Sunt autem hæc.

Læua eius ſub capite meo; & dextera illius amplexabitur me. 6.

Varietas hæc in res incorporeas cadit. Ecce enim, quæ paulo ante mirabili ſagitta ſaucia erat, nunc ſagitta fit in manibus iaculantis. Id quod animæ contigit Pauli vulneratæ. Siquidem & ille ex infideli factus fidelis à Chriſto verbo & Saluatore, confeſtim veluti ſagitta miſſus eſt à diuino ſpiritu in gentes remotas, atque in errore demerſas, vt prædicationis & doctrinæ verbo animas aberrantes in viam vitæ reduceret. Hæc mea quidem ſententia, Stephephore Imperator ita ſe habet. Te verò minimè moueat, quod cuius ſiniſtra ſub capite ſponſæ ſit, vt ipſa ait, eius dextera illam amplectatur. Quandoquidem ad ſimilitudinem volantis ſagittæ emiſſa fuiſſe dicta eſt. Verum tempus eſt, vt quæ ſequũtur in Canticis audiamus. Rurſus enim Angelos obſecrat, & obteſtatur,

7. *Adiuraui vos, filiæ Hieruſalem, per potentias & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.*

Ager tibi ſit mundus: Huius fortitudo poteſtas Domini, Verbi, ac ſponſi. Vos inquit, qui ſponſi nuptiarum miniſtri eſtis atque amici, aſſiduis flagitationibus omiſſis, iureiurando precor ex animo, atque obteſtor, ne prius me decorare deſiſtatis, quàm partibus, ac numeris omnibus ornatam, atque expolitam moribus reddideritis, & ſponſi voluntas expleta fuerit, cuius quidem hæc eſt voluntas vnica, vt homines peruelit omnes ſaluos fieri, meque plane mundã, ac diuino ſplendore illuſtrem eſſe. Sed orationis ſeriem contemplari pergamus.

8. *Vox nepotis mei.*

Ex Hom. V. Greg. Nyſſeni in Cãtica.

Tantum abeſt, vt diuinitas comprehendi queat: vt licet virtutibus ſit quiſpiam omnibus exornatus, rectiſque viuendi rationibus ſublimis tollatur in cœlum, ac propter ea ſe proxime ad Deum putet accedere, ab eius tamen natura is diſtare ſe ſciat quam longiſſime. Ecce enim ſponſa, quæ proficiendo, ad eam ſublimitatem progreſſa eſt, vt proxime ad ſponſum videretur acceſſiſſe, diuinitatis eſſentiam haud percepit omnino: Tu per *vocem ſponſi* oracula Prophetarum accipe, quæ arcanam Verbi Incarnationem prodiderunt. Quid autẽ deinceps dicat, eſt attendendum.

Ecce

Ecce hic venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.

Cum antea ſponſi vocẽ audire ſe dixiſſet, iam, inquit, *hic venit ſaliens ſuper montes.* Scite pura virgo philoſophatur. Nam Verbũ Dei antequam deſcenderet in terram, præmiſit Prophetas, qui aduentum ſuum, & diuinam Incarnationem prænunciarent. Mox & ipſe de cœlo profectus eſt. Hæc igitur verba Canticorum innuunt diuini Verbi Incarnationem, per quam animas in tenebris conſidentes liberauit, iuſſu ſolo fugatis dæmonibus vniuerſis, quos *montes* appellat, ac deinde *colles* vocat. Chriſtus enim edens miracula, atque integras dæmonum legiones eiiciens verbo ſolo, cunctos ſimul tum maiores, tum minores in tartarum detruſit. Quid ſtatim ſponſa dicere pergat, expendamus.

Similis eſt nepos meus capreæ, hinnulóue ceruorum in montibus Bethel. 9.

Hæc prope ſimile quiddam ſignificant iis, quæ dicta ſunt. Declarant enim Verbum ac ſponſum expuliſſe dæmones, atque in tartarum detruſiſſe. Sponſum autem hinnulo ceruorum comparat Virgo, ita dæmones profligantem, vt hinnulus ſerpentes deſtruit. Hinnulus hic in montibus foueas habet. Mons enim *Bethel* cœleſte indicat domiciliũ. *Caprea* verò allegoricè *videntem* ſignificat, nam ipſe omnium corda intuetur.

Digitized by Google

9. *Ecce hic ſtetit poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per retia.*

Ecce, inquit, Verbum & ſponſus venit demigrans ex Bethel è ſuperna domo. Nondum autem ſub tectũ introiuit: ſed foris ſtans poſt parietem ,.per feneſtras vult introſpicere. Tu autem mihi per *parietem* legem antiquam intellige, vmbram & errores hominibus iniicientem; per *feneſtras vero, & retia,* oracula Prophetarum. Nam ante diuini Verbi Incarna-
Heb. 1. 1. tionem multifariam multiſque modis locutus eſt. Sed quid ſponſa deinde dicat, conſideremus.

10 *Reſpondet nepos meus, & dicit mihi: Surge, veni, propinqua mea, formoſa mea, columba mea.*

Quoniam, inquit, venit Verbum & ſponſus, qui Prophetis tanquam feneſtris quibuſdam, vſus eſt, hoc primùm dixit introſpicite: Surge de lapſu erroris, & tenebris, & ad me puriter accede, & mihi propinqua efficere. Hæc, inquit, præter alia mihi dixit.

11. *Ecce hiems tranſiit, imber abiit, receſſit ſibi:*
12. *Flores apparuerunt in terra: Tempus putationis aduenit.*

Quoniam, inquit, naturam dæmonum, à quibus humana natura congelatur, & pigra atque iners prorſus ad rectè agendum redditur, profligauit: atque ideo hiems caritatis abceſſit, & grauis imber omnis abiit, & defluxit:

&

Digitized by Google

& iucundum veritatis exortũ eſt ver: florere cœpit tellus, natura nempe humana. *Tempus putationis iam venit?* Legendi ſunt flores, ſi vis corollas ex floribus contexere. Hominum enim naturam, quam *terram* appellauit, idolis & fraudi ceruicem inclinans, nullam virtutum ſpeciem præbuit: (id enim *flos* ſignificat) acerbiſſima ac vehementiſſima hieme deceptionis in glaciem redacta, ac propemodum perdita. Quis enim ſe in tantis errorum tenebris, pietatis profeſſionem tueri, modeſtiam ſeruare, temperantiam amplecti, oſculari iuſtitiam vnquam ſperaſſet? At iam flores apparuerunt in terra noſtra. *Surge* igitur, & coronas tibi ex virtutibus texe. Ac florum teſtis minime reiiciendus eſt ille præcurſor gratiæ, *Pœnitentiam*, inquiens, *agite*: qui multos ex Hebræos baptizauit cum videret eos florentes in confeſſione. Huc enim ſpectant ea verba Canticorum. Mat. 3. 2.

Vox turturis audita eſt in terra noſtra.

Vox enim clamantis fuit præcurſor iſte, qui *paſſeri, turturi, dexteræ* comparatur.

Ficus protulit groſſos tuos; vineæ florent: dederunt odorem. 13.

Eundem hæc forte ſenſum habent cum ſuperioribus. *Ficum* enim rurſus intellige naturam humanam: *groſſos* inferiores virtutes; *vites florentes*, animas, quæ in recta viuendi ratione ac via progredi iam cœperunt.

Surge,

Digitized by Google

Surge, veni propinqua mea, formoſa mea, columba mea.

Huiuſce ſermonis ſignificationes ſæpe diximus: verba quæ deinceps ſequuntur interpretemur. O virgo, inquit, anima puriſſima, ſurge de lapſu, & huc veni, alacriter tamen & nulla coacta neceſſitate, ſed volẽs ac lubens, Non inuita, inquam, ſed vltro veni. Sic enim omnino ad me accedes, petram vtique Chriſtum vitæ ſempiternæ. A propugnaculo, à
1. Cor. 10 4. veteri lege, quæ petræ cõiuncta eſt, tranſcendens: Venit enim verè, hoc eſt appropinquat ad petræ propugnaculum. Et diſce etiam modum. Propugnaculum autem ſane dicitur antiqua lex: petra vero ſolida nouum teſtamẽtum. Ac quamuis videantur inter ſe diſtare lex Moſaica, & Euangelium, virtute tamen conſonant, atque inter ſe congruunt. Quid
Matth. 5. verſ. 28. enim his præceptis poteſt eſſe coniunctius? Antiqua lex vetat adulterium: Euangelium amputat cupiditatẽ. Illa vt à cæde abſtineas, iubet: hoc prohibet ne prorſus iraſcaris. Quod ſi quæris, & oues, & ſabbata, & paſcha; quæ illic ſecundum carnem; hic ſecundum ſpiritum, ſi attenderis, inuenies. Lapis enim ſpiritalis, non autem terrenus, eſt paries. Sed quæ ſequuntur verba iam audiamus. Sponſa enim reſpondet ſponſo.

14. *Oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Ne

Digitized by Google

Ne mecum amplius, ô ſponſe formoſe, per libros quoſdam propheticos & legales, colloquare: ſed tanquam mihi videre te liceat, & vocem tuam audire; *ſonet vox tua in auribus meis: oſtende mihi faciem tuam.* Nam ſi vox tua nobis iucundiſſima fuit atque dulciſſima, ſi vultus tuus pulcherrimus viſus eſt, & maxime decorus, cum vox tua per Prophetas inſonaret; & formam tuam tanquam in ſpeculo cerneremus: quantanam erit præſentiæ tuæ pulchritudo? quanta vocis ipſius dulcedo, quæ ſine vllo medio exaudietur? Spōſæ preces audiuit ſponſus, qui vt ſe ipſum coram magis conſpicuum præbeat, venatores ad prædam excitat, dicens:

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: & vineæ noſtræ florent. 15.

O imperium verbi terribile ac formidandum! ô virtutem omnipotentem! ô robur incredibile! Venatoribus enim præcepit, vt vulpeculas quaſdam paruulas captu difficillimas peruelligent, cōprehendant, ſuperent, vinciant. Totam nimirum deſertricem dæmonum poteſtatem: draconem illum maximum: illum rebellem naturâ, qui non aliter in nos, quam leo in greges deſæuit, mundi principē ſathanam, principem tenebrarum, infernum tenebroſas fauces ſuas aperientē, habentem ac ferentem mortis imperium, qui ſe paſſeris nidum, orbem ſcilicet vniuerſum, tanquam ova putrida atq. abiecta cepiſſe, & diripuiſſe gloriatur, qui terræ montes & mare euerſurum,

rum, & in nubibus ſedem collocaturum ſe iactitat: cuius quidem latera ſunt ęnea, & dorſum ferreum, viſcera autem, ſmyrites lapis: ſerpentem ipſum grauem, illum ſenem, ingentem illum, & totā eius hoſtilem manum, virus vero potentiæ tanquam *vulpeculas paruas* & natura fraudulentas appellat. Comprehendite, inquit, mihi *paruas vulpes*, quæ animas humanas demoliuntur. Has enim ſolas *vineas* vocat. Sed videamus quid etiam dicat ſponſa, & virgo.

16. *Nepos meus mihi & ego illi.*

Verū amoroſè deinceps ſponſo loquitur. *Qui paſceris inter lilia, Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere. Similis eſto tu nepos mi, capreæ hinnuloue ceruorum ſuper montes conuallium.* O pulcherrime paſtor ouium, quæ mente ſunt prædıtæ; inquit ſponſa ad ipſum Verbū ac ſponſum; qui oues tuas virtutibus, vt liliis, paſcis, rurſus te capreæ aut ceruorum hinnulo ſimilem præbe, vt paulo ante ſuper vallium montes ſaliebas: atque omnem potentiam aduerſantem euerte, & colles nimis elatos exæqua. Sic enim curſibus tuis omnis vallis implebitur; & omnis malitiæ collis humiliabitur, & omnes impietatis vmbræ diſcutientur; & dies ſalutis mortalibus aſpirabit.

CAP.

CAP. III.

In lectulo meo quæſiui per noctem, quem diligit anima mea: Quæſiui & non inueni. Vocaui eum & non audiuit me. Verſ. I.

TVA profectò natura, Chriſte, comprehendi nequit. Ego in lectulo progreſſionis meæ, qua valde profeceram, me conquieturam ſperatam, vtpote quæ iam ad perfectionis faſtigiũ perueniſſem, ſed poſteaquam ad diuinorum myſteriorum noctem acceſſi, ardenti ſtudio Verbum & ſponſum quærens, illic eum nullo modo conſpicuum inueni. Cumque rurſus illum vocaſſem, non reſpondit mihi. Quam verè ſponſa ſollicitudinem exaggerat ſuam. Nulla enim anima licet ad angelorum perfectionẽ accedat, & ad rerum penitus arcanarum cognitionem perueniat, ſe diuinam eſſentiam inſpecturam ſperet. Quando igitur ſponſum quem quæſiuerat non inuenit, audiamus, quid ipſa velit. Sic enim ait. Ex Hom. VI. Greg. Nyſſeni in Cantic.

Surgam iam & circuibo in ciuitate, in foris & plateis: & quæram quem diligit anima mea. Quæſiui eum, & non inueni: vocaui eum, & non audiuit me. 2.

Exurgam, inquit, & perquiram illum. Naturam, quæ mundo continetur, vniuerſam perueſtigabo. Hanc *ciuitatem* appellat hoc loco, quemadmodum & per *plateas* intelligit

 cœtus

cœtus Angelorum. Ad illius igitur, inquit, inueſtigationem me contuli. Atque hoc propoſito & conſilio naturas Angelorum omnes magno labore exploraui, ſperans me illum in Angelis aſſecuturam. Verum cum ipſum inter Angelos perſcrutarer, vt quis, qualiſq́; eſſet, vnde principium haberet, & quo fine concluderetur, intelligerem, cuſtodes ſupernæ ciuitatis Sion me peruagantem atque inquirentem conſpexerunt. Sic enim narrationem perſequitur ſuam.

3. *Inuenerunt me cuſtodes, qui obeunt ciuitatẽ.*

Tum, inquit percontata ſum illos.

Num, quem diligit anima mea, vidiſtis?

Sperabam enim profecto Verbum & ſpõſum meũ, in Angelis ſaltem intelligi & comprehendi poſſe. Verum cum & hos animaduerterem nihil ſcire; ab eis hæſitans, inquit, receſſi. Ab angelis autem haud ita procul conceſſeram.

Cum inueni quem diligit anima mea.

Vt paululum, inquit, ab Angelis pertrãſii, per fidem intelligens, Chriſtum omnipotentem & Verbum, Deum atque hominẽ nulla ratione comprehendi poſſe, inueni ipſum in iis, quæ ingenij rationiſque vim atque intelligentiam omnem ſuperant. Diuina enim Verbi, ac ſponſi natura eo tantum, quo non poſſe comprehendi cognoſcitur, fit comprehenſibilis.

Tenui

Tenui eum, nec dimittam, donec introducam 4.
eum in domum matris meæ, & in cubicu-
lum illius, quæ me concepit.

Quoniam incomprehenſum, inquit, illum inueni, intus eum tenui, & in medio cordis, Patrique coæternum eſſe cognoui. Nos enim domus, & templa, & cubicula ſumus Spiritus 1. Cor. 3.
ſancti, vt Paulus ait, qui & genuit nos, & nu- 17.
trit, quemadmodum ipſe nouit.

Sed præſtantiorem ſponſa progreſſionem aſſecuta, rurſus amicos vrget hiſce verbis.

Adiuraui vos filiæ Hieruſalem per virtu- 5.
tes & fortitudines agri, vt ſuſcitetis, & excitetis caritatem, donec voluerit.

Hæc iam explanauimus: quare pergamus ad reliqua.

Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, quaſi 6.
virgula fumi redolens myrrham, & thus ex vniuerſis pulueribus vnguentarijs?

Hæc amici inter ſe colloquuntur: quæ quidem eo ſpectant, quòd cum antea ſponſa virtutibus his, nempe *Fide, Manſuetudine, Iuſtitia,* decorata fuerit; mox autem ad alios virtutum habitus aſcenderit, Ieiunij nimirum, Vigiliæ, Orationis perpetuæ, atque aſperæ humi dormitionis: ſponſæ profectu ſtupentes, & tanquam ignari, de illa inter ſe conquirentes; *Quænam eſt*, inquiunt, *iſta quæ de ſolitudine in cælos aſcendit, veluti virgula fumi, odorem redolens myrrhæ, & thuris eximij?* Omnis enim anima quæ

 ſtudet

ſtudet eſſe thus & iucundus odor Regi vniuerſorum, neceſſe eſt, vt prius mortificet omnia membra ſua, atque ita myrrha fiat cum Chriſto commortua; alioqui thus Domino fieri nunquam poterit.

7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, Omnes tenentes*
8. *gladios, &c. ad bella doctiſsimi. Vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuũ à timore in noctibus.*

Hæc amici ad virginem dicunt, lectuli ſponſi pulchritudinem explicantes, quo magis ſuccendant ſponſæ deſiderium. Tu verò mihi ad horum expoſitionem diligenter attende. *Lectulus Salomonis* eſt eorum, qui ſaluantur locus: ſexaginta autem fortes qui illum ambiunt, ſunt illi ipſi profecto, qui ſaluati ſunt. *Sexaginta* verò dicuntur quicunque diuina gratia verè præſtantes, dæmonum, qui per noctes homines oppugnant, agmina formidine repleuerunt. Quemadmodum gladio vir accinctus, imbelles homines, & in præliis minus exercitatos perterrefacit. Illi enim ſigno Crucis, tanquã gladio ancipiti armati, aduerſus principatus, & contra mundi & tenebrarum principem ſatanam conſtiterunt. Hæc quidem à nobis pro viribus dicta ſunt. Quod ſi orationis ſeries haud ita continua videatur, ne admireris, ô Princeps, neue cõmouearis. Sic enim pleraque ſunt ſcripta Prophetica.

9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon, &c.*

Sermo propoſitus Cantici Canticorum ſapien-

pientiſſimè Eccleſiā ex Gentibus collectam innuit. Rex enim Salomon, id eſt, ſponſus, qui eſt gentium olim reiectarum. Libanus etiam eſt, venerādus & ſanctus, de quo Pſalmorum conditor Dauid meminit, *Iuſtus*, inquiens, *vt palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur*. Eſt autem rurſum Libanus repudiatus in omnibus, cuius quidem optat Dauid cedros confringi. Per columnas & baſes tu mihi Apoſtolos & Prophetas intellige, qui Chriſti Eccleſiam ſuſtinuerunt, & caritatem auxerunt, humanarumque animarum, quæ reiectæ erant, ſalutis fuerunt ſtudioſiſſimi. Hęc igitur ſponſa de ſe ipſa locuta eſt.

Ex Hom. VII. Gre. Nyſſeni in Cātica.

Pſal. 91.

Deinde omnes hominum animas adhortatur vt à mundi ſcandalis, & perturbationibus diſcedant, & ſponſum cum ipſis coniunctum ſpectent. Sic enim ſponſa præ lætitia illas alloquitur.

Egredimini & videte, O filiæ Sion. 11.

Inquit ſponſa, quoniam ego, quæ prius inuiſa fueram nunc facta ſum iucundiſſimum ſponſi ferculum; cupio vos item vniuerſas ex hac vita fugere, & puris oculis ſponſum diademate ex puris lapidibus contexto redimitū contemplari, qui à matre ſua ita coronatus me hodie ſibi deſponſauit: mater vero illius, patris caritas fuit.

CAP. IV.

Ecce pulcra es propinqua mea: Ecce pulcra es. Oculi tui columbæ præter ſilentiũ tuum.

His ſponſæ verbis auditis ſponſus in eius pulchritudines laudes excitatur. *Ecce*, inquiens, *pulcra es propinqua mea.* Pulcra profectò es, inquit, propinqua mea, cùm hominum cunctorum animas ſalutem aſſequi cupias. Deinde cùm vellet ſingulas eius partes laudare, ad ipſam Eccleſiam nimirum loquẽs, *Oculi*, inquit, *tui columbæ.* Quemadmodum in hominis corpore multæ ſunt partes, vt pedes, & manus, & vbera, & pectus, & venter: ſic etiã ſunt in ſancto diuinæ Eccleſiæ corpore, cuius caput eſt Chriſtus, qui & ſponſæ, ab oculis cœpit coronam contexere. Tu *Eccleſiæ ſanctæ oculos* intellige ſcripta Prophetarũ acutiſſimè intuentium. Cùm autem vellet interiores eius oculos collaudare, hæc etiam protulit verba, vt in ipſa ſerie reperies.

Præter ſilentium tuum.

Oculos, inquit, tuos exteriores commendaui; interiorum enim laudes nulla aſſequi poteſt oratio.

1. *Capilli tui ſicut ſicut greges caprarum, quæ releuatæ ſunt de Galaad.*

Hæc tanquam cum muliere cum ſponſa loquitur. Quod ſi vis altiùs rem indagare, *Coma ſponſæ* Virginis, hoc eſt diuinæ Eecleſiæ ornamenta ex Gentium grege eſt multitudo.

Dentes

Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcen- 2.
derunt ex lauacro, omnes gemellis fœtibus,
& ſterilis non eſt inter eas.

Dentes mihi intelligito diuinos Doctores ſacroſanctam nobis Scripturam interpretantes, qui detonſis reiectiſque carnis ſollicitudinibus, & conſcientiæ lauacro mundati tum animæ, tum corporis puritatem quaſi gemellos fœtus habere dicuntur.

Sicut funiculus coccineus labia tua, & elo- 3.
quium tuum decorum.

Sponſæ labia rurſus commendat. Tu vero per *funiculum* ſilentij dotem accipe: per *eloquium* vero *decorum*, diuinam prædicationem. Tum gratia taciturnitatis ſic, inquit, excellis, vt nihil ſuperfluum, nihil abſurdum excidat è labris tuis. Si quid enim aliquando vis loqui, quæ ad fidei promulgationem doctrinamque pertinent, loqueris. *Ecce pulcra es propinqua mea, ecce pulcra es.* Geminam hic quoque protulit laudem pulchritudinis. Genis enim vultus eius à purpureo modeſtię decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem, vt taceã, inquiens, ſilentij decus animæ tuæ. Hæc enim extrinſecus quidem iucundum ſpectaculum præbent, intus autem præſtantiam continent ſingularem.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædifica- 4.
ta eſt in Thalphioth.

Et hæc muliebri more cum ſponſa loquitur. Cum enim vellet collũ eius vehementer

Digitized by Google

laudare, turri illud celſiſſimæ cõparauit, quæ à diuino Dauide in Thalphioth fuerat exædificata ad curruum omnium defenſionẽ, cum externis bellis finem impoſuiſſet. Tu vero mihi, Imperator, ſanctæ Eccleſiæ collum, magnum Paulum intellige, qui caput omnium Chriſtum geſtauit, & ſi quos alios illi ſimiles didiciſti. Ex his enim ſuſpenſi ſunt ordines corporis expertiũ, quos hic *mille clypeos* vocat. Neque verò cur *mille* dixerit, quæras. Solet enim Scriptura eo vocabulo frequenter vti.
Pſal. 118. Sicut, *lex oris tui ſuper millia auri, & argenti.* Et ali-
Pſal. 67. bi; *millia*, inquit, *lætantium.*

5. *Duo vbera tua, ſunt duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur inter lilia.*

Et hoc conuenienter ad mulieris decorem extrinſecus dictum eſt. Intrinſecus venerabilem continet expoſitionem, & gratiam. Gemina enim diuina Eccleſiæ vbera intellige ſanguinem, & aquam illam ſanctam Verbi & Saluatoris, ex quibus animæ fidelium ſalutem hauriunt.

6. *Donec aſpiret dies, & moueantur vmbræ, vadam mihi ipſi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

In his innuit cruciatus & mortẽ Saluatoris. Hos enim tu per *myrrhæ montem* intellige. At per collem thuris intellige gloriã ipſius, qua pater deſuper eum, & ſolũ illuſtrauit. Totum hoc igitur, quod loquitur Virgini, factum eſt. Age tu mecum, qui cruci affixus ſum, crucifigere,

gere, vt magna item à Patre gloria mecum afficiare. Sponte enim volo ego ſanè mortem oppetere, vt fidelibus diem ſalutis aſpirem, & vmbras diſcutiam impietatis. *Mihi*, inquam, *ipſi vadam*, hoc eſt, volens & libens. Verum quia ſcit ipſam ſecum eſſe crucifixam, & omnibus præceptis ſuis obtemperaſſe, rurſus eam commendat his verbis.

Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano. 8.
Venies, & tranſibis à principio fidei, & à capite Sanir, & Hermon.

Ex Greg. Nyſſeni Homilia VIII. in Cantica.

Tum ad maiorem hanc gloriam inuitat. *Veni de Libano ſponſa.* Age, de Libano venies. Quādo, inquit, veniſti ad myrrhę montē, & ad collem thuris mecum conſcendiſti: hoc eſt, mecum paſſa es, & ſimul gloriam accepiſti, age, de Libano ad ſublimiora quædā perfectionis loca celeriter aſcende. Nec mecum deſinas progredi longius, declinatis pardorū leonumq́. cubilibus. Hoc autem re ipſa & factis cùm eſſet expletum, & ſponſa cum Chriſto puro ſponſo ſimul exaltata eſſet, amici progreſſione Virginis obſtupefacti, ſic eam canentes ſunt allocuti.

Vulneraſti cor noſtrum ſoror noſtra ſponſa. 9.
De Deo nos quiddā amplius docuiſti, dum oculū animæ tuæ, ô ſponſa, ardenter in Verbo & ſpōſo defixum, dumque animæ collum leni Chriſti iugo ſubditum contuemur. Verè cor noſtrum, inquiunt, excitaſti, poſteaquā ex te didicimus Verbi incarnationē. Atq; ad hūc quidem modum amici virginē collaudarunt.

10. *Quam pulchræ factæ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea, ſponſa. Quam pulchra facta ſunt vbera tua à vino.*

Ex Hom. IX Greg. Nyſſeni in Cãtica.

Hic rurſum laudat diuinæ Eccleſiæ vberũ, hoc eſt diſciplinarum incrementum. Cum enim, vt mater liberorum amantiſſima, eos, populum ſcilicet ex Gentibus enutritum, ad diuinæ ætatis menſuram videat perueniſſe, nec amplius in Sancta fide balbutire, aut hæſitare, pro lacte vinum effundit quotidie, altiora illis ſuggerens inſtituta. Prius enim, vt rudiores docebat eos, & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Deum vnum adorarent. Quod quidem erat veluti doctrinæ lac. Nunc autem monet, vt Modeſtiam, Caſtitatẽ, Temperantiam amplectantur, vt Iuſtitiã diligant. Quæ quidem ſunt veluti doctrinæ *vinum.*

Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Quem enim ex te veſtimentorum amictum gero, ex iis, inquam, ſacrificiis quæ mihi ex te offeruntur, illud arbitror omnibus aromatibus præſtare.

11. *Fauum diſtillant labia tua, ſponſa.*

Doctrina enim, qua nutrit filios tuos, fauo & melle dulcior eſt.

Mel & lac ſub lingua tua.

Neque enim eadem omnes ratione alis, ſed pro ſua quemque natura atque ætate. Nam imbecilliores lacte paſcis, melle autem perfectiores.

Odor

Digitized by Google

Odor veſtimentorũ tuorum, ſicut odor thuris.

Cum Eccleſiæ veſtimentorum odorem ſuperiùs cunctis aromatibus antepoſuerit, nũc thuri ſimilem & parem eſſe pronuntiat. Thus autem eſt omniũ aromatum præſtantiſſimũ.

Hortus concluſus ſoror mea, ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. 12.

Variis ſponſam laudibus ſponſus extollit. *Hortus enim es*, inquit, *ô ſponſa, concluſus.* Arborum omnium in te ipſa continens decus, & oleam fructiferã, & dulcem ficum. *Fons* item, inquit, *es ſignatus.* Neque enim aquas temere profundis tuas, ſed fideles, ſalutis ſitientes, potas.

Emiſſiones tuæ paradiſus malorũ punicorum cum fructibus nucum. 13.

His verbis ea ſponſus complectitur omnia, quæ ad fidei noſtræ integerrimæ doctrinam ſpectant, cuius timorem, decorem, fragrantiam, diuinitatem os Eccleſiæ nunquam non prædicat. *Emiſſiones* enim, inquit, *tuæ paradiſus exiſtunt malorum punicorum*, & omni gratia ſunt plenæ. *Fons hortorum*: nam latices tuos haud fruſtra ſpargis, ſed diuinas plantas, fideles nimirum, rigas.

Puteus aquæ viuentis, quæ fluit impetu de Libano. 15.

Adeò, inquit, virtutibus inſignis effecta es, vt idem quod ego cognomen ſis conſecuta. Ego enim omnino *viuentis aquæ ſum puteus*, qui Ioan. 4. 14. de cœlo *ſicut pluuia in vellus*, tanquam ex alto, Pſal. 7 . . & mirabili monte Libano deſcendi.

Surge

Digitized by Google

16. *Surge Aquilo, & veni Auſter, & perſla hortum meum.*

Ex Hom. X. in Cantica Greg. Nyſſeni.

Poſteaquam Eccleſia poteſtatem accepit omnino, vt hortus illius nominata, plãtarum omnium decus in ſe continens, & peſſimum Aquilonis flatum, glacie florum pulchritudinem extinguentem expelleret: Auſtrum autem ſaluberrimũ acciret, qui ſpirans in Sion Apoſtolis olim verborum fluxus inſtillauit: ſanctiſſimum illum ſpiritũ vocat qui in hortum ſuũ ſalutis auras infundat, vt omnes filij ſui fructum ferant, & Chriſtum Verbum ac ſponſum lætitia afficiant. Cùm igitur, quod iuſſerat, re ipſa perfectũ eſſet, Aquilonemq. ſilentẽ Virgo perſpiceret poſuiſſe, pulcherrimumque omnino ac diuinũ Auſtrum perflare, filios omnes ſuos fructiferos oſtendentem: admirabilem ſponſum ſuum obſecrat, vt in hortum ſuum fertilem celeriter deſcẽdat, arborumque ſuarum fructus carpat: hoc eſt, vt bonis filiorum ſuorum operibus oblectetur. Niſi enim ad nos humiles & abiectos ita deſcendat, *manſuetos ſuſcipiens*, vt inquit Dauid, fieri nullo modo poteſt, vt nos in cœlum conſcendamus. His ſponſa precibus ſpõſum aduocauit. At ille, qui implet vniuerſa, quiq. adeſt vbique, & dicit, *Ecce adſum*, inuocãtibus, antequam ſponſa ſupplicationem expleret illam exaudiens, deſcendit in hortum eius, vt ipſa voluit, & fructus arborũ ipſius decerpſit. Sic enim ſponſam alloquitur.

Pſal. 146. 6.

CAP.

CAP. V.

Veni in hortum meum, ſoror mea, ſponſa, meſ- Verſ. 1.
ſui myrrham meam cum aromatibus meis. comedi panem meum cum melle meo. bibi vinum meum cum lacte meo.

DESCENDI ego quidem, inquit, in hortum tuum, virgo, & pulcris fructibus tuis cupiditatem meam prorſus expleui, atque ex ardenti filiorum tuorum fide ac pœnitentia magnam lætitiam percepi. Totum autem hoc factum eſt, meſſis myrrhæ, eſus mellis, & lactis potus. Hæc cum dixiſſet Chriſtus, idē & ſponſus, vt pro mellito cōuiuio quaſi gratiam aliquam referret, ipſis Virginis filiis dat corpus ſuū. Sic enim illos, ſed dignos tantum, quos & propinquos ſuos ita eſſe dixit, alloquitur.
Comedite propinqui mei, & bibite, & inebriamini fratres mei.

Quicunque eſtis, inquit, operibus fratres mei, corpus meum comedite, & ſanguinem bibite meum. Deinde inebriamini, inquit, præ lætitia, & propter ebrietatē ſtupore perculſi, omnino mundi ſollicitudinem obliuiſcimini.

Ego dormio, & cor meum vigilat. 2.

Cum purus Dominus, & ſponſus ſe ſponte morti pro nobis obieciſſe demōſtraſſet, carnemque non autem diuinitatem omnia perpeſſam eſſe, hæc etiam ad illos, quos propinquos vocauit, loquitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Digitized by Google

vigilat. Licet, inquit, carne, quam aſſumpſi, mortem pertulerim, nihil tamen omnino Diuinitas paſſa eſt.

2. *Aperi mihi*, inquit, *ſoror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea. Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctis*.

Per *noctem* quidem ſignificat Iudæorum impetum, quo illũ nocte adorti ſunt: per rorem autem, & guttas trium dierum mortem, quam *cincinni capitis*, & non ipſe ſuſcepit. Quoniam igitur, inquit, pro te mortem ſuſtinui, & propter te hæc incommoda paſſus ſum, *aperi mihi, & ſuſcipe me*. Diligo enim pulchritudinem tuam, & in virtute perfectionẽ. Quamobrem & ſororem meam, & propinquam meam, & columbam meam, & perfectam meam te nomino. *Perfectam* quidem quoniã legẽ perſcriptam tibi à me perfectionẽ præſtas. Ego enim dixi: *Perfecti eſtote, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Et rurſum; *Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & tollens crucem tuam, ſequere me*. *Columbam* voco, quia ſpiritalis effecta es, & veterẽ hominem exuiſti cum vitiis & cupiditatibus, & ſpiritaliter potes intueri. *Propinquam* meam appello, quia per veſtigia mea incedis, & ad me appropinquare concupiſcis. Ego enim dixi: *Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis*. *Sororem* denique dico, non ſolum propter naturæ, quam ſuſcepi, neceſſitudinẽ, verum etiam propter pietatis

Matth. 5. Matth. 19 Iac. 4. 8.

pietatis coniunctionem. Sed ſponſæ Cantica rurſum audiamus.

Vox nepotis mei pulſat ad oſtium. Aperi mihi ſoror mea. 2.

Inquit ſponſus meus media de nocte veniens. Cordis oſtium mihi, inquit, patefacito, vt in te manſionem faciam cum Patre meo. Virtutibus enim mihi profecto propinqua facta es. Quod ſi aperueris mihi, dabo tibi munus magnum rorem capitis mei, & cincinnorum guttas: hoc eſt, largiar tibi curandorum hominum facultatem. Ros enim meus eſt hominum medicina.

Ex Hom. XI. Greg. Nyſſeni in Cantic. Ioan. 14. 23.

Exſpoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? 3.

Ego, inquit, iam pridem fores aperui tibi. Tranſgreſſionis enim craſſitudinē exui, nec ſententiam vnquam mutabo, vt eam iterum induam. Terrenas abſterſi ſordes pedibus meis, eoſque in ſalutis ſemitas direxi, ne vllo vnquam tempore me retrò conuertam, vt inquinem illos. Hæc ſponſæ verba ſpōſus cum audiſſet in interiore veluti eius tabernaculo voluit habitare, ſed illum, vt qui cōprehendi non poteſt, minimè capiebat. Hoc enim manu ſponſi, eaque ſola replebatur, vt ex ipſius ſponſæ cantu poſſumus intelligere.

Nepos meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. 4.

Etſi, inquit, totum oſtium aperui, vt Chriſtum Verbum & ſponſum meum ſuſciperem, tamen

tamen vix manus eius, eaque ſola immiſſa eſt. Itaque magnitudinẽ ipſius maximè ſum ad-mirata. Præclare pura virgo philoſophatur. Hominũ enim natura minor eſt, quam vt diuinam admirandi Verbi naturã opinione, aut ſcientia, queat vniuerſam comprehendere.

5. *Surrexi, vt aperirem nepoti meo. Manus meæ ſtillauerunt myrrham: digiti mei myrrham plenam in manus peſſuli.*

Ex Hom. XII. Gre. Nyſſeni in Cãtica.

Ego, vt ſponſum, inquit, exciperem, aperui. At ille penetralibus meis capi non poterat. Surrexi ad laborioſum, & magis diuinum ordinem, vt quem antea capere non potueram, laboribus multis, & carnis mortificatione, latiorem cogitationis portam patefaciẽs, ſponſum comprehenderem. Vnde manus meæ, inquit, cum digitis connitentes myrrham diſtillarunt vſque ad peſſulum. Quinetiam peſſulis omnibus reductis fores aperui; id eſt, carnis meæ membris mortificatis, animæ ſenſus omnes patefeci.

6. *Pandi fores nepoti meo. At ille declinauerat, atque tranſierat.*

Quamuis fores meas patefecerim vniuerſas, non tamen Verbum & ſponſum potui comprehendere.

Anima mea egreſſa eſt vt nepos locutus eſt meus.

Suſtuli mentem meam, inquit, ad cœlum, vt de delicto meo aliquid intelligerem. At ille cœlo

cœlo erat ſublimior multo. Sic enim deinceps loquitur ſponſa, & virgo.

Quæſiui & non inueni illum, vocaui & non reſpondit mihi.

Ecquonã modo inueniri, comprehendique 6. poterit is, qui nihil eſt eorum, quæ cognitione percipiuntur, non ſpecies, nõ figura, non locus, non quantitas?

Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciui- 7. tatem: percuſſerunt me, vulnerauerũt me.

O pulcherrimam virginis progreſſionem! Ecce enim ad Angelos vſque progreſſa eſt. Hi namque ſunt cœleſtis ciuitatis cuſtodes. Inuenerunt enim me Verbum inquirentem, & verbis deterruerũt ac vulnerarunt. Dixerunt enim, id nulla ratione fieri poſſe, vt incomprehenſi comprehenſio reperiatur.

Abſtulerunt pallium mihi cuſtodes murorũ.

Velum, inquit, abſtulerunt ab oculis meis, vt clariùs ſponſum intuerer, qui ne ab Angelis quidem poteſt omnibus comprehendi. Quamobrem incertior diſcedens omnino, cuſtodes, id eſt, Angelos etiam auerſatur, quòd ne ab illis quidem ingens ſponſi deſiderium queat imminui.

Adiuro vos filiæ Hieruſalem per potentias 8. & fortitudines agri: Si inueneritis nepotem meum, nunciate illi me caritate eſſe vulneratam.

Adiuro, inquit, *vos per agri potentiam*, id eſt, per diuinæ caritatis vim, vt ſponſo deſiderium

Ex Hom. XIII. Gr. Nyſſeni in Cantic. meum indicetis. His quidem verbis ſponſa Angelos obteſtatur. At de ſponſi inuentione deſperantes etiam Angelorum chori.

9. *Cuiuſmodi eſt*, inquiunt, *nepos tuus?*

Quibus tibi inſignitur notis. Vt ignaros doce nos omnia diligenter.

10. *Candidus, & rubicundus, electus ex decem millibus.*

Ille eſt, inquit, vere nepos meus, qui in cruce ex immaculato latere haſta vulnerato hominibus ſanguinem & aquam mirabiliter effudit. Qui ſolus inter omnes ex virgine ſine dolorê natus eſt homo.

11. *Caput eius ſicut aurum Cephatz.*

Qui ab omni, inquit, integer, ac purus eſt peccati labe.

Comæ eius ſicut elatæ, nigræ quaſi corui.

Ornatus, inquit, comarum eius, ſunt *Petrus & Paulus*, qui antea nigri, tenebroſique fuerant, & quiſquis ex Gentibus baptizatus eſt, & ad illum acceſſit.

12 *Oculi eius ſicut columbæ ſuper plenitudines aquarum lotæ.*

Illius oculi ſunt Prophetæ prudentia ſimplices, & moribus admirandi. Super plenitudines, inquit, aquarum lotæ, id eſt, omnibus virtutibus exornati.

In lacte conſidentes, ſuper plenitudines aquarum.

Non glorioſè virtutem oſtentantes, ſed admodum tranquillè eam excolentes.

Genæ

Genæ illius, ſicut phialæ aromatis ferentes pigmentaria. Labia eius lilia diſtillantia myrrham plenam. 13.

Totum aureum indicant hæc verba Chryſoſtomũ, & reliquos Doctores illius æquales, Maximum *Baſilium*, eximiũ *Gregorium*, quorum è labris doctrinæ ſermones melle dulciores emanarunt, quos qui deguſtant multa implẽtur myrrha, id eſt, laboribus mortificãt membra ſua ſuper terram, & ſimul cum Chriſto crucifiguntur, atque exaltantur.

Ex Hom. XIV. Gre. Nyſſeni in Canti.

Doctores Eccleſiæ.

Manus illius tornatiles, plenæ tharſis: Venter eius pixis exigua, eburnea, ſuper lapide ſapphiro. 14. *Crura illius columnæ marmoreæ, fundatæ ſuper baſes aureas.* 15.

Hæc virgo pura, & ſponſa cuſtodibus, hoc eſt, Angelis ſponſi ſui pulcritudinem ſignificans, enarrauit. Tu autem mihi omnia dicta per Tranſlationem intellige. Quoniam enim Chriſtus ſolus caput eſt omnium: corpus autem ipſius diuina eſt Eccleſia: membra autem corporis Sanctos eſſe dicimus, alium quidem collum, alium autem pedes, per *manus* eius *tornatiles* venerãdos Apoſtolos accipe: diuinos ſacerdotum principes, fideles diuinæ gratiæ diſpenſatores, qui ſeipſos omnem malitiam amputantes expoliuerunt. Quamobrem ſpe bonorum repleti ſunt. Eius iam *ventrem ac pyxidem* agnoſce omniũ virtute præſtantium animas & corda, in quibus Dei Verbum inſculptum eſt, qui mentes ſenſuſque ſuos ad

cœlorum Regē eiectos habēt. Id enim *ſapphirus* ſignificat, qui ſolus lapis cœli ſpeciem ac colorē obtinet. Per huius crura *Petrum* intellige Apoſtolorum Principem. In hoc enim Dominus in Euangeliis ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit.

Matt. 16. 18.

15. *Species eius vt Libanus, electus vt Cedri.* Sponſi ſpeciem verè maximam, & terribilem, admirandamque, ac diuinam ex pulchra Libani altitudine coniicito.

16. *Guttur illius dulcedo, & totus deſiderabilis.* Guttur eius diuus ille Præcurſor fuit, qui Verbi & ſponſi vox dicitur. Hæc cuſtodibus ſponſa cum reſpondiſſet, illi rurſus eam interrogant accuratius.

17. *Quò abijt nepos tuus, ô pulchra inter mulieres? Quò reſpexit nepos tuus, & quæremus eum tecum.*

Ex Hom. XV. Gre. Nyſſeni in Cantic.

Qualis iſte ſit, iā intelleximus. Nūc auemus illud etiam ſcire, quo deſcēderit. Nondum enim cognitā habent Verbi incarnationem, quā ineffabili ratione in terrā deſcendēs induit. Cuius quidē Incarnationis myſteriū ne Angelis quidē ante Verbi aſcenſionē ad Patrē, fuiſſe exploratum, ex ſummo Prophetarū Dauide, cognoſces. Cum enim Angelorum Chriſto miniſtrantiū Ordines quādo aſſumptus eſt, valde ſupplicarent ac dicerēt: *Tollite portas principes veſtras & introibit Chriſtus rex gloriæ:* illi diſpēſationis, inquit, arcanū non intelligētes, vt hæſitantes reſpōderunt: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* Ac ſponſæ quidē cuſtodes ita dixerunt? Illa vero reſpondet Angelis ipſis.

Pſal. 23.

CAP. VI.

Nepos, meus deſcendit in hortum ſuum ad phialas aromatis, vt paſcat in hortis, & colligat lilia. 1.

ARcana, inquit, ille ratione deſcēdat, ſicut imber ſuper lanā, ſicut ros in vellus, in vterum puræ atque immaculatæ Virginis vt in aromatum diuinorum phialā mundam. Vnde ſine ſemine progrediens, eo quidem modo, qui illi ſoli eſt cognitus: in animas hominum puras influxit. Has enim tu, Rex, *phialas aromatum* intellige. *Hortum* autē hunc mundum, in quem deſcendit Chriſtus, vt fideles ſanctis paſceret eloquiis. Diuina enim eloquia vocantur *lilia*.

Ego nepoti meo, & nepos meus mihi. 2.

Verum, quò planius, inquit, vos doceā, ille mihi prorſus eſt ſimilis. Ad ſimilitudinem enim ſuam me prius ipſe formauit. Poſt autem grauiter colliſam renouauit, formā meam ex Virgine ſuſcipiēs. Sic igitur Angelos ſponſa eſt allocuta. Hæc cum Angelis ſponſa loquebatur, cum humaniſſimus Dominus & ſponſus, eam clamantē, & anxiam, ac vehementius ſollicitatam in ſe indagando cōſpicatus, rurſus ad laudes eius ſe conuertit inuiſibiliter.

Pulcra es, inquiens, *propinqua mea ſicut bona voluntas; decora ſicut Hieruſalem, terror ſicut acies ordinatæ.* 3.

Pulchra, inquit, facta es, & macula non eſt in te, merito bonæ voluntati meæ cōparata.

Nam tu quoque vis omnes homines ſaluos fieri. Præclara etiã aſſimilata es ipſi Hieruſalem, in qua cum patre meo requieui. Quamobrem & terrorẽ obtines, & formidabilis es, vt Angelorum meorum acies ordinatæ. Mihi, inquit, locutus eſt venerandus ſpõſus meus.

4. *Auerte oculos tuos à me.*

Iam coniice in me oculos tuos. Lux enim oculorum tuorum auolare me fecit, & omnia mundi negotia deſpexi: Sed qui *voluntatem diligentium ſe facit*, cõfeſtim diuinos oculos ſuos in ſpõſam cõiecit, videnſq; eam virtutibus exornatam, cœpit illam his verbis collaudare.

Pſal. 144. verſ. 19.

Capilli tui ſicut greges caprarũ, quæ apparue-
5. *runt de Galaad. Dentes tui ſicut greges ton-*
ſarũ, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes ge-
mellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut
funiculus coccineus labia tua & eloquium
6. *tuum decorum. Sicut cortex mali punici ge-*
næ tuæ, præter ſilentium tuum.

His ſponſam laudibus ad mulierũ mores, & nuptiarum amores aptiſſimus ſpõſus extulit. Sed harum tu omniũ explanationem, Stephephore Imperator, ſuperiùs à nobis accepiſti. Quare iam Canticorũ finem audiamus.

7. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta cõcubinæ, & adoleſcentulæ, quarũ nõ eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa eſt genitrici ſuæ. Viderunt illam filiæ, & beatiſſimam prædicabunt eam, Reginæ & concubinæ laudabunt eam.*

Sapien-

Sapiẽtiſſimus ille Salomõ, mirabilis ille Propheta tanquã in ſpeculo Propheticis oculis, animarum, quæ ſaltem aſſequuntur, mores & virtutes, imo vt verè dicã, ordines ac gradus aſpexit. Tres enim, vt mihi perſuaſi, ſunt ordines qui ſaluantur. Aut enim ſunt filij, aut I.
mercenarij, aut ſerui. Qui enim à teneris vnguiculis ex toto corde Deum rerũ omnium auctorem optimum diligunt, & amore ipſius mundũ & quæ in mundo ſunt, cõtemnentes, Chriſto Verbo & ſponſo cõiunguntur, diuina gratia filiorũ ordinem obtinent. Qui autem II.
regni cœleſtis cupiditate adducti, vt eo potiãtur, Chriſto diligenter inſeruiunt, in Mercenariorum loco conſtituuntur. At qui peccatis III.
omnibus obruti, vt ego infelix, cruciatuũ, & ſuppliciorum formidine reſipiſcũt, & pœnitentiam agunt, (quorũ in numero vtinã ipſe quoque ſim per gratiã tuam, ô Chriſte, Verbũ, Saluator) in ſeruorũ qui tamẽ ſalui ſunt ordine collocãtur. Has claſſes atque hos ordines Salomon ille proſpiciẽs, & diuino afflatus ſpiritu, tanto ante cernens, Verbi ſponſi puriſſimi Incarnationem, & quæ ipſum ſine ſemine genuit ſanctiſſimam Dei genitricem Mariam, illam immaculatiſſimam, quam omnibus, omnes omniũ hominũ generationes, vocibus nunquam ceſſantibus beatiſſimam prædicãt, qui totius mundi peperit ſaluatorẽ. Tu vero Princeps, Stephephore, cùm *ſexaginta Reginas* audis, eos intellige, qui ſexagenarium traditum numerum talentorum decem ſexies bonis operibus multiplicantes diuina gratia filiorum locũ ſunt aſſecuti. *Concubinas* autem

Digitized by Google

eos eſſe cogita, qui talentum ſibi à Domino aſſignatũ, laboribus ſalutiferis octies multiplicãtes Verbi & ſpõſi facti ſunt mercenarij. Innumerabiles vero *adoleſcẽtulas* agnoſce peccatores illos, qui præ nimia inertia talentũ à Domino acceptum in terra defoderunt illi quidẽ, ſed tamen ſalutem obtinuerunt. Inter tot animas omnium hominum, qui ſaluãtur, vt electa colũba eſt vna illa ſola quæ Chriſtũ genuit virgo mater puella Maria, quę puritate perfecta Cherubin & Seraphin antecellit.

PERORATIO.

Mandata tua, rex, explicauimus, Ecce enim Canticorum Canticũ ad vmbilicũ peruenit. Quod ſi Princeps optime idẽque ſapiẽtiſſime, quæras, quidnã in ſumma ex huius Prophetici voluminis puritate colligatur; mortaliũ naturã olim prolapſam, & errabundam, Verbum, à quo fuerant cõdita, perquiſiuit, inuentamque atq; humeris ſuis impoſitã Dominus in cœlum ſuſtulit, Patrique obtulit, atque Angelis ſubl:miorem declarauit. Quod ſpiritu Prophetico proſpiciẽs Salomõ, rem vario, & multiplici carmine eſt proſecutus. Nos vero iuſſa tua, Stephephore, capeſſere cupiẽtes, vt imperio ſubiecti tuo, idẽ argumentũ pro virili noſtra *Ciuilibus verſibus* expoſuimus. Quod ſi forte à veritatis tramite alicubi deſlexerimus, id mirũ aut nouũ nemini videri debet. Noſtrũ enim erat prouinciã hanc non attingere. Cum enim hic liber ſpiritu totus refertus ſit, nõ debet, niſi ab ijs, qui eodẽ pleni ſũt ſpiritu tractari. verum quando id auſi ſumus, Deus omnipotẽs Chriſtus mihi det veniam.

INDEX

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HIS AD SALOM. LIBROS COMMENTARIIS.

A.

ABrahæ filij, cuiuſmodi veri cenſendi ſint fol. 9.
Abſorbere hominem quid in ſcripturis ſit 50.
Abyſſi nomine quid denotetur 81.
Admiratione vir quis dignus 402.
Adulatores vulgo maiores ſiũt quam viri prudentes 236.
Adulatores fictiq; amici peiores ſunt apertis hoſtibus 346
Obſcurant potius, quam illuſtrent 265.
Adulterium furto grauius 123
Ægri medicina, ſtulti ſapiẽtia indigent 147.
Ænigma eſt ſpecies ſermonis tenebroſi 36.
Ænigma quid ſit 40.
Aliud apertè effert aliud occultè tegit 41.
Æquum & Iuſtum cur negligatur 23
Æterna fruitio animo concepta ſpiritum recreat 200.
Æternæ res certæ 410.
Affligantur nonnulli cur 243.
Αγαπῶ magis quiddã, quam φιλῶ. 134.
Ager, mundus dicitur 51
Cum aliena frequenter agere non conuenit 106.
Domus nimis altè erecta, ruinæ patet 249.
Amentes ne quidem cum errant errorẽ agnoſcunt 206.
Amentiæ euidens argumẽtum ſupina animæ deiectio 214.
Amicitia ſimulata, manifeſta inimicitia inhoneſtior 350
Amicitia nõ modo diuina ſed humana quoq; omnia reddi ſuauia 222.
Amicus fidus neque in lætis neque in triſtibus eſt deſerendus 249.
Amici veri in omnibus, communicant, & ſe mutuo iuuant 249.
Non citra detrimenti periculum ſpondetur pro amico 250.
Amicis carẽre grauis eſt calamitas 414.
Amor Deum Patrẽ ſignificat 513.
Angeli filię Sion dicũtur 498.
Animi triplex ſtatus, infantilis

lis, iuvenilis & virilis. 30.
Vt animæ ſuppetunt ſuæ ætates, ita ſui quoque ſenſus 31.
Anima, ſua pro natura immortalis 83.
Anima expiatur per cruces, & per pænitentiam 206.
Animam ad Chriſtum feſtinantem circumſtant Angeli 503.
Anima Deũ amans fit omnia omnibus 505.
Anima, Chriſti ſponſa eſt, & ſedes, & cubile, & domus 512.
Annis vitę quid deſignetur 70.
Quid interſit inter ἄνομ☉ & παράνομ☉ 54.
Apoſtoli per columnas deſignantur 525.
Apum politia 113.
Vt apes in campis, ſic verſandum in Scripturis 114.
Apis iuſtior eſt operaria, quã formica 115.
Apis ſedula S. Paulus eſt 116.
Aqua vndique terram ambit 363.
Ardor & æſtus quid myſticè 156.
Arrogantes ſalutaria conſilia aſpernantur 224
Inter arrogantem, temerarium, & ſuperbum quid interſit 294.
ἀρχὴ plura ſignificat 41. 136.
Aſina, cui Chriſtus inſedit, quid deſignet 306.
Aſpernatur qui omnia pro Chriſto, omnia poſſidet. 244
Aſſentatorum ab inſidiis ſibi Principes cauent 265.
In Aſtrologos 440.
Atheorũ & impiorum errores 432.
Auarus nec corpori nec animæ ſuæ parcit 171.
Auaritia inſatiabilis 418.
Auari ingenium 414. 407. 408
In Audacia ſua ſpem ponit ſtultus 362.
Quod inter Aurũ & argentum, hoc inter ſapientiã diuinã & humanam intereſt 233.
Per aurum & ſardium quid deſignetur. 336.

B.

Bellum facilius geritur prudenti animo quam forti manu 241.
Bethel Mons, cœleſte domicilium 515.
Blandimenta meretricia quid deſignent 128.
Boni multi, ſoli Deo noti 180
Bonos bene tractare debet qui inopia premi non vult 205.
Boni viri eſt peccata quæ admiſit, recolendo ex animo deteſtari 207.
Boni in pace viuunt 221.
Bonos æmulari oportet, non autem per inuidiam procedere 352
Bona hominũ quæ vera 406.
Botrus maturus, Chriſtus crucifixus 512.

X 3

C.

Κακȣργία & πανȣργία quid differant 28.
Calumniæ detrimentum 424.
Caniciẹs ſenem reddit venerabilem 285.
In Canticis qui loqui inducantur 491.
Ex Canticis quid colligatur 544.
Canticum Canticorum variè formam oſtendit perfectionis animæ. 498.
Caprea bidentē ſignificat 515
Carnis contritione quid deſignetur 103.
Caro labori aſſuefaciēda 110.
Caro hominis feneſtra 126.
Carnis deſideria perimens ad juſtitiam ſeſe cōponit 335.
Carni non plus indulgendum quam oportet 338.
Chriſtus filius Dauidis cur appellatus 9.
Secundum naturā aſſumptam eſt creatura 137.
Optima via 141.
Teſtis fidelis 205.
Priuatorum & Principum iudex 232.
Fons vitæ 236.
Dominus Rex eſt per omnia iuſtus & æquus 279.
Nullam ſenſit carnis libidinē, ſicut nullum quoque fecit peccatum 377.
Solus Dominus præſentis vitæ mare inoffensè pertranſiit 378.
Sublimiori ſenſu, Leo, Gallus, hircus, & Rex eſt 383.
Quomodo hominum affinis dicatur 507.
Quare dicatur Hinnulus 515.
Sicut ros in vellus, ſic Chriſtus in Virginis vterum deſcendit 541.
Per ciuitatis muros, portas, & Dynaſtas quid ſignificetur 56.
Ciuitas infelix & beata 438.
Ciuitas quid in Canticis deſignet 521.
Cogitationes prauæ mortem intentant animæ 93.
Cogitatio praua venator eſt 193.
De Cogitationibus fiet diſquiſitio 225.
Cogitationes bonæ à Chriſto dimanant 315.
A Cogitationibus prauis corda repurgata grata Deo 301.
Cogitationes prauæ ſcortorū nomine interdum ſignificantur 363.
Columnæ & baſes Apoſtolos & Prophetas ſignificāt 525
Comæ ſpōſæ in Canticis ſunt multitudo Gentium 526.
Comæ nigræ ſponſi, Petrus & Paulus 538.
Concupiſcentia citra conſenſum non eſt peccatum 107.
Propter quod conditur, illo eſt minus 138.
Conſcientia mala hominem timidum reddit 357.

Con-

Conſideratio rei moleſtæ eſt oſſium tinea 214.
Conſilij nomine quid deſignetur 66.
Contẽplationis quatuor principia 125.
Contẽplatio rerũ conditarum animæ vires corroborat 227
Conuitium antecedit vulnus, & elatio caſum 235.
Copia & inopia per ſe non ſunt cauſæ triſtitiæ vel lætitiæ 196.
Corona gratiarum, quid 91.
Corpus integræ ſanitati quando reſtituetur 75.
Creaturæ omnes, fratrũ loco ſunt 499.
Crux Chriſti lignum vitæ 81.
Cruces & calamitates patienti animo accepta vitã, impatiẽti autem mortem adferunt 155.
χλίζω quid deſignet 138.
Culpa ſuapte natura, & ſerua eſt & ſeruum efficit 379.
Curioſitas rerumque futurarũ præſcientia inutilis 422.
Curioſitas hominum, ipſis noxia 428.
Ex cordis cuſtodia procedit vita 96.

D.

Dæmones μυησίκακοι 193
Dæmonibus quid cõmunẽ cũ ſceleratis hominib. 52.
Mala ſuggerunt 322
Dæmonum domus quales, & qualia ſpolia in eas inferãt 52
Accuſãnt, quos in peccatum pertraxerunt 57.
Præ cæteris de hominũ ruina gaudent 67
Hominum interitum magni lucri loco ducunt 101.
Grauiter & iniuſte accuſant iuſtos 168.
Inter Dæmones, homines, & Angelos quid interſit 296.
Deiectio animi, ſignum eſt amentiæ 214.
Delitiarũ pernicies 430. 432.
Dentes, diuini Doctores dicuntur 527.
Deuorare iudicia, quid? 276.
Deus bifariã conſideratur vt auctor naturæ & largitor gratiæ & gloriæ 112.
Quid homini præſtet peculiaris Dei gubernatio 34.
Variis modis hominẽ prouocat ad Virtutem 57.
Dei Sapientia pari cum Deo poteſtate 143.
Dei regnum thronus denotat 143.
Deus in Adamo omnes cernebat 144.
Dei volũtas in eius præceptis continetur 144.
Vt Deus nemo timendus aut honorandus 124.
Deum rectè honorare qui dicendi ſint 75.
Nihil ita abditum quod Deum lateat 106. 284.
Deus filius, æternus, in tẽpore principij relationẽ ad creaturam ſortitus eſt 137.
Apud Deũ vt fõs vitę, ita apud diabolũ fons mortis eſt 154.

Solus

Solus eſt per ſe diues 311
Magis ſpectat donãtis mẽtem quam doni qualitatem 271.
Omnia eius opera ſumma iuſtitia ſunt facta 271.
De hominum interitu aut pœna non gaudet 58.
Alia & alia ratione aduerſatur peccatoribus 88.
Quomodo offenſus in hac vita placetur 259.
Impiorum vias & victimas deteſtatur 219.
Cur ſordeant ei impiorum hoſtiæ. 296.
Fortitudo & ſapientia Dei, vt immenſa prædicatur 297.
Dei maieſtas omnem excedit orationem 334.
Dei præmia excedunt hominum merita 293.
Per dexteram & ſiniſtrã quid deſignetur 97.
Diabolus è geſtibus deprehẽdit, quo quiſque morbo laboret 117. & 239.
Quib. artibus infirmos tentet 240.
Quos fraude circũuenit, grauiter corã Deo perſtringit 123
Ingenium eius 238.
Cur in Angelũ lucis nonnunquam ſe transformat 353.
Inique & per calumniam agit cum hominibus 304.
Ad animæ penetralia miſſus omnes illius cogitationes turbat, & coinquinat 301.
Apud eum fons mortis eſt 154
Teſtis eſt falſus 205. 296
Locis humidis & aquoſis delectatur 293.
An in extremo iudicio præſto futurus ſit, incertum 124.
Similis ei eſt, qui lætatur de caſu fratris 328.
Per digitos & manus quid deſignetur 125.
Diſciplina duplex: diuina & humana 13.
Diſciplinæ nomẽ variè vſurpatur 77. 179.
Diſciplina eſt magni momẽti 200.
Diſciplinæ obſeruatio parens æternæ vitæ 93.
Diſciplinam ordine naturæ Pœnitentia antecedit 332.
Diuinitas à nullo poteſt comprehendi 514. 521. 536. 537.
Diuina natura nec a b Angelis comprehenditur 522. 527.
Eo tantum, quod non poſſe comprehendi agnoſcitur, fit comprehenſibilis 522.
Diuinarum rerum notitia mortalium ſolatur labores 336.
Diuinæ mẽtis ſentẽtia, ex ſola Scripturæ ſuperficie deprehendi non poteſt 311.
Diuites cur ſint nonnunquam fatui 173.
Diuites & pauperes ſeſe mutuo ad gloriam & gratiam impetrandam iuuant 298.
Docent qui alios ſeipſos erudiunt 300.
Doctrina cœleſtis auro puro præſtat 132.

Quid

Digitized by Google

Quid interſit inter veram & falſam doctrinam 152.
Magna affluunt doctrina, qui ſecundū Deum ambulāt 255
Doctori futuro teſtimonium perhibere de doctrina periculoſum eſt 307.
Domus eſt ſedes fixa manentium 207.
Domus picta myſtice eſt malitia, virtutis colore veſtita 289.
Per Dynaſtā, menſam, fercula, accubitum & manducationem quid ſignificetur myſticè 309.

E.

EBrietas probroſa, & rei familiari noxia 185
Ebrioſorum miſerrimus eſt ſtatus 321.
Eccleſia, iuſtorū domus 218.
Fidelium omnium mater 46.
Apum ſtudia æmulatur.
Lautam menſam familiæ ſuæ præponit 114
Dicitur vidua 224.
Eccleſiæ corporis multæ partes ſunt, ſicut in corpore hominis 526.
Eccleſiæ & Synagogæ nomine quid deſignetur 103.
Eccleſia ex gentibus collecta cum ſerua eſſet, Dominam ſuam Synagogā expulit 279.
Præ cæteris Eccleſiæ ſunt, & Reip. pernicioſi, qui ſub ouina pelle lupum tegūt 353.
Eccleſiaſtæ duo præſtanda, 1. vt recte vitæ iter teneat, 2. pro ſtultis precetur 416.
Effæminati qui dicantur & ſint 257.
Egenis benignè faciendū 85.
Egeſtate coacta nihil miſerius 115.
Caſum antecedit elatio 235.
Eleemoſynę commendatio ac fructus 440.
Eleemoſyna liberat à morte 165.
Eleemoſyna extinguūtur peccata 225.
Ad Eloquia diuina mens conuertenda 319.
ἔννοια φυσικὴ quid 133.
Epilogus Eccleſiaſtę 446.447
Equa aeripes, anima Deum amans 501.
Equitatui cōparantur ordines Angelorum 502.
Excandeſcentia animi grāde malum 210.
Animi quædam temulentiæ ſpecies 277.
Exceſſus omnis parit malum 215.
Excuſare ſe res periculoſa 258
Exemplum externum multos ad opus incitat 111.

F.

FAma bona opibus præſtat 297.422.
Per Fauū mellis Scripturarum hiſtoria deſignatur, per mel Allegoria 326.
In rebus humanis nulla conſtans felicitas 177.
Feneſtra, oracula Prophetarū ſignificat 516.

Per

Per fercula quid myſticè ſignificetur 309.
Ficus, natura humana dicitur 517.
Fidem ſemel acceptam deſerere pernicioſum 351.
Minimi in terra ſunt qui ſe per fidem Chriſto adiunxerunt 382.
Per fidem & miſericordiam quid denotetur 72.
Impij vt virtute, ſic recta quoque fide deſtituuntur 328.
Filiæ Sion, ſunt Angeli 405.
Patris filius quis rectè appelletur 89.
Non quiuis filius lætificat patrem 251.
Sæpe vbi flere deberemus, ridemus 215.
Flagellum in mancipiũ magis quadrat, quam in filium 77.
Flos virtutem deſignat 517.
Formicæ futura familiarius ſpectant quã præſentia 112.
Per formicas myſticè quid deſignetur 111. 382.
Fortitudo agri, poteſtas Domini dicitur 514.
Frater à fratre bona fide adiutus inexpugnabilis eſt 261.
Fraus & impoſtura tandem pateſit 157.
Frumentum myſticè, eſt Verbum Dei 175.
Iniuſta frumenti detētio 175.
Luctus in funere 422.
Furor eſt quædam temulentiæ ſpecies 277.

G.

Gentium populus eſt ſeruus, ſed libertate donatus, quam Chriſtus ſuo ſanguine mercatus eſt 242.
Cuiuſmodi gloria debeatur ſapientibus 88.
Qui Chriſti gratia potiti ſunt, & huius, & aliorum amici ſunt 355.
γνῶσις, ἔννοια φυσική, quid. 133.
Guttur ſponſi Ioan. Bapt. 540.

H.

Hæreſis mulier inſipiens, quæ vltro ſibi mortem aſciſcit 20.
Hæreſis meretrix & adultera 420. 153.
Prudentes hæreſi non facile capiuntur 126.
Hæreticorum ingeniũ, mores, & ſtudia 188.
Hæretici patrem & matrem hoc eſt Deum & eius Eccleſiam aſpernantur 275.
Vera ſapientia deſtituũtur 14.
Pueri ſtulti dicuntur 275.
Inter ſtultos ſtultiſſimi 342.
Hæretici & Philoſophi diuinam prouidentiam non prorſus abnegant 129.
Fluciis non abſimiles 129.
Hæretici in perniciem ſuam vehementer laborant 238.
Hæreticorum doctrina qualis 153.
Vt illota ſus pedibus cõturbat fontem, ita hæreticus ſuis commentis ſcripturã 340.

Hære-

Hæreticus, diues mendax dicitur 272.
Hæreticorum vinū lethargum in animum inducit 317.
Hæretici non audiendi, niſi hoc fine vt reprehēdātur 316.
Ad hæreticorū peregrina placita mentē nō conuertendā ſed ad diuina eloquia 319.
Hiems quid ſignificet 516.
Homo liberi eſt arbitrij 49.
Magni res momenti eſt 278.
Inter homines, Angelos, & dæmones quod diſcrimen 295
Omnis homo eſt ſecundum ſe pauper 311.
Primus homo rectus & inſōs conditus 286.
Homo rudis & operoſus, præſtat homini ignauo, & diſerto 182.
Hominem propter flagitia odiſſe licet 86.
Homo nō poteſt omnes & ſingulos lapſus declinare 266.
Humana natura infirma & ad lapſum propenſa 266.
Eius inſtabilitas 408.
Homo cur in hac vita frequēter prolabatur 178.
Hominem difficile eſt, etiam iuſtificatum ad ſalutis portum peruenire 178.
Homo inter virtutem & vitium medius quodammodo conſtitutus 68.
Vita hominis cōſtat ſapientia 424.
Humanæ vitæ conſideratio ac ſtatus 398. 400.
Homines ſe mūtuo noſcūt 326
Hominis externo cultu, motibus, & geſtibus coniectura fit de interiori illius conſtitutione 201.
Hortus in Canticis quid? 532.
Cum humilitate, melior eſt exigua cognitio, quam magna ſcientia cum ſuperbia 235.
Humiliare ſe, res tutiſſima 258
Hyperbaton quot modis contingat 19.

I.

Ignauia, vitium deterius ira 259.
Malitiam fouet 185.
Ignaui in ſordibus malunt iacere quā propter Virtutem laborare 302.
Vt ignaui ſibi & aliis abſunt, ita contra ſtudioſi ſibi & aliis proſunt 223.
Ignauo deeſt quod manducaret 273.
Ignauos fęda & vana deſideria occidunt 295.
Ignem in ſinu foueat quis 122
Impatienti animo cruces & calamitates acceptæ mortem adferunt 155.
Imperij robur magis conſiſtit in Regis prudentia quam in populi frequentia 301.
Impietatis vocabulū bifariam in Scripturis vſurpatur 55.
Impij nunquam quieſcunt 94.
Impius admonitus admonitionē cōtemnit; iuſtus vltro ſe diſcutit, & corrigit 296.
Aſſeruatur in diem malū 230.

Ante

Ante diē rapiuntur impij 430.
Cur Deus non ſtatim è medio tollat 231.
Recti iudicij prorſus ſunt ignari 364.
Diuinas litteras contēnunt, aut interpretādo peruertunt 327.
Gaudent, vbi dolendū eſt 192
Peccata quæ perpetrant laudi ſibi ducunt 287.
In impiorū ore ciuibus poſitus laqueus quomodo 168.
Impij nomine denotari poteſt omnis peccator & improbus 57.
Qui in Scriptura vocentur impij 171.
Totum impij ſtudium tendit ad mortem 172.
Impiorum ſupplicium 410.
Impij timoriſq; expertes hinc ad infernum euolant 273.
Quo loco ſint apud Deū 87.
Deus procul ab impiis 227.
Impiorū hoſtiæ ſordent Deo 296.
Impiorum propriū, peccatum in Deum reiicere 263.
Impiorum omnis conatus fruſtraneus 182.
Inter impium & peccatorem quid interſit 179.
Improbi exterius & interius à Deo cæduntur. 285.
Pœnæ improborum officij ſui admonent alios 289
Improbi aliterque docentes tepidis per adulterinam doctrinam & iuſtitias inſidias ſtruunt 170.
Improborū perturbationes 406
Improbitatis ignarus facile improborū aſtutia capitur 27.
Cum improbis nullum habendum commercium 53.
Impuri homines iuſtos impuros, ſuiq; ſimiles iudicāt 291
Incertæ hominū cogitationes 400.
Qui incōſulte quiduis aggreditur damno plerumque afficitur 352.
Infelicitas apud homines frequens 420.
Infernus 434.
Alio nomine tartarus 376
Illuſtria ingenia in ſacr. rectius & ſalubrius ſe occupāt 308.
Inimicitia manifeſta vtilior & honeſtior eſt, quam ſimulata amicitia. 350.
Iniquitas cultoribus ſuis noxia 162.
Quandam voluptatē temporariam adiunctam habet 107.
Villicus iniquitatis quo ſenſu dicatur laudatus 16.
Iniquus diabolo ſimilis 239.
Iniuſtus ægre iuſtè iudicat 21.
Iniuſti volunt haberi iuſti 212
Iuſtos in terram abdunt 49.
Spoliant iuſtos 51.
Innocentiæ duplex in Scripturis eſt vſus 27.
Inopia & copia per ſe nō ſunt cauſſæ triſtitiæ aut lętitię 196
Qui inopia premi nō vult, boues bene tractet oportet 205
Inſipientis cor execrationi obnoxium 191.
Intellectus diuiditur in theoricum & practicum 260.

Per verba Intelligẽtiæ & Prudentiæ quid ſignificetur 14.
Intemperantiã abſumit vires corporis 85.
Hominem damnat 108
Inuidia inſignes viros comitatur 412.
Ira prudens 424.
Iram ſedare in nobis eſt 217.
Melior, qui iram, quam qui ciuitatem expugnat 240.
Grauis & admodũ moleſta res eſt hominis ſtulti ira 349.
Stultus ira incenſus non tam agit quam agitur 364.
Iracundus iras concitat 222.
Periculoſa cum iracundis cõuerſatio 307.
Quid interſit inter ſapientem, & ſtultum iratum 188.
Iſrael filius doloſus 198
Iudæi à recta fide deſciuerunt 214.
Propter contemptum Chriſti doctrinæ, grauia perpeſſi 61.
Iudicia Dei nobis ignota 440.
Dies iudicij orietur impiis infauſta 338.
Formidoloſus eſt 442.
Iudicia hominũ prępoſtera 430
Triplex vis iudicandi homini eſt impreſſa 25.
Qui cenſendi ſunt rectè iudicare 26.
Iuſtè iudicaturus iuſtus ſit oportet 25.
Deus peculiarẽ curã iumentorũ haberi voluit, & quare 184
Iuſiurandum fugiendum 428.
Grauiter peccãt qui iuſte non iudicant 256.
Qui probro vult carere, iuſtè viuat oportet 56.
Iuſtitia finis virtutum 178.
Duplex quid ſit, & quod illius munus 21.
Iuſtitia vera ſecernitur etiã à ſymbolica & ſimulata 25.
Iuſtum nõ eodem modo apud omnes vſurpatur 22.
In quo Iuſtitiæ ratio præcipuè ſita 22.
Duplex iuſtitiæ modus 22.
Variæ cauſæ cur interdum negligatur 23.
Multa abſurda de Iuſtitia cõmenti pagani 23.
Iuſtitia orationi libertatem impertit 247.
Cor recreat 221.
Omnes animæ vires firmat, & in officio continet 65.
Exaltat hominem 216.
Iuſtitiæ fructus honeſtæ ſunt actiones 194.
Iuſtitia & iniuſtitia per ſe cauſſæ triſtitiæ & lætitiæ 196
Ad Iuſtitiã ſe cõponit, qui carnis deſideria perimit 335.
Iuſtitiam ſeminare quis rectè dicatur 173.
Iuſti bonis operib. abũdãt 159
Senſus omnes in officio cõtinent, ne Deũ offendant 210.
Aquilæ, neque diaboli veſtigia agnoſcunt 377.
Se accuſant, iniuſti alios 260.
Erga impios & iniuſtos humanos benignoſque ſe declarant 290.
Alia iuſti, alia iniuſti animo verſant 181. 226.

Iuſtus

Iuſtus moriens deſerit dolorē: iniuſtus poſt mortem auſpicatur pœnam 166.
Iuſtus eſt conſtans 163.
Quid diſtet eius oratio ab iniuſti 163.
Scopus eius in futura 165.
Dicitur oculus, bona contemplans 228.
Opem fert exteris, dat autem mutuo notis 198.
Aliorū ſtudia non infeſtat 193
Iuſtus & iniuſtus aliter iudicant 190.
Per infirmitatem lapſus reſurgit 167.
Pro iuſto impius tradatur ſupplicio quo ſenſu dicatur 168.
Sub impiorū imperio degens cur gemat 362.
Per iniuſtos purgatur 192.
Juſto patiente exultant iniuſti 268.
Iuſto nulla placet iniuſtitia 190
Nihil ei anteponendum 248.
Iuſtorū radix nō euellitur 180
Spes non fallit 167.
Opera lumen ſunt 197.
Iuſtos lux comitatur 196.
Iuſtos excipiunt gaudia 201.
Vſus iuſtorum iuſtū facit 200.
Iuuenes temerarij ſunt 303.
Inuenilis impietatis cogitatio 412.
Iuuētutis aſſecla ſtultitia 442.

L.

Labia Sponſi ſancti Doctores 539.
Labor hominem deiicit 192.
Labor omnis nōn prohibitus eſt honeſtus 194.
Laborare ſatius eſt, quā famo perire 183.
Laborans ſibi ipſi laborat 183
Labore fugatur egeſtas 116.
Per laborem ſcripturæ malitiam deſignant 238.
De fratris caſu qui lętatur diabolo haud abſimilis 328.
Ad lapſum propenſa eſt humana natura 266.
Lapſus omnes homo declinare non poteſt 266.
Laquearia & tigna domus, virtutes ſignificant 508.
Lari auis proprietates 130.
Lata via qui incedūt innumeri cur dicantur 130.
Lectulus Salomonis, locus ſaluandorum 524.
Per legem cognoſcitur bonum & malum 120.
Legem Chriſti perfectè edoctus Dei filius eſt 233.
Legis iuſtitiam maledicto inceſſere, cum damnationis periculo coniunctum 282.
Fruſtra admonentur à diuina lege alieni 148.
Legis præuaricatores à legis obſeruatione ſe abducere contendunt 302.
Leges bonæ cuiuſmodi cenſeantur 10.
Lex lumen quoddam eſt 120.
Lex nobis eſt pædagogus ad Chriſtum 230.
Lex Moſaica & Euangelium, virtute conſonant & inter ſe congruunt 518.
Mēs libidine occęcata, æternis temporaria anteponit 208.

Digitized by Google

Libido corrupta quá vilis 121
lingua quomodo tẽperãda 416
Cuiuſmodi ſint linguæ 262.
Sanæ linguæ fructus eſt ſana inculpataque doctrina 261.
Indocti, linguæ intemperantes ſunt 354.
Quid diſtet inter intemperãtis linguę hominẽ ab homine fideli ſpiritu ornato 169.
Lingua præceps ſeipſum conturbat 194.
Lingua præceps veritatem oppugnat 189.
Lingua ſua natura nõ eſt mala 189.
Qui cuſtodit linguam, à damnationis periculo cuſtodit animam ſuam 294.
Quo ſenſu mollis lingua oſſa cõfringere dicatur, & quęnã dicenda ſit mollis 337.
Linguæ morbus eſt peccatum per illam admiſſum 218.
Locuſtæ quid myſticè deſignent? 382.
Loquax ruinę vicinus eſt 186.
loquax ſẽper ferè impingit 157
Cuiuſmodi animus meditatur, eadem os fere loquitur 321
Lupum ſub ouina pelle tegẽtes præ cæteris Eccleſiæ & Reip. pernicioſi 353.
Luxus & intemperantia abſumunt vires corporis 83.

M.

Mala quæ patimur à nobis ſunt 108.
Parua laus eſt in malis eſſe induſtrium 358.
Quid ſit malos corruere ante bonos 211.
Mali tẽpeſtate iactantur 221.
Malitia opponitur virtuti 210
Nullius res pretij eſt 121.
Nihil ea acerbius 99.
Cum vera ſapiẽtia nihil habet commune 206.
Senſuum iudicium tollit 344.
Mentem perſonat 181.
Malitiã virtutis colore veſtitam domus picta myſticè deſignat 289.
Mãſuetus iras ſuſcitatas placat 222.
Quid per manus & digitos deſignetur 125.
Quis manum ſuam abſcõdere dicatur in ſinu 345.
B. Maria à Salomone in ſpiritu præuiſa 543. 544.
Mater ſponſæ in Cant. Caritas Patris dicitur 525.
Sacra doctrina matris nomine quandoque deſignatur 317.
Chriſto multę ſunt matres 318
Omnis quæ peperit mater vocatur: non contra 253.
Matthias per ſortem diuinitus electus 261.
Per mel deſignatur Allegoria Scripturarum 326.
Sani ſermones melli comparantur 237.
Mẽbra Corporis Eccleſiæ 539
Mẽdaces Reip. pernicioſiſ. 66.
Mendàciũ incõſtans eſt 150.
Serit diſcordias 118.
Qua ratione mendax accendat diſcordias 119.
Mens noſtra iudex eſt 181.
Bona mẽs bonus eſt pater 201

Contra

Contra vitia ſtrenue pugnās, equus bellicus dicitur 297.
Honeſti cogitatus parēs eſt 223
Sobria, amat munditiē, & iuſtitiam, & miſericordiam 292.
Quid per menſam myſticè ſignificetur 309.
Cur iuuidi ad menſam non admittendi 312.
Quid myſticè deſignetur per paruā & magnā menſurā 280
Merces hominem excitat 192.
Mich. Pſel. quæ ſcripſerit 493.
Miſericordia in egenos ſecreto exercenda 290.
Qui miſericordiam exercent, olim immiſericordibus dominabuntur 361.
vbi miſericordia & veritas, ibi viget iuſtitia & æquitas 285
Modeſtia 424.
Modeſto quod cū modeſtia ſit ingratum eſſe nequit 204.
Quid monile in Cant. 502.
Mōtes dæmones ſignificāt 515
Moralis diſciplinæ cognitio virtutis eſt præmium 245.
Mors 422.
Per pęnitentiā profligatur 237
Nulla arte repellitur 430.
In omnibus nos gerere debemus tanquā verè mortales, & breui morituros 330.
Non omnes iniqui immatura morte interibunt 178.
Perniciosius eſt opem ferre ad animæ quàm ad corporis mortem 49.
Mulieris laquei, & retia 426.
Quid myſtice deſignet adultera 263.
Quid praua 99.
Neque vtile, neque honeſtum prauæ mulieris cōſuetudini adhærere 99.
Cur mulieribus ſtultus Deus formæ gratiā indulgeat 1[illegible]3.
Numerū acceptio multa mala facere perſuadet 225
In iudicio mala eſt 252.
Corrumpit iudicis animum, iura omnia peruertit 300.
Munerū venatio iure prohibita 172.
myrrha mortificatio eſt 524.
Cur myſteria abdantur 7.146.
Diuina myſteria nō quibuſuis cōmittēda, ſed dignis tātū 367

N.

NArdus quid? 504.
Naturę lex 199.
Nequitiæ maritus eſt diabolus 122.
Nigra & pulchra, ſponſa in C ant. 498.
Nomen Domini, Dei cognitio dicitur 257.
Nihil nouū ſub Sole 400.401.
Nubes ſenſu ſublimiori Apoſtoli & Prophetæ 82.
Nunc, trifariā vſurpatur 108.

O.

OBliuio rerum omniū 401.
Obloquendi vitium periculoſum ac peſſimum 281.
Obſidio quid myſticè ſignificet 59.
Oculi Eccleſiæ ſunt ſcripta Prophetarum 526.
Oculi columbæ 507.
Oculorū procax aſpectus fugiendus 422.

Per oculum mens deſignatur 376.
Non omne quod recreat oculum recreat animum 228.
Oculus bona contemplans, iuſtus dicitur 228.
Qui fratrem odit exteros magis oderit 166.
Offenſio animæ quid 84.
Opem implorantes nō audiens nec ipſe exaudietur 190.
Nemo ex ſolis ſuis operibus ſalutē poteſt conſequi 179.
Opes liberant à morte 154.
Superbiam per ſe non pariunt 196.
Sunt gloria ſapientum 212.
Si deſit ſapientia, magis obſunt quam proſunt 248.
Impiorum opes vitia ſunt & peccata 358.
Qui malis artibus ad opes cōtendit, in mortem ſeipſum præcipitem dat 288.
Opulentia & paupertas, etiam in ſcientiis, virtutibus, &c. locum habet. 264.
Oratio prudens & accurata, tametſi longa, tædium non parit 314.
Ordo pulchra res in omni vitę ſtatu 113.
Originis ſordes quales 371.
Os peruerſum 96.
Incuſtoditi oris viri magnis obnoxij periculis 250.
Qui cuſtodit os & linguā ſuā, à damnationis periculo cuſtodit animam ſuam 294.
Oſculū cuius rei argumentum 128.
Quæ ſunt animæ oſſa 74.
Otio ignauia comparatur 116.

P.

PÆnitentia Deum iratum placat 233.
Per hanc ſolam patet aditus peccatori ad vitam 359.
Ordine naturæ diſciplinam antecedit 332.
Periculoſum eam differre 110
Pagani vera ſapientia deſtituuntur 14.
Quales ſint, qui elatis incedūt palpebris 372.
Palpones & adulatores obſcurant potius quā illuſtrent 265
πανȣργία aſtutia in ſacris, in bonā ſæpè partem accipitur 208.
Quid intercedat inter πανȣργία & κακȣργίαν. 28.
Sapiens per πανȣργὸν Prudentes deſignat 199.
Parabola ſpecies tenebroſi ſermonis 36.
Parabolæ vocabulū latè patet 35.
Illud Dauidis Aperiam in Parabolis os meū, ad euangelicas parabolas pertinet 36.
Sermo Parabolicus ſapienti familiaris 304.
Quid Parœmia, & vnde dicta 5
Variæ eius deſcriptiones 6.
Earum doctrina in omnem ætatem & hominum ſtatum conuenit 32.
Quid præſtent rudibus 30.
Duplices Salomonis feruntur 333.

Inter

Inter παράνομος, & ἄνομος quid interſit 54.
Paries, lex antiqua vocatur 516
Cuiuſmodi debeat eſſe cura & ſtudium paſtorum 355.
Periculoſum futuro paſtori teſtimonium perhibere de doctrina 307.
Paterfamilias debet toti familiæ ſe accommodare 177.
Quo ſenſu Patris ſapiẽtia ante omnem creaturã condita 140
Patrum doctrina, vinum Scripturæ minus potens 315.
Patrum terminos transferre quis dicatur? 308.
Patientia nihil fortius 241.
Indicium Prudentiæ 214.
Patienti animo cruces & calamitates acceptæ vitam adferunt 155.
Paulus Apoſt. ſagitta Dei 513.
Collum Eccleſiæ 528.
Bonus pater 201.
Pauperem calumniare, diuitem autem blandiri, multis modis contingit 303.
Qui conuitiatur pauperem, Deum irritat 215.
Pauperibus inſultare graue peccatum 244.
Cur pauperes fecit Deus? 245.
Peculiarem eorum curã gerit 307.
In altero ſæculo dominabũtur diuitibus 299.
